
RERVM FRANCICARVM DECADES QVATVOR.

RERVM FRANCICARVM DECADES QVATVOR.

In quibus Hiſtoria Gentis ab Origine: Imperij Belgarum Exordium, Progreſſus & Bella, aliáque memorabilia uſque ad Annum M. D.

Auctore I. R. *Lovanienſe.*



BRVXELLIS,
Typis *Martini de Boſſuyt*, dictæ Vrbis Typographi, viâ lapideâ, ad Interſigne S. Petri, 1651.

Cum Gratia & Privilegio.

SERENISSIMO PRINCIPI,

DOMINO

IOANNI AVSTRIACO,

VTRIVSQVE SICILIÆ PROREGI,

HISPANIARVM

ARCHITALASSO,

IN ORDINE S. IOANNIS

MAGNO PRIORI, ETC.

SERENISSIME PRINCEPS,

In rebus humanis ita comparatum esse, ut nullus ferè sit Populus, quem non æmulus aliquis exerceat; Philippus olim Cominæus, Auctor, inter Aulicos cordatissimus, scripsit. Quid dico scripsit? Ostendit ad oculum, Populorum quos enumerat exemplis, quæ hodieque

Comin. *nondum omnia defecerunt*. Gallis *enim*, *inquit*, oppositi sunt Angli: Anglis, Scoti. Hispanis, perpetua quædam simultas intercedit cum Lusitanis. Italiæ Principes, magna ex parte retinent possessiones, nullo ferè titulo, & acerbè suis imperant. Iis adversantur reliquæ potentiores Civitates, Venetiæ, Florentia, Genua: nonnumquàm etiam Bononia, Sena, Luca. Arragoniæ Reges, oppugnantur ab Andegavorum Ducum familia. Mediolani & Insubriæ Vice-comites, ab Aureliana domo. Venetis, sunt infesti Principes Itali & Florentini. Senenses autem & Genuates, oderunt Florentinos. Genuates, laborant & divisi sunt Civilibus factionibus Fregosiorum, Adurniorum & Auriorum. In Germania, magnæ sunt inter Austriacam & Bavaricam domum æmulationes: & quæ sunt ex Bavariæ Ducum stirpe natæ familiæ, inter se dissident. Austriacis Principibus, grave est odium cum Helvetiis. Impugnantur à Clivensibus, Geldri: & hi, valdè sunt iniqui Iuliacensibus. Quæ sunt ad Oceanum Germanicum & Balthicum mare Civitates, bella sæpiùs gerunt cum Daniæ Regibus. In Germania, plurimæ sunt Arces & Castella munita, quæ res licentiùs agendi multis occasionem præbet. Populi Asiæ Africæque, dicuntur inter se non minùs

nùs quàm nos, imò turpiùs aliquantò diffidere. Nam in servitutem se pertrahunt ipsi, seque invicem nostris hominibus vænumdant: & videmus, quàm multi quotidie ad Lusitanos deportentur.

Atq; ita memoriter & veraciter Cominæus: etsi non minùs quoq; comparatum sit, ut diversis factionibus, unus inter se Populus scindatur, Civitas, Provincia, Regnum. Nulla fuit inter eas, aut ævo celebrior, aut tenuit diutiùs quàm Guelforum & Gibellinorum, quæ Siciliæ tuæ, SERENISSIME PRINCEPS, *originem & incrementum debet. Paulli Æmilij super hac re, verba sunt.* Avorum memoriâ, Siculus Rex Rogerius, veritus ne si Conradus Tertius Augustus, in Italiam veniret; Regno ab eo pelleretur, Cæsarum armis, Siculorum dominatui semper infestis; missis in Germaniam Oratoribus, hostem Guelfonem Bavariæ Ducem, in Cæsarem concitavit: bellóque ibi conflato, ex Italia Duci, & suo, & ut viribus sanctitatis speciem adderet, Pontificis Maximi, cujus se beneficiarium profitebatur, nomine, ingentia misit auxilia. Cum his, signa contulit Henricus Cæsaris filius, in Oppido Gibellino natus, quo etiam memoriâ natalium, velut Gentilitio çognomine, gaudebat. In hac igitur acie, *Io Gibelline*: in alterâ, *Io Guelfe*, cla-

Æmil.

clamabatur. Eo bello, exemplum memorabile conjugalis fidei, mulieres ediderunt. Victor Cæsar, cùm Oppido capto, in viros statuisset duriùs consulere, emigrare jussit mulieres, rerum suarum jure concesso, quantum quæque humeris posset; efferendarum. Flagrantissimus amor, & menti consilium, & infirmitati robur dedit. Viros exportarunt. Hoc egregio dolo se captum delusúmque, Cæsare non indignante, victor etiam victum Ducem, in gratiam, positis armis, recepit. Nomina tamen mansêre: ac ex ea die servatum, ut Guelfi, Pontificum: Gibellini, Cæsarum partes dicantur. Sed jam memoria propè exoleverat, Fredericus Siculus restituit, ac immortales pestes eas effecit, quibus Italia, & universa, & singulæ propè Civitates laborarent. *Hactenus Æmilius.*

Si quis occasionem ejuscemodi factionum inquirat; nullam ferè reperiet, præter æmulationem & invidiam alienæ felicitatis aut potentiæ, quam evertere vel impetere, odium, ubi semel radices egit, studium facit. Neque aliunde bella enascuntur, quæ in duabus hodie Gentibus & Coronis, reliquarum hinc inde federibus, Europam omnem amplexis, mutuis cædibus & cladibus committuntur: ut Gallorum contrarietas, ab Anglis, transiisse in Hispanos videatur, ex quo potissimùm in stirpem Austriacam, Burgundicæ, Castellanæ,

lanæ, & Arragoniæ familiarum, jura fortunæq́ desierunt. Id etsi haud foret arduum repetere altiùs, imò colligi facillimè clarissimeq́ possit, ex Historiæ decursu, quam tractamus; libet attamen præteriti sæculi initio inhærere, quo Majestatis Austriacæ & Hispanicæ incrementa, Gallicam invidiam & æmulationem excitarunt. Postquàm enim duo utriusq́ Siciliæ Regna, tertiumq́ Navarræum, Hispanico capiti & corpori, à quo fuerat olim, Blanchæ, Sanctij IV. filiæ, nuptiis cum Theobaldo Campaniæ Comite, recisum, non tantùm accessissent; sed Insubriæ quoq́ Principatu, Gallica cupiditas exuta foret: mox veluti recuperatura cum fenore, quod amiserat, in Francisco Primo, ad Imperij Romani apicem aspiravit: quò dum non potuit pertingere; ejus qui pertigerat potentiæ æmula repentè facta est. Id nihilominus vitium, magnis, imò vastis animis innasci solitum, ut tegeret; totius Orbis Dominatum, ab Hispaniæ Rege, eoque Cæsare, affectari finxit: ut æterna videlicet bella, Pace sublatâ gereret.

Anno 1216.

Matth.

Ab eo enim tempore, Pax sæpenumerò, sed neque fida neque firma fuit, repetito continenter bellandi principio & origine, Hispanicæ nimirùm felicitatis invidiâ. Verùmtamen stabit illa, crescetque dum fata volent, à quibus Regna dari atq́ auferri, non veterum solummodò, sed & recentium exemplorum copia docet. Hanc porrò fatorum benevolentiam (etsi sæva nonnumquam humanitùs incidant, ad bellicæ potiùs virtutis exercitium, quàm remoram successûs) duraturam,

Lips.

 tum

tum nuperæ, tum hodiernæ expeditiones, Tuis etiam auspiciis & annuente fortunâ, demonstrant.

Quamobrem Nomen IOANNES, *quod geris, quodq; Galliæ Angliæq; Regibus, ob unius utrobiq; sive infortunium sive regimen, exosum & fatale est, non tantùm in Hispania diro omine caret; sed ejus quoque memoriam Orbi reducit, qui memorabilem præterito sæculo de Turcis apud Naupactum, non longè ab eo loco, ubi olim Augustus superavit Antonium, victoriam Christianis dedit. Loquor de Domino Ioanne Austriaco, Caroli V. filio, qui, cùm Selymus Turcarum Imperator, Cyprio Regno, paucis anteà diebus subacto, Ionium omnem, atque adeo ipsum Adriaticum sinum, ingenti classe, quæ tertiâ ferè parte Christianam excedebat, infestaret; aspirantibus mox propitio Numine, qui priùs reflarant ventis, à meridie ad noctem propè, dimicans ferocissimè, tam fedam Turcis cladem, quàm lætum Christianis triumphum peperit. Captæ quippe sunt, centum circiter octoginta Triremes Turcicæ, & plusquàm quadraginta partim combustæ, partim submersæ, paucis reliquis, certaminis initio, duce Ochialino, turpem fugam capessentibus. Occisi ex hostibus, suprà viginti millia, multi capti. Christianorum, qui apud ipsos durâ servitute premebantur, numerus ingens inventus, præter eos, quos desperatâ victoriâ, Turcæ anteà trucidaverant. Ex nostris, paucæ admodùm Triremes sunt desideratæ.*

Polyd.

Anno 1571.

Quin igitur paria de Te ominari liceat, qui Tuo Neapolin adventu, depressisti fluctus illos, imò sedasti, quibus æstuabat

bat id Regnum: & extortis nuper duobus à Gallo, validissimis Propugnaculis PLVMBINO *ac* LVNGONENSI PORTV, *quæ priùs composueras, securitate donasti. Quis enim nesciat, horum Propugnaculorum alterum, donec ab hostibus insideretur, Etruriæ frænum, imò compedes fuisse? alterum in Ilva Insula, quam Græci olim Æthalam, ob ferri officinam eo loco flagrantis, vocaverunt, Plumbino tantúmnon objacens; apertam viam aditumq́; quo gens inimica, Tyrrhenum æquor navigans, Ilium in Italiam, ac Neapolin præsertim, uti vidimus apportaret? Id etsi bellicæ fortitudinis Tuæ, & felicitatis luculentum argumentum sit; Clementia nihilominus, quam in hoste devicto demonstrasti, duo illa, quæ dixi; longè superexstat: ut cùm robore Austriacum Te probes, animi lenitate, magis etiam ostendas.*

Anno 1650.

Macte illâ virtute, SERENISSIME PRINCEPS, *quâ propiùs accedis ad Superos: cumq́; bellicas palmas laurosq́; fronti & temporibus circumdederis, Pacis etiam Olivam cole, pro qua demùm bella geruntur, quamq́ue ferro & sanguine fatigatus Europæus Orbis, à Tua Tuorumq́ue similium, non dico fortuna, sed virtute exspectat. Ita Vive, Vince, Triumpha, in utrumq́ue promtus & paratus: opto voveoq́; Bruxellæ 30. Maij, 1651.*

Serenissimæ Celsitudinis Tuæ Servus humillimus, *F. Io. Rivius*, Ord. S. A.

Per-

PErmissu R.^{mi} *in Christo Patris Magistri* Philippi Vicecomitis, *totius Ord. Erem. S. Augustini Prioris Generalis*, Neapoli 30. *Iulij* 1650.

CENSVRA.

QVI Historiam, & rerum propter Antiquitatem obscurarum, scribere se profitentur; debent quidem non negligere orationis cultum, & elegantem compositionem: tum quidquid lectioni gratiam conciliat, & adimit tædium: sed præcipua cura impendenda est Veritatis studio, ne suam fidem sequentes fallant, & inducant in errorem aliquem; *inquit* Fl. Iosephus lib. 14. Antiq. Iud. Cap. 1. *quod quia hoc Opusculo factum existimo, imprimi poterit. Actum Bruxellæ die decimâ Ianuarij* 1651.

HENRICVS CALENVS Archidiaconus Mechlin. & Illustrissimi Domini Archiepiscopi Vicarius Generalis.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS *Dei gratia Hispaniarum Indiarumque*, &c. *Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ*, &c. *Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis citra* Martini de Bossuyt, *Typographi Vrbis Bruxellensis voluntatem*, Rerum Francicarum Decades IV. *à* R. P. IOANNE RIVIO *Ordinis S. August. concinnatas, ullo modo intra duodecennium in Belgio imprimat, aut alibi locorum ea in forma & methodo impressas, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve exponat. Qui secus faxit, confiscatione illatorum exemplarium, & aliâ gravi pœnâ multabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellæ, die* 25. *Martij* 1651.

Signat. HAPPART.

RE-

RERVM FRANCICARVM DECADIS PRIMÆ

LIBER PRIMVS.

BREVIARIVM.

FRANCI, Germaniæ populi, à libertate dicti. Eorum ſedes: Rex Faramundus: Inſignia: Indoles: Habitus: Robur: Agilitas.

FRANCI Gallique, uti non una gens eſt; ita diverſas planè terrarum ſedes habuerunt.

Eos, inter Saxones & Alemannos, collocat Hieronymus: & ut antea Germani fuerint, ſuo nihilominus ævo, Francos dici teſtatur. Vita Hilar.

Appellationis cauſſam, nonnulli putant immunitatem ſtipendiorum, quibus ab Imperatore Valentiniano levati ſunt in decennium. Alij à libertate derivant; quòd animis & armis conſpirantibus, Romanorum jugum ac dominatum, ſive excuſſerint ſive arcuerint.

Vani igitur qui Troianos, vel etiam Antenoridas

Gregor. Turon. Aimoin.

noridas, hic nobis fingunt: nimirùm

——— *Dat cuncta vetustas*
Principium Phrygibus:

& consecrari origines suas, nec solùm ad Heroës, sed ad ipsos Deos referre gaudet.

Volunt etiam nonnulli, Atticâ linguâ Francos appellatos, quasi Latinè *Ferreos* diceres: domitis præsertim per Francos Alanis, inque ditionem nominis Romani redactis: ob quod stipendiorum immunitatem, ut dixi, adepti sint.

Petav. Putean. Miræus.

Verumtamen non sic habet: sed cum Romanorum jugum, populi plures, qui inter Rhenum, Isalam, Amisiam, Visurgim & Albim, Vastos Germaniæ agros, usque ad Oceanum incolebant, ubi nunc Ducatus Montensis, Transisalania, Frisia Orientalis & Occidentalis, Saxonia inferior, Hassia & vicinæ aliæ Provinciæ continentur, Romanorum inquam jugum exosum haberent; id animis & armis, ut dixi, sociatis, amoliti sunt.

Ii tum Populi, Bructeri, Chamavi, Ansivarij, Chatti, Tincteri, Frisij, Salij, Angrivarij sunt dicti, & uno mox nomine à libertate Franci: ut eorum idcircò posterioris ævi Historici tantummodò meminerint, Trebellius & Vopiscus. Nam quod apud Ciceronem ad Atticum legitur de

Lib. 14. Epist. 10.

Fran-

Franconibus; vitiatum esse docet B. Rhenanus, probum verò ac reponendum Vangiones: quos pro omnibus Germanis, qui ripas Rheni incolebant, sicuti Betasios & Atuas (qui ibidem pravè leguntur Theobasi & Suevi) pro nationibus ulterioribus, accipit Cicero.

Lib. 2. rer. Germ.

Neque est verisimile propriam Francorum sedem, eam Germaniæ partem fuisse, cui nunc Franconiæ nomen, quod plures senserunt scripseruntque: quandoquidem omnis Transrhenana ditio, Novesio & Coloniæ Traianæ opposita, etiam in Tabula Peutingeriana, quæ Ammiani Marcellini ævo digesta putatur, FRANCIA appelletur. Non diffiteor attamen, ex populis quos dixi, nonnullos ad Mœnum sedes suas collocasse, eique tractui Franconiæ seu Franciæ, nomen dedisse.

Non existimo etiam, federatis his omnibus contra Romanos populis, unum aliquem fuisse Regem aut Principem, qui simul omnibus imperaret; sed habuisse separatos ab initio Duces aut Regulos, etsi uno inter se federe, pro tuenda libertate conjunctos.

Primus Faramundus celebratur, Anno Domini circiter CCCC. XX. Francorum Rex, utrum inter ceteros potentior, an verò universis impe-

An. 420. Prosp.

rans, (etsi posterius, est verosimilius) incertum. Hoc liquet, in ejus deinde familia aut successoribus, Regium mansisse nomen, qui Francorum regnum, non cis Rhenum tantummodò & Mosam; sed latè per Galliam produxerunt.

Volunt nonnulli eâ tempestate Faramundo Regi, Francicæque genti clypeum sive insignia, fuisse tres Bufones in area viridi. Quæ res, sicuti olim dedit occasionem nostratibus, Francos appellandi per vituperium Bufones, ut testatur Claudius Fauchetus; ita significat dubiam sublestamque Francorum fidem, *qui perjurium genus sermonis putant, non criminis*, quando animalia illa amphibia sunt, & receptacula sua non terrâ solùm, sed & aquis habent.

Fauch.

Sanè Francos, *mendaces*, Salvianus disertè meminit: & Procopius eos, *nationem vocat ad fidem prodendam, ceterorum mortalium longè promtissimam.*

Lib. 7.
Lib. 2.

Hos Bufones, in Clodovei baptismo, tribus aureis Liliis in area cærulea cælo dimissis, commutatos fuisse, etsi nonnulli scribant; attamen Gregorius Turonensis tacet: viderique figmento proximum potest, cùm neque ante Pipinum, aut certè Carolum Crassum, ulla sit mentio Liliorum, teste eodem quem citavimus Faucheto. Is itaque Francorum florida insignia, existimat esse

Fauchet.

Iri-

Irides aquaticas flavi coloris, in solo cyaneo seu aqueo, quàs è palustri Sicambria, juxta illud Propertij:

Ille paludosos memoret servire Sicambros, Lib. 4.

Franci in Galliam detulerunt: olim sine numero clypeum occupantes, nunc ternario illigatas, à temporibus Caroli VI.

Adr. Iunius, prisca Francorum insignia ex Hunibaldo, & Guillimannus ex Lazio, Leonem fuisse commemorant: siquidem teste Lazio, Clodomirus Francorum Rex Filius Clodovei, Gotomaro & Gotogisilo Regibus debellatis, coronam, in aureo clypeo, Leoni suo imposuerit. Adr. Iun. Batav. Lazius. Habs.

Speciem porrò Francorum, cultum, agilitatem, constantiam in præliis, eleganter atque accuratè Sidonius Apollinaris descripsit, Panegyrico qui Iul. Valerio Majoriano dictus est, ubi ita canit: Sidon.

Hic quoque monstra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix,
Setarum per damna nitet, cum lumine glauco
Albet aquosa acies, ac vultibus undique rasis
Pro barba tenues perarantur pectine cristæ.
Strictiùs adsutæ vestes procera coërcent
Membra virûm, patet iis arctato tegmine poples,
Latus & angustam suspendit baltheus alvum.

Excußiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeosq; rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas,
Inq; hoſtem veniſſe prius; puerilibus annis
Eſt belli maturus amor. Si fortè premantur
Seu numero ſeu ſorte loci; mors obruit illos
Non timor: invicti perſtant, animoq; ſuperſunt
Iam propè poſt animam.

Lib. 2. Hiſtor. Goth.

Videri & Agathias poteſt, & Clemens qui Caroli Magni vitam deſcripſit. Atque ut videas Francos, Germanicam fuiſſe gentem; prodit de Germanorum habitu Tacitus, quod Sidonius de Francis, dum ait: *Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur: non fluitante ſicut Sarmatæ & Parthi, ſed ſtrictâ, & ſingulos artus exprimente.*

Tacit.

LIBER SECVNDVS.

BREVIARIVM.

GALLI, à Francis diverſi. Ab Ammiano Marcellino deſcripti, ex fide Timagenis Græci Hiſtorici: Strabone, aliiſque. Gallorum loquacitas: Res Militaris: Iactantia: Oſtentatio ac Præfidentia. Gallorum libido: Veſtis: Capillitium.

SICVTI verò quæ diximus hactenus, propria Francorum ſunt Germaniæ populorum; ita Galli alterius ſunt climatis, alioque ſole calent

lent & terrâ nutriuntur. Hi, sive Galatæ olim, sive Celtæ nominati sint; aliquid quoad cœnandi morem, & uniusalicujus liberalitatem, reperient apud Athenæum lib. 4. Et Galatæ quidem, ex fide Philarchi veteris Historici *cap.* 11. Celtæ, ex Posidonio *cap.* 13.

Athen.

Ammianus Marcellinus Gallorum originem edisserit *lib.* 15. ex Timagene Græco Historico, cujus meminit Seneca *lib.* 10. *Controv.* 5. & alius Seneca *lib.* 3. *de Ira.* & de quo hoc est Quintiliani judicium *lib.* 10. *Longo pòst intervallo natus Timagenes, vel hoc est ipso probabilis, quod intermissam Historias scribendi industriam, novâ laude reparavit.* Ammiani verba sunt.

Timag.

Ambigentes super origine primâ Gallorum scriptores veteres, notitiam reliquere negotij semiplenam. Sed postea Timagenes & diligentiâ Græcus & linguâ, hæc quæ diu sunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cujus fidem secuti, obscuritate dimotâ, eadem distinctè docebimus & apertè.

Amm. Marcell.

Aborigines primos in his regionibus, quidam visos esse firmarunt, Celtas nomine Regis, amabilis & Matris ejus vocabulo Galatas, dictos, ita enim Gallos, sermo Græcus appellat. Alij Dorienses, antiquiorem secutos Herculem, Oceani locos inhabitasse confines. Drasidæ memorant revera fuisse populi partem indigenam, sed alios quoq; ab insulis extimis confluxisse & tractibus Transrhenanis: crebritate bellorum & alluvione fervidi maris, sedibus suis expulsos.

Aiunt

Aiunt quidam paucos post excidium Troiæ fugitantes Græcos, ubiq; dispersos loca hæc occupasse tunc vacua. Regionum autem incolæ, id magis omnibus adseverant, quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum, Amphytruonis Filium Herculem ad Geryonis & Taurisci sævium tyrannorum perniciem festinasse, quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat: superatisq; ambobus coiisse cum generosis feminis, suscepisseq; liberos plures, & eas partes quibus imperitabant, suis nominibus appellasse.

A Phocæa verò Asiaticus popolus Harpali inclementiam vitans, Cyri Regis præfecti, Italiam navigio petiit. Cujus pars in Lucania, Veliam, alia condidit, in Viennensi Massiliam. Dein secutis ætatibus oppida, aucta virium copiâ, instituêre non pauca.

Vid. Iustin. l. 43.

Per hæc loca hominibus paullatim excultis, viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & Duhages & Druidas. Et Bardi quidem, fortia virorum illustrium facta, heroicis composita versibus, cum dulcibus Lyræ modulis cantitarunt. Duhages verò scrutantes seria & sublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, sodalitiis adstricti consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumq; erecti sunt, & despectantes humana, pronuntiarunt animas immortales.

Hanc Galliarum plagam, ob suggestus montium arduos, & horrore nivali semper obductos, orbis residui incolis ante hac pœne ignotam, (nisi quà littoribus est vicina) munimina

clu-

cludunt undiq; naturâ velut arte circumdata. Et à latere quidem Australi, Tyrrheno alluitur & Gallico mari: quà cœleste suspicit plaustrum, à feris gentibus fluentis distinguitur Rheni: ubi Occidentali subjecta est sideri, Oceano & altitudine Pyrenæi cingitur: unde ad Solis ortus attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum. Et paullò pòst.

Temporibus priscis, cum laterent hæ partes ut barbaræ, tripartitæ fuisse creduntur, in Celtas eosdemq; Gallos divisæ, & Aquitanos, & Belgas, linguâ, institutis, moribusq; discrepantes. Et Gallos quidem qui Celtæ sunt, ab Aquitanis Garumna disterminat, flumen à Pyrenæis oriens collibus, postque Oppida multa transcursa, in Oceano delitescens. A Belgis verò, eamdem gentem Matrona discernit & Sequana, amnes magnitudinis geminæ, qui fluentes per Lugdunensem, post circumclausum ambitu insulari Parisiorum castellũ, Lutetiam nomine, consociatim meantes, protinus prope castra Constantia funduntur in mare.

Horum omnium Belgæ, apud veteres dicebantur esse fortissimi, eapropter quod ab humaniore cultu longè discreti, nec adventitiis effeminati deliciis, diu cum Transrhenanis certavere Germanis. Aquitani enim ad quorum littora, ut proxima placidaq; merces adventitiæ convehuntur, moribus ad mollitiem lapsis, facilè in ditionem venere Romanam.

Regebantur autem Galliæ omnes, jam inde ubi crebritate bellorum urgenti cessere Iulio Dictatori, potestate in partes divisâ quatuor: quarum Narbonensis una, Viennensem

inter se continebat & Lugdunensem: altera Aquitanis praeerat universis. Superiorem & inferiorem Germaniam, Belgasq́, duae jurisdictiones iisdem rexere temporibus.

At nunc numerantur Provinciae per omnem ambitum Galliarum, Secunda Germania, prima ab Occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita, civitatibus amplis & copiosis. Dein Prima Germania, ubi praeter alia municipia Meguntiacus est & Vangiones, & Nemetes & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Post has Belgica prima Mediomatricos praetendit, & Treviros domicilium Principum clarum. Hinc adnexa secunda est Belgica, quâ Ambiani sunt, urbs inter alias eminens, & Catalauni & Remi. Apud Sequanos, Bisontios vidimus & Rauracos, aliis potiores oppidis multis. Lugdunensem primam, Lugdunus ornat, & Cabillones & Senones & Biturigae, & moenium Augustoduni magnitudo vetusta. Secundam enim Lugdunensem, Rothomagi & Turoni Mediolanum ostendunt & Tricassini, Alpes Graiae & Poeninae, exceptis obscurioribus. .... habent & Aventicum desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut aedificia semiruta nunc quoq́ demonstrant. Hae Provinciae Vrbesq́ sunt splendidae Galliarum

Prosequitur pòst Ammianus.

Sit satis de situ locorum, nunc figuras & mores hominum designabo. Celsioris staturae & candidi, poenè Galli sunt omnes, & rutili, luminumq́ torvitate terribiles, avidi jurgiorum, & sublatiùs insolescentes. Nec enim eorum quem-

quam

quam adhibitá uxore rixantem, multò fortiore & glaucâ, peregrinorum ferre poterit globus: tum maximè cum illa inflatá cervice suffrendens, pōderansq; niveas ulnas & vastas, admixtis calcibus emittere cœperit pugnos, ut catapultas tortilibus nervis excussos.

Metuendæ voces complurium & minaces, placatorum juxtà & irascentium. Tersi tamen pari diligentiâ cuncti & mundi: nec in tractibus illis maximè apud Aquitanos, poterit aliquis videri vel femina licet perquam pauper, ut alibi, frustis squallere pannorum.

Ad militandum omnis ætas aptissima, & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus, & labore assiduo multa contemturus & formidanda. Nec eorum aliquando quisquam, ut in Italia, munus Martium petimescens, pollicem sibi præcidit, quos jocaliter Murcos appellant.

Vini avidum genus, affectans ad vini similitudinem multiplices potus. Et inter eos humiles quidam, obtusis ebrietate continuá sensibus, quam furoris voluntariam speciem esse Catoniana sententia definivit, raptantur discursibus vagis, ut verum illud videatur, quod ait defendens Fonteium Tullius, Gallos post hæc dilutiùs esse poturos, *quod illi venenum esse arbitrantur.*

Hæ regiones, præcipuè quæ confines Italicis, paullatim levi sudore sub Imperium venere Romanum. Primò tentatæ per Fulvium, deinde præliis parvis quassatæ per Sextium,

 ad

ad ultimum per Fabium Maximum domitæ: cui negotij plenus effectus, asperiore Allobrogum gente devictâ, hoc indidit cognomentum. Nam omnes Gallias, nisi quà paludibus inviæ fuere ut Sallustio docetur auctore, post decennalis belli mutuas clades, subegit Cæsar, societatiq; nostræ federibus junxit æternis. Hactenus *Ammianus Marcellinus lib.* 15. cujus verbis malui de Gallis dicere quæ dicenda erant, quàm aliis commutare, ut tantò liquidiùs eos inter & Francos, discrimen constaret.

Gallia itaque Romani Imperij fuit: partim deinde in Consulares Provincias, in Præsidales partim divisa, tempore Cæsaris Augusti usque ad Constantinum, & deinceps. Viennensis enim & Lugdunensis prima, duæque Germaniæ & duæ Belgicæ, Consulares fuerunt, aliæ Præsidales. Videri potest Noticia Imperij Occidentalis *cap.* 68.

Not. Imp.

Verumtamen præter illa quæ de Moribus Gallorum, Ammianus posteritati tradidit, alia auctorum adhuc aliorum judicia sunt, è quibus nosci penitiùs potuerunt. Præclarum in primis est, & Ammiani testimonio quadamtenus simile, quod Strabo protulit, quàmquam genere & eruditione Græcus, attamen incolatu Romanus, imò peregrinatione, civis pœnè mundi totius. *Universa,* inquit, *hæc natio, quæ Gallica seu Gallatica nunc usurpatur, bellicosa est & ferox, & ad pugnam promta: ceterum inge-*

Strabo.

ingenio simplice ac nullâ malignitate devincto. Itaque irritati, ad pugnam confertim & palàm coëunt, idq́ incircumspectè. Quò fit ut facilè circumveniantur, si quis calliditate bellicâ, adversus eos uti velit. Facilè enim quando & ubi volet, & quacumq́ de caussa objectâ, eos lacessitos ad prælium conferendum elicuerit, nullâ præter vim & audaciam re instructos.

Iidem facile persuaderi sibi sinunt, ut utiliora amplectantur, itaq́ disciplinæ etiam & litteris se dediderunt. Violentiam, partim à corporum mole habent, partim à multitudine: Ac facile coëunt magno numero ob simplicitatem & libertatem, semper indignationem suscipientes pro vicinis; injuriâ se affectos putantibus.

Nostrâ quidem ætate omnes pacatè serviunt, ac Romanorum, à quibus subacti sunt, jussis parent; sed quales diximus, superioribus temporibus tales eos fuisse, intelligimus ex Germanorum adhuc durantibus consuetudinibus. Nam & naturâ & vitæ institutis, gentes hæ invicem similes sunt & cognatæ, confinem habentes regionem Rheno divisam, & pleraq́ inter se similia habentem. Et paullò pòst.

Galli omnes, naturâ sunt pugnaces: Equitatu tamen quam Peditatu meliores: & optimam Equitatus sui partem, Romani ab his habent. Hucùsque Strabo.

Atqui ut ita senserit Strabo; aliis nihilominus visum aliter fuit, impetusque Gallorum primos, plusquam virorum esse: ceteros, minùs quàm femi-

feminarum. Hinc Cæsar *lib.* 3. uti ad bella suscipienda, animum eis alacrem & promtum tribuit; *sic molli ac minimè resistente ad calamitates perferendas mente esse*, ait. Sentit idem Livius *Decad.* 4. *lib.* 8. ubi dum T. Quintius Consul suos ad pugnam cum Gallis ineundam fortiter, hortatur; *Vsu hoc cognitum est*, inquit, *si primum impetum, quem fervido ingenio & cæcâ irâ effundunt, sustinueris, fluunt sudore & lassitudine membra, labant arma, mollia corpora, molles ubi ira resedit, animos, sol, pulvis, sitis, ut ferrum non admoveas, prosternunt.*

Cæs.

Liv.

Quamobrem in Helvetios Cæsar profectus, qui Rhodanum inter & Rhenum siti, non sufficientibus terris, venerant sedes petitum, primùm incensis mœnibus suis, ne redirent; petito tempore ad deliberandum, cùm inter moras Rhodani ponte rescisso, fugam Helvetiis abstulisset; *statim bellicosissimam gentem, sic in sedes suas, quasi greges in stabula pastor reduxit.*

Flor. lib. 3. ca. 10.

Porrò ceteræ Gallorum veterum, de quibus Strabo, virtutes, rebus cessêre secundis: ipsique nonnumquam Galli fatentur hodie, parum in se suisque fidei & candoris inveniri.

Apud Charisium Sosipatrum *lib.* 2. Marcus Portius Cato testatur, *pleramq; Galliam duas res industriosissimè persequi, rem militarem, & argutè loqui.* Sed præ-

Charis. Sos.

præterquam quod existimem Catonem de Gallia Cisalpina loqui; ea loquendi argutia, aut est linguæ intemperantia, quam in Gallis Diodorus reprehendit, *dum sermone eos uti brevi & subobscuro*, ait, *multa ex animo dubia loqui, plurima ad jactantiam in suam laudem dicere, & ad aliorum contemtum*: aut aviditas jurgiorum, quam suprà retulit Ammianus: aut vaniloquentia Solini, qui *vaniloquos* Gallos appellat. Sed non diffiteor, extremis Romanorum in Gallia, præsertim Belgica temporibus, Latinam eloquentiam (de qua modò non agimus) vehementer excultam fuisse: qua de re Ausonius Mosellam alloquitur:

Diodor.

Solin.

Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.

Auson.

Rem militarem respicit, quod Livius ait, *Semper armorum avidam Galliam fuisse*. Et Cæsar: *In Gallia, non solùm in omnibus civitatibus, atq; in omnibus pagis partibusq; sed pœnè etiam in singulis domibus, factiones sunt.* Et Tacitus: *Gallos in bellis floruisse accepimus, mox segnitia cum otio intravit, amissâ virtute pariter & libertate*. Vnde meritò Vopiscus in Saturnino: *Galli gens hominum inquietissima, & avida semper vel faciendi Principis, vel Imperij*. Equidem cauponantes magis bellum, quam belligerantes. *Inconsultò enim omnes Galli ad quascumq; res inexplebili cupiditate feruntur: ita neq; auda-*

Lib. 6. de Bel. Gall.

In Vit. Iul. Agricol.

Vopisc.

Dio. Cas.

daciæ, neq; timoris medium sciunt: sed cum ab audacia, in subitum metum, tum ab hoc, in temerariam audaciam ruunt, inquit Dio Cassius *lib.* 39.

Iactantiam, quam diximus, sequitur animi quædam arrogantia, quam Lib. 7. de Bello Gall. *Ostentationem*, Cæsar appellat, probarique pluri- mis, non dico hodiernis, quod est extra contro- versiam; sed veteribus exemplis potest.

Cæs.

Divico, Helvetiorum antea Dux, cum opinio- ne metuque citiùs, suorum calcibus tergoribus- que Cæsarem imminere sensisset: idque quod ipsi diebus viginti ægerrimè confecerant, ut flumen transirent, Cæsarem uno die fecisse; ad eum Le- gatos mittunt, quorum erat Divico Princeps. Is ita cum Cæsare egit: *Si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret; in eam partem ituros, atq; ibi futuros Helvetios, ubi eos Cæsar constituisset, atque esse voluisset. Sin bello persequi perseveraret; reminisceretur & vete- ris incommodi populi Romani* (prælij videlicet, quo L. Pisonem Legatum, L. Pisonis soceri Cæsaris avum, unà cum Cassio, Tigurini interfecerant, Duce Divicone) *& pristinæ virtutis Helvetiorum. Quod improvisè unum pagum adortus esset, cum hi qui flu- men transissent, suis auxilium ferre non possent. Ne ob eam rem, aut suæ magnopere virtuti tribueret, aut ipsos despice- ret. Se ita à Patribus Majoribusq; suis didicisse, ut magis*

virtute quàm dolo contenderent, aut insidiis niterentur. Quare ne committeret, ut is locus ubi constitissent, ex calamitate populi Romani & internecione exercitûs (ecce arrogantiam) *nomen caperet, aut memoriam proderet.* Ita *Cæsar lib. 1. de Bello Gall.* qui Diviconis præfidentiam prudenti Romanoque responso retudit, tametsi nihil Divico omiserit Gallicanæ indolis, dum ait: *Ita Helvetios à majoribus suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare consueverint: ejus rei populum Romanum esse testem.*

Accedit huic Vercingentorigis Ducis ostentatio, qui corpore, armis, spirituque terribilis, *& nomine etiam quasi terrori composito*, ut inquit Florus, Flor. simul omnes Gallos, Arvernos atque Biturigas, Carnutas Sequanosque festis diebus & comitialibus, cùm frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis, ad jus pristinum libertatis erexerat. Verumtamen adventante mox Cæsare, per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias & nives, contractoque ex distantibus hibernis exercitu, cùm ante in media esset Gallia, quàm ab ultima timeretur; Avaricum in primis belli caput aggressus, cum quadraginta circiter millibus propugnantium sustulit, vix octingentis, qui primo clamore audito, se ex oppido ejecerant, ad Vercingentorigem elapsis. Et licet urbis occupa-

tæ tanta ſtrages eſſet, ut ætate confectis, mulieribus, infantibuſque parcitum haud fuerit; poſtero attamen die Vercingentorix concilio convocato, conſolatus cohortatuſque Gallos ēſt, *Ne ſe admodum animo demitterent, neve perturbarentur incommodo: non virtute neq́ acie viciſſe Romanos; ſed artificio quodam & ſcientiá oppugnationis, cujus rei fuerint ipſi imperiti. Errare, ſi qui in bello, omnes ſecundos rerum eventus exſpectent: ſibi numquam placuiſſe Avaricum defendi, cujus rei teſtes ipſos haberet: ſed factum imprudentiá Biturigum, & nimiá obſequentiá reliquorum, uti hoc incommodum acciperetur, id tamen ſe celeriter majoribus commodis ſanaturum. Nam quæ à reliquis Gallis civitates diſſentirent; has ſuá diligentiá adjuncturum, atque unum concilium totius Galliæ effecturum, cujus conſenſui* (audi præfidentiam) *ne orbis quidem terrarum poſſit obſiſtere. Cæſar lib. 7. de Bello Gall. Florus lib. 3. cap.* 10.

Cæſ.

Cæſar Florus.

Quemadmodùm verò præfidentiæ & oſtentationis ſuæ, nondum fecerunt hodie jacturam; ita mordicùs veterem libidinem tenuerunt. Adſcribam quæ Plutarchus hac de re in Paralelis narrat ex Ariſtide Mileſio.

Plutarch.

Atepomarus, inquit, *Gallorum Rex, Bello Romanos infeſtans, profeſſus eſt non antè ſe receſſurum, quàm Romani ſuas uxores Gallis cognoſcendas miſiſſent. Romani conſilio Ancillarum obſecuti, has pro liberis miſerunt. Et Barbari*

ni-

nimio rei Venereæ abusu fatigati, in somnum soluti sunt. Retana, (ea princeps consilij fuerat) caprifico conscensâ, in murum evasit, remq́; Consulibus indicat. Ita Romani factâ eruptione vicerunt: atque hinc festus Ancillarum dies sumsit initium.

Contigit pariter in Gallia, quod Plutarchus in Mario scribit, dum cum Cimbris & Teutonibus, manum conserere formidaret; eos-ipsos castra Marij oppugnasse: cumque nihil proficerent, rectâ in Italiam contendisse, sexque integris diebus continenti itinere, præter castra Marij transiisse, denique per ludibrium interrogasse Romanos, *Ecquid mulieribus mandarent? se enim propediem apud eas futuros.*

Plutarch.

Verumtamen ut ista dissimulentur, tamquam moris generisque humani vitia; nondum prorsus exolevit, quod Celtarum olim fuisse testatur Athenæus, dum ait: *Celtæ quoque cum mulieres pulcherrimas habeant, magis puerilibus amoribus gaudent: ita ut nonnulli super pellibus, sæpius cum duobus catamitis concumberent.*

Lib. 13. cap. 17.

Vti verò Francorum vestem suprà dedimus; ita hic aliquid adiiciemus de veteri Gallorum. *Vestes*, inquit Strabo, *tinctas, atq́; auro variegatas gessisse.* Comam deinde Schytarum instar nutrierunt: quia ut inquit Clemens Alexand. *lib. 3. cap. 3. Terribile*

Strabo lib. 4.

Cl. Alex.

quid præ se fert densum capillitium, & flavus ille color bellum minatur, ut qui videatur cognationem habere cum sanguine.

Virg. l. 8. Ad Gallos Italicos pertinet, quod habet Virgilius:

Aurea cæsaries illis, atq; aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur, duo quisq; Alpina coruscant
Gesa manu, scutis protecti corpora longis.

LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM.

FRANCORUM sedes, ultra & cis Rhenum. Hi, Salij dicti à Salia flumine Mediomatricum. Leges Salicæ, in Campinia Brabantica conditæ. Mallus, quid? Clodius, Faramundi filius, Francorum Regni fines profert. Huic successit Meroveus, (à quo Merovingi) contra Salicam legem, quam hodierni Galli comminiscuntur. Childerico Merovei filio pulso; Galli contra Salicam, præficiunt Ægidium Romanum: quem post octennium Childericus pellit, atque Aurelianos & Andegavos subigit. Moriens Regnum Clodoveo filio relinquit, quem ex Basina Hospitis sui conjuge Fatidica, suscitaverat. Romanum interea Imperium in Occidente extinctum. Clodoveus Siagrium Ægidij filium, vincit & perimit. Subjugatâ etiam Thoringiâ, ducit Rothildim, Christianam. Cum Alemannis prælio confligens, vovet se Christianum fore, si vicerit. Baptizatur à S. Remigio. Hujus vaticinium, de magnitudine Regni Francorum. Clodoveus Alaricum Gothum superat, occidit, & Tholosam Francorum Regno adiicit, Clodoveum, Anastasius Imperator Orientis, Francorum in Gallia Regem facit: quod quia Iustinianus quadamtenus secutus est; Galliæ Regnum, Imperij ab initio beneficium probatur. Moritur Clodoveus, Regno vehementer amplificato, Parisiis sepultus.

VT ad Francos unde tantisper discessimus, redeamus, eos non tantummodò Rhenum ultra, uti diximus: sed cis, & Schaldim Mosamque inter commoratos fuisse ante Regem Faramondum, ex Ammiano Marcellino constat. Nam cum Iulianus Cæsar, Datiano & Cereali Coss. id est Anno Christi CCC. LVIII. actâ apud Parisios hieme, Alemannos nondum in unum coactos, sed in insaniam post Argentoratum audaces & sævos, prævenire maturaret: *petiit primos omnium* (verba sunt Ammiani) *Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum* (hodie **Tessenderloo**) *habitacula sibi figere prælicenter. Cui cùm Tungros venisset; occurrit legatio prædictorum, opinantium reperiri Imperatorē etiamtum in hibernis, pacem sub hac lege prætendens, ut quiescentes eos tamquam in suis, nec lacesseret quisquā nec vexaret.*

Amm. Marc.

Lib. 17.

Ex qua perinde legatione, ejusque precibus apparet, eos tum Francos, quos Salios Ammianus appellat, illâ terrarum parte, tamquam pristinis propriisque sedibus incubuisse. Eapropter uti Francos ultra Rhenum, Ansivarios subinde idem Ammianus appellat, & perspicuè *lib. 20.* dum ait: *Rheno deinde transmisso, regionem subitò pervasit Francorum, quos Ansivarios vocant, inquietorum hominum, licentiùs etiam tunc percursantium exti-*

Amm. lib. 20.

tima Galliarum; ita Francos Cisrhenanos, nominat Salios.

Porrò Salij, à flumine Mediomatricum Salia, propè quem transito Rheno Franci, sive jubentibus Romanis, sive vi factâ, & deinde prolato longiùs ad usque viciniam Tungrorum imperio pomærioque, ut suprà Ammianus insinuat, incoluerunt; cognomentum habent. Fluvius is, oritur à Lindrio lacu, atque infra Civitatem Metensem Mosellæ miscetur: ut perinde Saliis cognomen initio fecerit, quemadmodum Eburonibus Vrta, Haina Hannoniis, Mosella Mosellanis, Moguntiaco Mogonus aut Mogus, qui hodie Mœnus. A fluminibus enim, propter quorum ripas habitarunt, plerique Lotharienses populi dicti sunt.

Apud Salios, condita lex est, quæ Salicæ nomen inde tulit, regni Faramondi ferè initio. Ita enim Sigebertus ad Annum CCCC. XXII. *Franci, uti cœperunt legibus, & legem Salicam dictaverunt, per quatuor gentis suæ Proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus, Vsogast, Bosogast, Salagast, VVidigast, in Villis Germaniæ Selehaim, Bodehaim, VVindehaim. Hi quatuor Proceres, per tres mallos convenientes, caussarum origines sollicitè tractantes, de singulis discutiendo, sicut Lex Salica declarat, judicare decreverunt.*

Sigeb. An. 422.

Et

Et quoniam in tractu Campiniæ nostræ Brabanticæ, Germaniæ secundæ sive inferiori attributæ, satis luculentis vestigiis, dicti etiamnum Pagi exstant, puta **Seilheim / Bodersheim** & **Wonderhoven**; haud est de nihilo quod Godefridus Vendelinus existimat, Salios qui hic loci resederunt, legis Salicæ esse auctores. G.Vend.

Quare uti unius Romani populi, Romanæ leges sunt; ita Salicæ solummodò Saliorum: vel si mavis Francorum cis & ultra Rhenum. Ad eos igitur Gallos, quibus hodie præter nomen Francorum nihil superest, neutiquam pertinent. Observarunt quoque alij, etiam Galli, de privato Patrimonio tantùm, & Allodiis, legem Salicam agere, non de Feudis, aut de Regni successione: adeoque ad Populi regimen, ejusque tranquillitatem & concordiam, conservationem jurium, criminumque vindictam, editam esse.

Mallus autem, dum per tres Mallos convenisse Francorum Proceres, Sigebertus scribit, Placitum majus sive celebrior cōventus est, quo majora negotia, sive à gentis alicujus Proceribus, sive Comite ad Pagum aut Provinciam misso, maturè discussa finiebantur. Atque hinc Admallare, est citare coram judice, vel ad locum illum, in quo judicia fiebant. Bignon.

Fa-

An. 430. Faramundi regnum, Filius Clodius, cognomento Capillatus excepit, secundus Francorum ultra & cis Rhenum Rex. Is regni sui sexto, id est Salutis cccc. xxxvi. Tornacum obtinuit primò, & inde Cameracum: adeoque Principatum, intra Rhenum Schaldimque, ad Somonam usque prorogavit. Alij hos limites transgressum etiam scribunt, (quod existimo postea evenisse) & non solùm in Batavos, Teroanos, Morinos; sed & Belluacos, & quidquid his ditionibus interjacet, ultraque Sequanam & Ligerim, Imperium protulisse. *Funccius in Chron.*

Gregor. Turon.

Funcc.

Ita gentium domitor & victor Populus Romanus, sensim à Barbaris pelli cœpit: imò qui propè victi antea fuerant, majori fœnore res, pristinas recuperare. Neque tamen diffiteor, Francos interea perpetuos & quotidianos Romanorum hostes, aliquas ab his clades tulisse, Aëtio & Majoriano Ducibus Romanis, quod Prosper & Sidonius indicat, dum ait Panegyrico ad Majorianum:

Prosp. Sidon.

—— Post tempore parvo
Pugnâstis pariter Francis, quà Cloio patentes
Atrebatum terras pervaserat.

Successit Clodio Meroveus, à quo posteri Reges, Merovingi appellati. Et quamquam de stirpe

Gregor. Turon.

Clo-

Clodij fuit, sive ex ea ortus, sive insitus in eam: (alij enim cognatum, alij affinem faciunt) filium tamen non extitisse, satis in primis constat. Vetus Codex Conciliorum & Capitulorum, alterius Merovei Filium fuisse asserit: ut in hoc Rege, planè & clarè concidat effatum Franco-Gallorum recentium, qui legem Salicam in successione masculi propinquioris (siquidem Clodius Filios habuit) jam ab ipsis regni incunabulis obtinuisse, toto ore clamant.

Cod. Conc.

Tradunt Meroveum hunc, amplificato in Gallia, Francorum regno, Aëtio Duci Romanorum contra Attilam, qui Romanum Imperium exscindere moliebatur, auxilia, misisse: cujus Filius & heres Childericus, ob flagitia ac libidines Francis invisus, sibique metuens, ad Thoringos profugit.

Gag. Æmil.

Gregor. Turon.

Quo tempore Franci, cùm Ægidium Patritium Romanum Romanorumque Ducem, regnare apud se, sive jusserint sive passi sint (octo enim Annis regnavit) sanè legis Salicæ, iterum prævaricatores tantisper extiterunt. Etenim post octavum Ægidij annum, revocàtus ad regnum Childericus, & à suis receptus; Ægidium acie superatum, ad urbem Suessionum fugere compulit, jure ut apparet, uxorio àd se pertinentem: ac deinde

Gregor. Turon.

Aurelianos & Andegavos ſubegit. Annis demum viginti quatuor exactis, regnum Clodoveo reliquit, quem ex Baſina Thoringorum Regis, ſui olim hoſpitis filia, vel ut alij conjuge (malè remuneratus hoſpitium) ſuſceperat.

Memorabile eſt quod de Baſina, Scriptores ſive referunt, ſive fabulantur. Cùm videlicet Childericum in Gallias reductum, bellicoſiſſimè imperare accepiſſet, eum adiiſſe his verbis: *Maritum effeminatum deſero, te Regem Martialem ſequor: alium ſi quem magis ſtrenuum noſſem, ſecutura.* Childericum igitur Baſinam, ſibi copulaſſe, ſed quæ primâ nuptiarum nocte, juſſerit eum ad Arcis portam, venerem evigilare, quidquid ibi tum viderit, enarraturum. In illo pervigilio retulit, primùm ſibi viſos Leones, pòſt Vrſos, denique Canes. Cui fatidica Baſina reſpondit: *Tales futuros omninò Francorum Reges.* Videndus Gregorius Turon.

Freij.

Lib. 2. Hiſt. c. 12.

Sed in primis Aimoinus, apud quem prodigioſa Childerici ſpectra, Baſina exponit his verbis: *Has, mi vir corde pelle curas, & quæ dicam, intentâ percipe mente. Etenim non tantùm præſentium acta rerum, quantùm futurorum eſt oſtenſum præſagium. Nec te formas animalium, uti ante pedes vidiſti poſitas, dignum eſt perpendere: ſed potius in his poſteriorum mores, & actus noſtrorum, oportet proſpicias.*

Aimoin. lib. 1. c. 8.

No-

Nostro namq; qui primus surget à semine, filiiq; censebitur nomine, insignis erit potentiæ, quem Leonis vel Unicornis, conspexisti in speciem. In figura sanè Lupi ac Ursi, signantur ipsius posteri, virtute prævalidi rapinæq; avidi. At Canis libidinis impatiens, nulliusq; virtutis, humana sine esse ope prævalens, eorum præsagit ignaviam, qui ultimis in sæculis, hujus Regni potientur sceptris.

Porrò minorum turba animalium, semetq; invicem lacerantium; populus est sine timore Principum: qui dum Regni Primoribus, mutuo sese odio impugnantibus, obsequitur attentiùs, variis sese implicat caussarum tumultibus: dumq; Proceres alterutris sese moliuntur privare honoribus, illis ignobile vulgus favendo, patet sine numero cædibus.

Romanum interea Imperium, quod ab Augusto olim cœperat, in Augustulo (Momyllum alij vocant) per Occidentem, postquam diu laboraverat, extinctum est: Herulorum primùm & Ostrogothorum, ac Longobardorum Regibus, Romam exinde & Italiam tenentibus, annis circiter trecentis triginta. Anno 476.

Clodeveus, primis Regni sui Annis, Siagrium Ægidij Romani Comitis Filium, Suessionibus imperantem, prælio devicit: & paullò pòst ex fuga retractum, quam ad Alaricum, Visigothorum in Gallia Regem ceperat, occidit. Mox subjugatâ Thoringiâ, Rothildim Filiam Chilperici, Gregor. Turon. Flodoard. lib. 1. c. 13.

Fratris Gundebaldi Burgundionum Regis, conjugem ſumſit. quæ cum Chriſtiana eſſet, communes liberos, etiam nolente marito, baptizari fecit: nihil non agens, ut & eum ad Chriſti fidem perduceret: quod demum accidit.

Anno 496.

Anno enim cccc. xcvi. cum priſtinarum cladium, quas à Clodoveo Thoringi acceperant, obliti Alemanni viderentur; novum Francorum Regnum turbaturi, in ſecundam Germaniam,

Gregor. Turon. Aimoin.

Tolbiacum uſque, qui Vbiorum vicus eſt (nunc Zulligh) progredi, inſtructis cohortibus auſi ſunt. Tanto hic periculo Francorum pugnatum eſt, ut nihil Clodoveo Regi ſuperfuerit, quàm ad divinam opem confugere: cujus tum, apud Martiales præſertim animos, præcipua ſolet eſſe cura, cum ſalutis ſpes nulla eſt.

Itaque promittit ſe Chriſtianæ pietati, nomen daturum, ad quam Rothildis uxor Burgundica (ut videas Burgundiones tum Chriſtianos fuiſſe) toties fruſtráque illum adhortata fuerat, ſi de imprimente hoſte, victoriam reportaret. Adfuit ſtatim invocanti ex animo Chriſti numen. Vidiſſes labentes Francos, rurſum erigi: verſos in fugam, redire: conglobari diſperſos: totáſque acies in prælium reſtitui. Fatigatos contrà Alemannos, fortuna diſtituit: terga vertunt, & in-

nu-

numera millia à Francis, occidione delentur.

Adeo enim insequente Clodoveo, eo bello attriti sunt, ut mox Theodoricus Ostrogothorum in Italia Rex, & Clodovei gener, cui federe conjuncti erant, litteras legatósque ad eum dederit, quibus Alemannicis reliquiis, *temperamentum & clementiam Francorum exposcebat.* Exstant eæ Litteræ apud Cassiodorum, *lib. 2. variarum in fine*: & inter Epistolas Francorum Regum. Cassiod.

Quare secundùm victoriam hanc, in Remorum urbe à S. Remigio, Clodoveus baptizatus est, Anno regni decimoquinto, cum duabus Sororibus, & tribus militum millibus, præter mulierum & parvulorum numeros. Accessit deinde ad Christi Fidem, & ab eodem S. Remigio baptizatur, omnis Francorum populus: postquam Ragnacharius, Cameracensis sub Clodoveo Regulus, vinctus ei traditus est & interemtus. S. Rem. Gregor. Turon.

Ferunt per id tempus, pridie nimirùm suscepti baptismi, juxta Flodoardum, cum salutaribus monitis Clodovei animum, Remigius instrueret; prophetico spiritu prædixisse, hoc Regnum, quod jam in Gallia Franci fundaverant, vehementer augendum, Ecclesiam Romanam, per id exaltandam: quod tum Martellus & Pipinus fecerunt, tum Carolus cognomento Magnus, ne quis fortè Flodoard.

credat recentibus Gallis, id à se suisque Regibus præstitum, immane quantùm jactitantibus, cùm ea res solos potissimùm Francos, Germaniæ & Belgij populos concernat, è quibus adeò Clodoveus originem duxit, ut id S. Remigium haud latuerit, qui lustralibus eum undis abluturus, his usus sit verbis: *Mitis depone colla Sicamber*: & ipsi quos diximus, uti apud Austrasios in Eburonibus, orti vel oriundi sunt; ita vitæ maximam partem, & ferè mortem obierunt.

Quod Remigius Clodoveo prædixerat, effectu successuque non caruit. Postquàm enim res Francorum, supra majores suos plurimum auxisset; Alaricum Visigothorum in Gallia Regem, & in Hispania latè dominantem, in campo Vocladensi, decimo à Pictavorum urbe milliari, vincit, & suâ manu obtruncat. Victoriam porrò prosecutus, quidquid Gothici trans Ligerim Rhodanumque fluvios, juris erat, cum Tholosa regno Francorum adjecit: solâ Narbonensi primâ Provinciâ, penes Gothos relictâ, in qua nominis Gothici vestigia, in hodiernum usque manent.

Anno 507. Gregor. Turon.

Subactus est cum Alarico, Apollinaris Arvernorum præfectus: ipseque Anastasius Imperator Orientis, cognitis rebus à Clodoveo gestis, Patriciatus Consulatusque codicillis eum donavit, nec

Gregor. Tur. l. 2. cap. 38.

nec non aureâ regni coronâ, quam in S. Martini Basilica Turonensi, tunicâ blatteâ (purpureâ) & chlamide indutus, vertici suo (absente nimirùm ad quem id spectabat Imperatore) imposuit: ac pôstremò Parisios veniens, eam sedem Regni delegit.

Quod si caussam libet inquirere, cur ea quæ dixi, Clodoveo Anastasius præstiterit, non aliud equidem occurret, quam jure suo, quod in Galliam habebat, uti voluisse. Cùmque Francorum Germanorum potentia, eò jam pervenisset, ut æquis viribus & armis, cùm præsertim nullus esset in Occidente Imperator, supprimi sistique haud posset; Galliæ Regem Clodoveum creasse: quemadmodum ab Annis centum circiter anteà, Honorius Imperator, deliberato consilio, Hispaniæ Galliæque partem, Gothis tradiderat, imò & Burgundionibus, in eadem Gallia, sedes assignaverat.

Fauchet. l. 2. c. 22.

Iornand. Sigeb.

Vt autem id solus haud videatur Anastasius præstitisse; eódem facit (etsi posteà contigerit) quod scribit Procopius *lib 3. de Bello Gothico: Galliarum partem suæ quondam ditionis, in belli Gothici principio, Vitigem Germanis* (id est Francis) *tradidisse, cum minùs se posse existimarent, Romanis simul & Germanis resistere. Quod sanè factum, non modò Romani non interpellarunt; sed ut*

Procop.

ut Gallias sibi Germani haberent, Iustinianus ultrò permisit. Non enim illi, has tutò se possessuros rebantur, nisi & Imperator decreto suo confirmasset. Ita Procopius, & ex eo Wolfg. Lazius *lib 3. de migrat. gent.* qui & inde factum ait, *Vt ex eo tempore Principes Germanorum, Massiliam Phocensium quondam Coloniam, & cetera circa id mare loca, tenuerint.*

Wol. Laz.

Ex quibus apparet, Galliæ Regnum, Imperij Romani beneficium esse, Regemque Imperatori subjectum. Iusque regnandi, deficiente quomodocumque herede legitimo, ad Imperatorem devolvi, dissipatis legis Salicæ nebulis, in qua præsidium hactenus, veluti in quodam Regni Palladio, statuere Galli solent.

Clodoveus, Childerici Filius, Merovei Nepos, Francici Regni fines adhuc angustos, neque statos hactenus, devictis Romanis, domitis Alemannis, & novissimè ditionum Cameracensis & Coloniæ Agrippinæ, Regulis: profligatis Gothis, repressis. Burgundionibus, dilatavit: Regnique Anno trigesimo, Diademate Romam misso, quo Sedem Apostolicam veneratus est; moritur, Parisiis sepultus, in Ecclesia SS. Petri & Pauli à se exstructa.

Aimoin. Anno 511.

LIBER QVARTVS.

BREVIARIUM.

CLODOVEO, quatuor filij in Regnum Patris quadripartitum succedunt. Suum, singuli, ut possunt, amplificant: Armis, successione. Hác, Clotarius, totâ integrâ Monarchiâ potitus, filiis iterum quatuor, quadripartitam relinquit. Quæ, rursus unita, rursus divisa; tandem in Childerico Tertio desiit, & ad Pipinum. Zachariæ Papæ auctoritate, pervenit, cum jactura Salicæ, quia Pipinus, Merovingus non erat. Hic, novâ cæremoniâ ungi cœpit. Austrasia. Ejus populi. Pòst dicta Lotharingia: Lothariense Regnum: media Francia. Neustria, sive Westrasia. Regnum Parisiense; Suessionense: Aurelianense, cum populis suis. Quæ omnia, Regnum Francorum sunt: quod porrò Carolus Magnus, magis auxit.

PATRIS Regnum, quatuor Filij, uti tunc moris erat, inter se partiti sunt, locisque quatuor diversis regnarunt. Theodoricus Metis in Austrasia, Clodemirus, Aurelianis, Childebertus, Parisiis, & Clotarius, Suessione.

Gregor. Turon. Ritius.

Theodoricus, Thoringiam Francorum Regno adjecit, & Theodebertum genuit: Theodebertus Theodebaldum, sine Liberis defunctum.

Childebertus & Clotarius, Burgundiam: & cum Theodeberto, Provinciam acquisierunt.

Clodemiro mortuo, tres fratres, Theodoricus, Childebertus & Clotarius, successerunt: ipséque Clotarius ceteris fratribus superstes, totius Regni Monarchia potitus est, quam inter se

iterum quatuor ejus filij, Charibertus Parisiorũ: Guntramnus, Burgundiæ: Chilpericus Sueſſionis, & Sigebertus Auſtraſiæ Reges, diviſerunt. In cujus perinde Clotarij linea, Francorum regna, ſæpiùs etſi commutata, rurſúſque unita, manſerunt, uſque ad Childericum Tertium, hujus ſtemmatis ultimum, in quo pariter ſtirps maſcula Merovingorum defecit, uti pòſt dicemus.

Cùm enim poſteriores Merovingici ſanguinis Reges, deſidiæ & inertiæ dediti, adeóque palatiis clauſi, ut ſemel quotannis dumtaxat, primâ die Maij populo ſeſe videndos exhiberent, ſolo diademate titulóque cenſerentur: ipſi verò Majores Domus, ut tum appellabant, ſive Aulæ Præfecti, regni munia domi foríſque, pace & bello obirent; eos inter Pipinus Martelli filius cognoměto Brevis, acer armis & induſtriâ, quique originem ſuam à Clodoveo petebat per Blithildem Clotarij filiam, Clodoveï Neptem, Romam miſſis Legatis, Burchato Wirtziburgenſi Epiſcopo, & Folrado Presbytero Capellano, Zachariam Papam orat, ut decernat; *Quis juſtè Rex eſſe debeat, an is qui domi ſegnis & ſecurus ſedet, an ille qui curam totius Regni gerat.* Eò enim jam pervenerat ignavia Francorum Regum, ut per ineptiſſimam fabulam, dicerentur porcorum inſtar ſetoſum tergum habere: ut hinc appellati ſint *Trichorachati.*

Annal. Pith.

Theoph. V. Hoto. Francogall. c. 9.

Erant

Erant & ipsi Regni Proceres Pipino affecti, & inertiam Regum suorum, ut dixi, exosi. Ob hoc & anteà Martello licuerat, septennio propè integro, vacuum Franciæ solium tenere, cui tandem pro arbitratu filiorum Martelli, Childericus Præfectus, ut mox dicemus, cedere Pipino jussus est. Etenim Zacharias Papa, ex auctoritate S. Petri, ut Annales Pithœi loquuntur, Francorum populo mandavit, *ut Pipinus, qui potestate regiá utebatur, nominis dignitate pariter frueretur.*

Annal. Pith.

Ita Merovingis, abrogatum Imperium est, & Childericus, Monachus effectus in Monasterio Bertinensi: Pipinus in Vrbe Suessionensi Kalendis Maij, Anno DCCLII, à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, Zachariæ Papæ non per Baioariam solùm, sed & per Galliam omnem Legato, in Regem unctus: cærimoniâ novâ, quámque præcedentes è Merovingis Reges neglexerant. Quamquàm enim oleo cælitùs à Columba allato, Cledoveus à S. Remigio fuerit delibutus; ea tamen unctio non Regis, ut olim in veteri Testamento, sed baptizati hominis fuit; teste Faucheto Historico Gallo.

An. 752.

Fauch.

Nulla tum Salicæ legis, contra Pipinum auctoritas, obstaculum nullum, vel solâ cogitatione injectum: qui tamen è Francorum sanguine,

 non

non per Maris, ſed Feminæ lineam, ſucceſsioni ut hodie volunt inhabilem; deſcendebat.

Auſtraſia. Porrò Auſtraſia, cujus ſedes primaria erat Vrbs Metenſis: quámque S. Remigius in teſtamento ſuo Auſtriam appellat, Teutones Oosterreich/ (quia porrigebatur in Orientem, quemadmodum in Occidentem Neuſtria ſive Weſtraſia) à Burgundionum finibus uſque ad Mare Friſium, inter Rhenum, Moſam & Schaldim, latè patebat. Cenſebantur in ea Mediomatrices, Treviri, Vbij, Clivij, Gelri, Brabanti, Hannones, Hollandi, Zelandi, Hasbani, Eburones, Tungri, Limburgenſes, Iuliacenſes, Luxemburgenſes: denique Moguntiacum, Alſatia, Lotharingia, Palatinatus Rheni, & Arduenna.

Lotharingia. Lotharienſe Regnum. Media Francia. Eadem ditio, Lotharingiæ nomen deinde accepit, à Lothario Ludovici Pij nepote: & dicta pariter Lotharienſe Regnum: nec non Media Francia, quod duas inter, puta veterem ultra Rhenũ, & novam, quæ juxta nonnullos, Neuſtriæ nomen ideo habuit, clauderetur. Quapropter ex Catalogo Regum Merovingicorum, facilè eſt colligere, quinam fuerint Brabantiæ noſtræ olim Domini, priuſquam ſive Comitatus ſive Ducatus, Beneficiarij vel Hereditarij, titulo, ſicque proprio & particulari Principe donaretur.

Brabãtia Auſtraſiæ pars.

Iam

Iam & Neuſtria, Francia à novitate nuncupata: Weſtraſia etiam, quod in Occidentem vergeret. Regnum in ea Pariſienſe, quod Regum ipſius Sedes, Pariſiis eſſet, complectebatur Pictones, Cenomanos, Turones, Campaniam, Andes, Aquitanos, & Arvernos.

Neuſtria. Weſtraſia. Regnum Pariſiēſe.

Regnum Sueſſionenſe, Veromandos, Picardos, Flandros & Normannos. Quare errant, qui Normanniam, nonnumquam Neuſtriam appellant. Verum quidem eſt Neuſtriæ partem, quam Carolus Craſſus pactione Normannis ceſſit, Normanniam, à novis è Septemtrione incolis, nominari cœpiſſe; ſed ea Neuſtriæ pars dumtaxat, ab Epta flumine, ad Britones extenſa, non tota Neuſtria fuit.

Regnum Sueſſionenſe. Normannia.

Aurelianenſe denique Regnum, habebat in primis eum tractum qui nunc Aurelianenſis Ducatus eſt, Burgundiam, Lugdunenſes, Provinciam, Delphinatum, uſque ad Mare Mediterraneum. *Andreas Cheſn.*

Regnum Aurelianenſe. Cheſne.

Erat uti latiſſimum, ita potentiſſimum Francorum in Gallia Regnum: quod deinde multò majoribus incrementis, Pipinus & Carolus auxerunt. Eginharti, quibus id de Carolo Magno exprimit, verba ſunt: *Carolus Regnum Francorum, quod poſt patrem Pipinum, magnum quidem & forte ſuſceperat,*

Eginhart.

ita nobiliter ampliavit, ut pœnè duplum ei adjecerit. Nam cum prius non amplius, quam ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim, Oceanumq; & mare Balearicum jacet: & pars Germaniæ, quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumq; ac Salam fluvium, qui Thuringos & Sorabos dividit posita, ac à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur: & præter hæc Alemanni atque Baioarij, ad Regni Francorum potestatem pertinerent; ipse primò Aquitaniam & Vasconiam, totumq; Pyrenæi montis jugum, & usque ad Iberum amnem (qui apud Navarros ortus, & fertilissimos Hispaniæ agros secans, sub Dertosæ civitatis mœnibus, Balearico miscetur mari) deinde Italiam totam, quæ ab Augusta Prætoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum & Beneventanorum constat esse confinia, decies centum, & eo ampliùs, passuum millibus, longitudine porrigitur: Tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica est: utramque Pannoniam, & oppositam in altera Danubij ripa Daciam: Istriam quoque & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo fedus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit: deinde omnes Barbaras & feras Nationes, quæ inter Rhenum & Vistulam fluvios, Oceanumq; & Danubium positæ, Germaniam incolunt, ita perdomuit; ut eas tributarias effecerit. Inter quas ferè præcipui sunt VVelatabi, Sorabi, Abotriti, & Boëmani. Cum eis namque conflixit: cæteras, quarum multò major est numerus, in deditionem accepit. Ita Eginhartus.

LIBER QVINTVS.

BREVIARIVM.

RACHIS Longobardorum Rex, Monachus factus, Aistulpho fratri, Regnum legat: qui occupato Exarchatu, Pontificem Romanum tributis vexat, contra pacta conventa Exarchæ, qui ? Vexatus Pontifex, cum nullum ab Imperio Orientis, cui Iconomachi præerant, auxilium speraret, Pipini opem poposcit: qui Aistulpho ad pacem compulso, Exarchatum & Pentapolim, Romanæ Sedi tradidit. Ex quo videsis Germanos, non Gallos, Sedem ditasse. Pipino, Carolus filius successit, Ingelhemij ad Rhenum natus; atque ita ne loco quidem natali, Gallus. Is, Desiderium Longobardorum Regem, & Romanæ Sedis hostem, Regno multat, & in exilium mittit. Patris donationem, confirmat & auget. Saxonum ferociam, longissimo bello domat. Episcopatus in Germania fundat & erigit. Ædes item sacras. Historiarum & Artium liberalium peritus, (Græcè & Latinè doctus ipse) earum scholas aperiri jubet. D. Augustini, ejusque Librorum de Civitate Dei, admirator: Idioma Germanicum, uti Germanus excolit, & nomina Mensibus facit Magnus à virtute, non statura dictus, quam pulchram, non gyganteam habuit. Ecclesiæ & Adriani Pontificis vindex: à quo Imperator factus, populi Romani acclamatione. Francorum Regum potentiâ territi Græci. Nicephorus, qui tum Orientis Imperator erat, cum Carolo Orbem Romanum divisit, his usus fatidicis verbis: Τον Φράγκον φίλον ἔχης, γείτονα ὀυκ ἔχης. *Francum amicum habeas, vicinum non habeas.*

PIPINO ad sceptrum evecto, cùm Aistulphus, cui Rachis Frater, ad vitam Asceticam transitu facto, Longobardiæ regnum in Italia legaverat: occupatâ Ravennâ, ceterísque Exarchatus oppidis, minis & expilationibus Romanos vexaret; Stephanus Pontifex ad Pipinum in Galliam, petiturus auxilia contendit.

Anastas. An. 754.

Erant

Exarchæ. Erant Exarchæ, Imperatoris Constantinopolitani in Italia Vicarij sive Legati, à Iustino juniore Iustiniani nepote instituti, qui neglectâ Româ, Ravennæ Curiam & domicilium habebant: & quas nondum Longobardi civitates occupaverant; per se, sive Præfectos suos gubernabant.

Cùm igitur in potestatem suam, Aistulphus Ravennam redegisset; id omne quod Exarcharum antea fuerat, voto complexus est; ipsique Romæ tributum imposuit, quod Stephanus excussit.

Pridem Leonem Isaurum Imperatorem Orientis, Iconoclastam, ejusque hæresis & furoris auctorem, tum ideo, tum quod Episcopos, qui imagines defendebant, alióque, cædibus & exiliis multavisset; Gregorius II. Pontifex anathemate percusserat: & Romanos reliquósque Italos, ab illius obedientia, & tributorum pensione solverat. Hæc quidem prætexi caussa poterat, cur Aistulpho quod petebat, Stephanus negaret, tametsi Ravennam teneret: nisi anteà initi federis pactis legibus, obligatum sibi Stephanus Aistulphum tenuisset.

Hoc perinde federe fretus, Aistulpho tributum Stephanus negavit: cúmque contra immoderatam dominationem ipsius, nulla ab Oriente spes super-

ſupereſſet; ubi Conſtantinus Copronymus, Pontifici Catholicæque fidei infeſtus imperabat, à Francis auxilium popoſcit.

Pipinus, qui beneficio Eccleſiæ Rex erat, opem addixit: omniúmque ordinum conſenſu, expeditione decretâ, bis Regni viribus ſuccinctus, perfringit Alpes: bis denique Ticinum obſidet, ipſúmque Aiſtulphum ad pacem & federa, non tantummodò compellit, ſed Exarchatum etiam & Pentapolin, quæ Anconam, & quatuor alias Piceni Vrbes continet, Pontifici tradere jubet.

An. 756.
Adelm.

Aderant ibidem Imperatoris Conſtantinopolitani Legati, qui ut ea loca, quæ Longobardi Imperio ademerant, Pipinus reſtitueret, poſcebant. Atqui reſpondit Pipinus, *Non eò ſe fatigaſſe ſumtibus, belliq; laboribus, ut Imperium defenderet aut reſtauraret; ſed ut quod Longobardis eriperetur, id D. Petri eſſe juberet.*

Anaſtaſ.

In hac benevolentia Pipini Regis, ergà Apoſtolicam Sedem; firmius validiúſque jus eſſe Pontificibus, ad ea, quibus etiamnum incumbunt, quàm in Conſtantini Magni donatione; Gallici Auctores ſcribunt. Qua in re, nolumus diſceptationis funem trahere; ſed ſufficere arbitramur, eos eſſe Germanos, qui opem laboranti Eccleſiæ tulerint, non Gallos: & S. Remigij vaticinium,

 cujus

cujus antea meminimus, noſtratibus imputari, non iis, qui de eo inaniter gloriantur.

Quare uti Carolus Martellus, Luithprandum Longobardorum Regem, ab oppugnanda Romana Vrbe, vexandóque Pontifice, virium ſuarum armorúmque famâ deterruit; ita Pipinus Aiſtulphum, non tantummodò repreſſit, ſed æternis opibus, quas etiamnum poſſidet, Sedem Apoſtolicam ditavit.

Polyd.

Pauculis ante hæc annis, puta DCC. XL. Inas, Occiduorum Saxonum in Britannia Rex, Regnum ſuum Romano Pontifici vectigale fecerat, ſingulis argenteis nummis, quos Denarios vocant, in ſingulas domos impoſitis. Quod idem non multò poſt, ſecutus eſt Offa Rex Merciorum, in eadem Inſula: imò ſcribentibus nonnullis, auxit Athulphus, qui totius ferè Inſulæ Imperium obtinuit: ut eo ſæculo, Sedes Apoſtolica, fuerit ab Aquilone, vehementer culta.

Annal. Pith.

Pipinus poſtquàm deinde Alemanos, Baioarios & Aquitanos, potiſſimùm Eccleſiæ tuendæ ſtudio, ſepties ad minus in eos cum exercitu profectus, domuiſſet; vivendi regnandíque finem faciens, Carolum cognomento Magnum, virtutis & pietatis ſuæ, mortem poſt biennium oppetente Carlomano, heredem ex aſſe habuit.

Eum

Eum in Thuringia, Bertha Mater concepit, peperit Ingelhemij ad Rhenum: ut in eo nihil habeant Galli quod vindicent, præter diadema, quod ibi gessit, & Imperium, quod adeptus est.

Princeps & armis invictus, & doctrinarum excultus studiis, earum fautor egregius fuit: & Catholicam Religionem, ejúsque caput Pontificem Romanum, unicè coluit. Adriani enim qui Stephano successerat, precibus adductus, contra Desiderium qui Aistulpho Comes stabuli fuerat, Longobardorum Regem, Romanæ Sedis hostem bellum suscepit, Anno DCC. LXXIII. ac Ticini obsessum & in potestatem redactum, Anno sequente Leodium in exilium misit, ad Agilfridum ejus loci Episcopum. An. 773.

Hic finis Regni Longobardorum in Italia, à ducentis & sex annis, postquàm ab Narsete, contumeliosis Imperatricis Sophiæ litteris irritato, istùc è Pannonia, Duce Alboino, migrassent.

Verumtamen Romano Pontifici, cùm omnia quæ à Pipino patre donata erant, rata esse Carolus voluit; tum adjecit alia quàmplurima. Sabinénse territorium, Spoletinum Ducatum & Beneventanum, quæ ab Anastasio referuntur: iisque Venetiarum & Istriæ, adscribuntur Provinciæ. Anastas.

Infinita bella strenuè confecit. Aquitaniam,

 Vas-

Vaſconiam, Britones, Suevos, Baioarios, Hunnos, Danos, Bohemos, Iſtros, Dalmatas devicit. Longiſſimo bello, ac propè continuo annorum trium & triginta, Saxonum ferociam perdomuit, & ſedes mutare coëgit, ſupra decem eorum millibus, in Brabantiam Flandriámque tranſlatis. Saracenis in Hiſpania debellatis, partem ejus haud modicam, Francicis ſubegit armis: & priuſqũam hoc bellum adoriretur, Ordinem parium Franciæ inſtituiſſe, Ganguinus ſcribit, quod alij ad Hugonem Capetum referunt.

Ganguin. lib. 4.

Multas Epiſcopis Sedes, in Saxonia poſuit: Monaſterienſem, Mindenſem, Halberſtadienſem, Werdenſem, Hamburgenſem, Hildeshemienſem, *&c.* Sacras ædes in regno ſuo vetuſtate collapſas inſtauravit, quaſdam à fundamentis erexit, in iis Templum Aquiſgranenſe, allatis Româ & Ravennâ columnis.

Eginhart.

Hiſtoriarum Lectione oblectabatur: Linguâ Latinâ expeditè orabat. Rhetoricam, Dialecticam, Mathematicam; pluréſque diſciplinas, ſuas fecerat: ſcribere tamen ei difficile fuit. Legendi & pſallendi artem emendavit: in Monaſteriis & Epiſcopeiis, conſtituit ſtudia Grammaticæ, Muſicæ, Arithmeticæ, imò & Græcarum Litterarum in Eccleſia Oſnaburgenſi, ut ad uſum Legationum

num in Orientẽ mittendarum, pueri erudirentur. Scholæ publicæ tum Parisiis, Ticini & Bononiæ, sive inchoatæ sive restauratæ, per optimos doctissimósque viros, qui eo fine ad Carolum peregrè advenerant.

Polyd.

Libris D. Augustini de Civitate Dei, haud immeritò delectatus, cum ejuscemodi duodecim Sacerdotes, qualis Augustinus fuit, apud se habere optasset; *mitiùs ô Rex*, inquit Alcuinus, *non tot habuit Christus Rex universi.*

Idioma vernaculum minimè neglexit. Mensibus & ventis, nomina Germanica imposuit, cum ante id tempus partim Latinis, partim Barbaris Franci uterentur. Patrij deinde moris adeo tenax, ut petentibus Adriano & Leone Pontificibus, vix Romanum habitum admiserit.

Hisce virtutibus & actis, Magni cognomen tulit, non staturâ, quam propè gygantæam quidam faciunt: decorus ac procerus potiùs, quàm vastus aut immanis.

Eginthart.

Eginharti verba sunt: *Corpore fuit amplo atque robusto, staturâ eminenti, quæ tamen justam non excederet. Nam septem suorum pedum proceritatem, ejus constat habuisse figuram. Apice capitis rotundo fuit, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paullulum mediocritatem excedente, canitie pulchrâ, facie lætâ & hilari: undè formæ auctoritas ac dignitas, tam stanti quàm sedenti, plurima inerat.* Nul-

Nullo pulchriori facinore, Carolus pietatem professus est, quàm quod Ecclesiæ caput, sicque Romæ, Principem restituit. Leo Tertius, qui Adriano successerat, factione quorumdam, qui ferre non poterant vitia sua, à Sanctissimo Præsule exagitari; oculis linguáque mutilatus fuerat, dum Litaniam publicâ processione obiret. Et quamvis inusitato prodigio, Deus illi oculos ac linguam restituisset; sceleris attamen atrocitate permotus Carolus, cum debito prius comitatu, Pontificem ad se profectum, Romam remisisset; habito Moguntiæ conventu, paullò pòst secutus est.

Hîc, cùm innocentissimus Pontifex objecta crimina, jurisjurandi formulâ conceptâ, sponte diluisset; ipso Natalis Dominici die Anno DCCC. nec opinantem invadens Carolum, coronam capiti ejus imponit, ac Romanorum Imperatorem salutat. CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA; acclamatum est à cuncto populo Romano: & Imperij insignia, quæ cum Momyllo nuper desierant, renata sunt, inque Francica, id est Germanica gente resplenduerunt. Habita insequente mox anno de parricidis, qui Pontifici vim

Anno 800.

Adelmus.

vim intulerant, quæstio est: damnatíque capitis Clerici, eodem deprecante solum vertêre, in reliquos, gladio animadversum.

Altero post adeptum Imperium Anno, mortuáque Turonis Hildegarde conjuge, Irenen Orientis Imperatricem, per legatos uxorem Carolus poposcit. Non erat ab his nuptiis aliena Irene; nisi occupato Nicephorus Imperio, & relegatâ muliere in Lesbum, ubi anno nondum vertente exspiravit; totius orbis Principatum, novo Imperatori invidisset.

Anno 802.

Zonar.

Ex quo enim Aistulphum Longobardorum Regem, Pipinus non tantummodò represserat, sed etiam compulerat Exarchatum & Pentapolin, Romano Pontifici cedere; Francorum potentiam habere suspectam, Græci cœperunt: ipsúmque Carolum ad Imperium erigi se passum, Nicephorus indignè tulit. Verùm indignationem ipsius, Carolus humanitate, modestiáque delinivit, ita ut missis donis, amicitiam ambo coluerint, atque Imperij utriusque, certi fuerint limites constituti.

Metuebat Nicephorus Carolum, tot regnorum Dominum & populorum domitorem: avulsúsque ab Oriente Occidens, & recenti Imperio auctus, Græcis invidiam negotiúmque facessebat. Quid facerent? Potentissimus Carolus, eorum ani-

Eginhart.

animos odiúmque compressit : & ipse Nicephorus, cum ultrà non posset, in hoc veriverbio solatium quęsivit: Τον φράγκον φίλον ἔχης, γείτονα οὐκ ἔχης. *Francum Amicum habeas, vicinum non habeas.*

Niceph. Imp. C.

LIBER SEXTVS.

BREVIARIVM.

VERBORVM & solatij Nicephori, veritas adstructa. Franci enim Germaniam in Galliam, ad se deinde Imperium traduxere. Primum id, quando contigerit? Sub Gallieno, Floriano, Probo, Proculo, Diocletiano & Maximiano, Constantino Magno, Constantio. Sub hoc, represśi à Iuliano Apostata : à Stilicone sub Valentiniano & Honorio. In Belgicam deinde effusi, Celticam occuparunt, Faramondo, Clodio, Meroveo & Childerico Regibus. Eâdem cupiditate Clodoveus, Principes sanguine junctos expugnavit : & filij ac posteri Patrem Majorésque secuti, plura secum, quàm cum exteris bella gesserunt. Hi sunt Clodomirus, Childebertus, Clotarius, filij Clodovei. Chilpericus, Sigebertus, Clotarij filij. Theodericus & Theodebertus, Clotarij nepotes. Dagobertus, &c.

ET sanè, si volumus fateri quod res est, animúmque adjicere ad initia regni Francorum ; nihil eo dici veriùs potuit. Postquam enim Franci, finibus suis arcuere Romanos ; eosdem Romanos imitati, sedium mox suarum pomœria extendere cœperunt : & quos à se semel ejecerant ; longiùs semper longiúsque agere. Crediderim Romanorum viciniam, non aliter suspe-

ctam

ctam habuiſſe, atque ipſa poſtea Francorum fuit: qui dum Oceani inſtar, propinqua terrarum lambunt; Germanam primùm tranſtulerunt in Galliam, & ex Italia deinde ad ſe, Romanum Imperium, ut vidimus, traxerunt.

Primùm id, contigiſſe ſub Imperio Gallieni ignaviſſimi Imperatoris, ſæculo tertio, (quo & Gothi, Germanica pariter gens, Græciam, Macedoniam, Pontum & Aſiam depopulati ſunt) Auctores tradunt: dum perrupto Rheni limite, Germaniam Inferiorem Franci invaſerunt. Vt ſcias autem, formidabilem jam inde viciniam eorum fuiſſe; mox totâ Gàllia vagati ſunt: manſiſſéntque, niſi Aurelianus repreſſiſſet. Ita quippe Flavius Vopiſcus: *Apud Moguntiacum, Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ, Francos irruentes, cùm vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemtis, ſub corona venditerit.*

An. 260. Divæus. Cluver. Fl. Vopiſc.

Verùm paullò pòſt, ſub Floriano, Probo, Proculóque, iterum ſe moverunt: ac Maximiano & Diocletiano Imperantibus, trajecto Rheno, in Nerviis & Treviris permiſſu Cæſarum, ſub tributo conſederunt: & mox Conſtantino Magno Imperatore, Romanis federati, intra Gallias ad habitandum collocati ſunt. Teſtatur Eumenius Rhetor, Scholæ apud Auguſtam

Sumen. Cliviorum in Germania secunda, præfectus, in Panegyrico Cōstantini, dum ait: *Quid loquar intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant; sed à propriis ex origine suis sedibus, atque ab ultimis Barbariæ littoribus avulsas, ut, in desertis Galliæ regionibus collocatæ, pacem Romani Imperij cultu juvarent, & arma delectu?*

De horum itaque, aut illorum genere prosapiáque fuerunt, quos suprà ex Ammiano diximus, ausos fuisse in solo Romano habitacula figere: quorum perinde Legatos Iulianus, *oppositâ conditionum perplexitate dimissos, perculit primùm, ac demum precantes, seque dedentes; cum opibus liberisq; suscepit.* Et licet adhuc postea, domiti fuerint à Valentiniano Augusto: nec non imperante Honorio à Stilicone, ut liquet ex Claudiano in Panegyrico: (nisi Gnathonem Poëta egerit.)

Amm. Mar. l. 17.

Claud.

Miramur rabidis hostem succumbere bellis,
Cum solo terrore ruant? Non classica Francis
Intulimus, jacuere tamen: non Marte Suëvos
Contudimus, queis jura damus: Quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania servit.

attamen cum Hunni Rege Attila, Gallias devastassent; cœpit iterum Francorum res crescere; damnis utique & dispendio vicinorum. Vnde Sidonius Apollinaris:

Fran-

Francus Germanum primùm, Belgamq́ secundùm
Sternebat, Rhenumq́ ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & utroque superbus in agro
Vel civis vel victor eras.

Sidon.

Vt verò videas, per aliorum detrimenta solitos fuisse augeri; occupatâ Belgicâ, mox Celticam sibi adjecerunt: ut ex iis patet, quæ de Faramondo, de Clodio, de Meroveo, de Childerico, de Clodoveo, primis Francorum Regibus suprà diximus: testatúrque Hunibaldus, *de victorum Gallorum comam, in signum servitutis, à Francis detonsam fuisse.* Sanè Clodoveus, priusquam vivendi finem faceret, non tantùm cupiditate Regnum ampliandi, in principatu terráque, verùm etiam sanguine propinquos vim fecit, dum Chararicum incertâ ditione, Sigebertum Coloniæ Agrippinæ, & Ragnacharium Cameraci regnantes, alióſque consanguineos sustulit, eorúmque opes atque ditiones invasit. Existimo ob hanc caussam, tyrannidis apud posteros infamatum fuisse: & quamquam in aliis religiosum se Christianúmque ostendit; in hisce nihilominus, barbarum revera aliquid & Otomannicum prodidisse.

Hunibal.

Gregor. Turon. Aimoin. An. 509.

Porrò Clodovei filij, tum Patrem, tum ceteros Majores suos, strenuè secuti sunt. Gundebaldum Burgundionum Regem, Clodoveus debel-

laverat, & redegerat in poteſtatem ſuam; ſed quia patruus erat Crothildis, grandi acceptâ ab eo, quam pepigerat pecuniâ, reſtituit. Poſt viri mortem Crothildis, (ut ſcias non magis detuliſſe vicinis feminam, quam virum) filios ſuos, in Gundebaldi filios, Sigiſmundum, fratrémque ipſius Gundemarum incitavit. Bellum geritur, fugatóque Gundemaro, Sigiſmundus capitur. Hunc, Clodomirus Rex Aurelianenſis, Clodovei filius, nequidquam deterrente S. Avito Abbate Micianenſi, apud Columnam Aurelianenſis Vrbis vicum, cum uxore & liberis, in puteum jactari præcepit.

Gregor. Turon. Aimoin.

Sed neque in hoc facinore quievit. Cum fratre Theoderico in Burgundos iterum profectus, iterum Gundemarum fugavit: dúmque in hoſtes acriùs longiúſque effertur, occiſus eſt. Repararunt tamen contra Gundemarum, Childebertus & Clotarius bellum: in quo dum terga rurſus Gundemarus vertit; Regno denique, quod Franci ſuum fecerunt, caruit. Eo felicior Sigiſmundus, miraculis à morte clarus, ſicque extra Francorum invidiam, Sanctorum Catalogo adſcriptus eſt.

An. 532.

Agathias, Græcus Hiſtoriæ Gothicæ Scriptor, qui Iuſtiniano Imperatore floruit, pòſtquam Fran-

Agath.

Francos, quos disertè fatetur è Germanis ortos, mirificè laudavit; admiratur eos demùm ob æquitatem & concordiam, quam inter se coluerunt. *Nam etsi*, inquit, *ante hac sæpè, & nostris his quidem temporibus, in Principes tres pluresq́, eorum sit partitum Imperium; numquam tamen invicem bella suscepisse constat, nec civili patriam sanguine inquinasse.* Verùmtamen aut non meminerat Clotarij Filiorum, de quo diximus, aut ante Regnum eorum, scripserat Agathias.

Lib. 1.

Chilpericus siquidem & Sigebertus, perpetui invicem hostes, frequentiora secum, quam cum exteris bella gesserunt. Hic, dum Hunnos armis persequitur, Chilpericus aliquot absentis urbes invadit. Neque tamen hâc diu victoriâ gavisus est. Reversus enim Sigebertus, Suessionum Oppidum, inque eo Theodebertum Chilperici ex Andovera Filium capit: quem exacto prius jurejurando, ne contra se deinceps arma ferret, vertente anno remisit.

Gregor. Turonen. Aimoin.

An. 568.

Alterum civile bellum, post Chariberti, alterius Fratris obitum, Chilperico fuit: qui Turones, Pictavósque, quos ex fraterni partitione regni, Sigebertus sortitò ceperat, hostiliter invasit. Sed Sigebertus, conjunctis cum Guntramno viribus, per Eunium cognomento Mummolum,

Sigeb.

fortissimum eâ tempestate Ducem, cuncta recuperavit, sub Annum quo Charibertus obiit D. LXX.

An. 570.

Gregor. Turonen. Aimoin.

Tertium civile bellum, movit idem Chilpericus, occupatis, hostilitérque vastatis per Theodebertum Filiũ, Turonibus, Pictavis, Lemovicinis, Cardurcinis, aliísque Sigeberti provinciis. His permotus Sigebertus, excitísque ad auxilium populis Transrhenanis, Chilpericum Gumtramni licet suppetiis fretum, ita perterruit, ut ultrò pacem, restitutis omnibus peteret. Sed ea, post annum unum ab eodem rupta Chilperico est, qui in belli societatem, Gumtramnum iterum adduxit. Verùm eo facilè reconciliato, Sigebertus, Chilpericum fugavit: omnibúsque latè Parisios ac Rothomagum usque, redactis in potestatem; à Francis sollemni ritu impositus clypeo, in Chilperici locum, Rex inauguratus est. Hinc ad Tornacum in Nerviis obsidendum, præmissis copiis, quâ se urbe Chilpericus cum uxore liberísque sepserat; à sicariis duobus, quos Fredegundis submiserat, tinctis veneno cultris confossus est, Anno D. LXXV.

An. 575.

Ejuscemodi bellorum, quibus inter se Franciæ Reges qui pòst secuti sunt, decertarunt, & Agathias ipse falsi convincitur, pleni sunt Franco-

corum Annales: quod, etsi aliter se haberet, ipséque Agathias veritatem attigisset, clarum attamen perspicuúmque est, regnorum invicem vicinitate, mutuáque cupiditate, post ejus tempora, fuisse eversam.

Theodericus enim, Clotarij de cujus filiis diximus, nepos, Burgundiæ Rex, fratrem suum Theodebertum Austrasiæ Regem, bello aggressus est. Prælio apud Tullum commisso, superatus Theodebertus, fugâ Coloniam petiit. Theodericus, dum fugientem per Arduennam sequitur, apud Tolbiacum iterum cæcîdit: captáque Coloniâ, toti pariter Austrasiæ Burgundíæque dominatur. Quid deinde? Anno sequente Metis, profluvio ventris extinguitur, relicto filio Sigeberto, qui illo ipso Anno, cum avia sua Brunichilde, periit.

Aimoin.

An. 612.

Neque Theodericus solus fuit, qui extendendi regni libidine, sanguinis viciníæque sacra violavit. Dagobertus primus patre mortuo, ad Regnum evectus, cum Brudulfum, Ariberti fratris avunculum trucidari jussisset; ejusdem deinde Ariberti filium Chilpericum nepotem suum, è medio sustulit: regnúmque Ariberti protenus, cum Vasconia, in ditionem suam redegit.

LI-

LIBER SEPTIMVS.

BREVIARIVM.

DVM vicinos expugnant Francorum Reges, idem ipsi fatum à domesticis subierunt. Hi, Majores Domus, sive Aulæ Præfecti vocabantur, qui denique sceptrum sibi vindicarunt. Primus horum in Austrasiâ Pipinus Landensis, ob id Brabantiæ Ducibus annumeratur, quæ tum revera Sigeberti erat, veluti pars Austrasiæ. Secundus Grimoaldus, qui filium suum adtonso Regis filio, & in Scotiam misso; ad Regnum evehere conatur. Quod dum Clodoveus Neustriæ Rex prohibet; Childericum filium suum, excluso pariter Dagoberto, Sigeberti fratris filio, Regno Austrasiæ imponit. Grimoaldum, Wulfoaldus excepit. Hunc, Martinus Dux, & Pipinus Herstallius, duo Aulæ in Austrasia Præfecti: qui Theoderico Neustriæ Regi, ejúsque Præfecto Aulæ Ebroino, bellum, sed suo damno fecerunt: quod Hermenfridus cæde Ebroini ultus est. Itaque Pipinus, Aulæ utriusque Præfectus evasit: Caroli Martelli ex Alpaide Pater, quam Plectrudi superinduxerat. Quod factum, dum Lambertus Episcopus increpat, à fratre pellicis Dodone occiditur. Pipino, Grimoaldus filius legitimus, in Præfectura succedit. Eo Leodij interemto, Plectrudis Theodoaldum ex Drogone nepotem, sufficere cùm vellet; Carolus Martellus carcere erupit, quo Coloniæ à Plectrude detinebatur. Cúmque interea Dagoberto Regi, Chilpericus successisset, cujus Præfectus erat Raginfredus; ambo à Carolo pulsi, ad Eudonem Aquitanum evaserunt. Itaque Chilperico mortuo, Theodericus successit, Carolo volente: qui & pòst, Eudonem contrivit, cæsis uno die trecentis septuaginta quinque millibus Saracenorum, quos in auxilium ex Hispania Eudo exciverat. Quod dum rursus facit; magno incremento Regnum Francorum Carolus auxit: id etsi nollet mòrtuo Theoderico adire. Post hæc Ecclesiæ Romanæ, contra Luithprandum Longobardorum Regem, auxilium tulit; quamobrem à Pontifice, Christianissimus, novo titulo vocatur, magnâ nostratium gloriâ. Moritur Pipino & Carlomano filiis relictis: qui, vacuo per septennium Regno, Childericum imposuerunt: erga fratrem tamen Gryfonem, iniqui.

SED memorabile est, quod cum eâ tempestate, id passim agerent Francorum Reges, aliena

aliena videlicet regna ſive ditiones,per fas & nefas occupare; idem ſibi fieri per ſuos, viderint magis, quàm ſenſerint. Etenim ſub Clodoveo, Dagoberti præteriti filio, Theoderici patre, Francorum regnum decidens, per Majores Domus ſive Aulæ Præfectos, uti appellabant, cœpit ordinari: adeóque à vicinis ſuis Reges expugnari, qui vicinos anteà alios expugnare conſueverant. Ita ſua Francos Nemeſis reperit, tantò ſævior, quantò citiùs primos Regni fundatores, ſceptro ſolióque dejecit. Iam enim ſuprà inſinuavimus, hos Præfectos ſive Majores Aulæ, legitimo Rege heredéque depulſo, Regni tandem habenas occupaſſe.

Horum prædonum (Regum dubites an Regni) primus in Auſtraſia fuit Pipinus Landenſis, Carolomani filius, clari tum nominis ac potentiæ, in Hasbania viri, teſte Sigeberto: ut putem non alio titulo, quàm Aulæ, ubi diximus Præfecti, Ducibus Brabantiæ Pipinum annumerari, quam tum revera poſſidebat S. Sigebertus, Auſtraſiæ Rex, Clodovei Secundi, Frater.

Sigeb.

Mortuo mox Pipino, filius Grimoaldus ſucceſſit: cujus filium Childebertum, cùm de prole ſuſcitanda Sigebertus deſperaret, adoptavit, Regémque ſe defuncto eſſe juſſit. Verùm cùm præter ſpem Dagobertum genuiſſet; illo in fidem

An. 646. App. Aimoin.

Grimoaldi tradito, demùm obiit. Hîc Grimoaldus, ut revera se Francum ostenderet, novóque latrocinio contra herum grassaretur, adtonsum Dagobertum in Scotiam misit, & Childebertum filium suum, ad Regnum evehere conatus est. Eâ perfidiâ offensi Franci, comprehensum Grimoaldum, Clodovei Neustriæ Regis judició sistunt: qui, ad carceres, eo, in quibus paullò pòst obiit, damnato, Childebertóque dejecto, Childericum filium suum Theoderici fratrem, Austrasiis Regem dedit. Ita Sigebertus, Francicam bis fidem expertus est, in fratre Clodoveo, & Grimoaldo Aulæ Præfecto.

Hujus munus (quamquam existimem, medium aliqué fuisse) excepit sub Childerico Vulfoaldus: quo decedente, Martinus Dux, & Pipinus Herstallius Ansegisi filius, S. Arnulfi nepos, duo Aulæ Præfecti, dominati in Austrasia

An. 688. sunt: ac Regi Theoderico & Ebroino bellum moverunt. In eo, Martinus fugâ elapsus, dolo Ebroini, apud Laudunum Clavatum occisus est: Pipinus rediit in Austrasiam: ad quem tandem Hermenfridus Francus, occiso Ebroino fugiens, evasit.

Quemadmodum enim Austrasiæ Regnum, habuit ἀντιπολιτεύοντας suos, de quibus modò agimus; ita

ita & Neustria: ut perinde utrobique Dominis Regibúsque suis, Palatij Præfecti imperarent. Eâ igitur tempestate, quâ Occidentalis Galliæ regno, quod Neustriam vocabant, Theodericus præerat nomine tenus; Palatij Præfectus post Erchinoaldum, Ebroinus, immani tyrannide sæviebat. Hoc igitur jam, uti diximus, interemto, & Rege Theoderico armis Pipini, Francicum in morem devicto; ipse Pipinus, utriúsque Regni magisterium tenuit: summus vir, suóque munere dignissimus, nisi famam & virtutem ejus, libido fœdasset. Plectrudi enim nobilissimæ conjugi, Alpaidem superinduxit: quam intemperantiam, Lambertus Episcopus Leodiensis, castigare ausus, à pellicis fratre Dodone obtruncatus, palmam Martyrij accepit. Ex eo tamen adulterio, procreatus Carolus Martellus, summis virtutibus vitiísque, toti Franciæ illuxit.

Sigebert. An. 698.

Erat is circiter vicennis, cùm Pipinus traditâ priùs filio legitimo Grimoaldo, Aulæ Præfecturâ, mortem obiret; sed adeò invisus Plectrudi, ut ea generosum alióquin adolescentem, clusum carcere Coloniæ detineret. Verùmtamen peremto Leodij, ad Altare S. Lamberti (dum patrem invisere satagit) Grimoaldo, operâ Raingarij satellitis Radbodi Ducis Frisonum, quem

An. 714.

extremis Præfecturæ ſuæ temporibus, Pipinus bello victor domuerat: ipſáque Plectrude cum Theodoaldo, ex filio Drogone nepote, Principatum Auſtraſiæ, jure cupiditatis Franciceæ, uſurpare moliente; Carolus carceribus erupit: collectóque mox milite, Radbodum Colonienſium fines incurſantem, fugavit.

Dum hæc aguntur, moritur Dagobertus Rex, Childeberti filius: cui perinde Franci, Danielem quemdam Clericum ſubſtituunt, Regiæ, ſed haud ſatis compertæ familiæ, quem nomine mutato, Chilpericum appellant. Huic Chilperico, Raginfridus, Major domus adjungitur. Vterque, à Carolo Palatij præfecturam ambiente, ſuperatus, ad Eudonem, Aquitaniæ Ducem profugit. Sed eo quoque fracto, & in fugam conjecto; Chilpericus Carolo deditus, Anno regni quinto moritur: cui mox Theodericum, Carolus ſuffecit.

An. 720.

Interea & Saxones, Alemannos, Baioarios ac Noricos ſubegit: cúmque diffiſus rebus ſuis Eudo, Saracenos ex Hiſpania, cùm eorum Rege Abdirama, in ſubſidium exciviſſet: híque vaſtatis omnibus, & Eccleſiis igne conſumtis, Baſilicam S. Hilarij, pariter Pictavis incendiſſent; validâ manu Carolus occurrens, ſtrage eos propè incredibili percuſſit. Cæſa enim uno die, ad tre-

centa

centa ſeptuaginta quinque millia, cùm ex Francis, haud ampliùs mille quingenti deſiderati ſint, Anaſtaſius ſcribit. Anaſtaſ.

Exinde Burgundiâ Lugdunóque potitus, atque Eudone paullò pòſt mortuo, Aquitaniam invaſit: proſtratíſque iterum Saracenis, qui ad ulciſcendam cladem ſuorum advenerant, non tantùm Avinionem ab illis captam recepit; verùm Narbonenſem etiam, quæ cum Hiſpania, Gothis olim contributa fuerat, quámque eo nomine Saraceni, quos Hiſpaniâ depulerant, tenebant, aggreſſus, caput ejus Narbonam cum reliquis oppidis, Nemauſo, Agatha, *&c.* expugnavit, cæſis, qui ad opem ferendam ſæpiùs accurrerant, Saracenis. An. 727.

Hâc tempeſtate, defuncto Theoderico Rege; Interregnum ſeptem annorum fuit: ipſéque Carolus poſtulatus licet, *Rex Francorum fieri noluit, glorioſiùs ducens Regibus imperare, quàm Rex eſſe*, ut loquitur Codex Manuſcriptus Nivellenſis. In eo reperiuntur & hi Verſus: An. 735. Chifflet.

Ecce Brabantinus Dux Quartus in orbe triumphat,
Malleus in mundo ſpecialis Chriſticolarum,
Dux Dominúſque Ducum, Regum quoque Rex fore (*ſprevit;*
Non vult regnare, ſed Regibus imperat ipſe.

Ceterùm Leone Imperatore Conſtantinopo-

litano, non hæretico tantùm, ut suprà attigimus; sed, quod hactenus inauditum fuerat, hæresiarchâ effecto: cùm nihilum in eo præsidij Ecclesia haberet, aut pravitate ipse suâ revocari posset; Gregorius II. cum Francis fedus anteà inierat. Id ejus successori Gregorio III. commodũ omninò fuit, & unicum, in re propè desperata, perfugium. Nam cùm Longobardorum Rex Luithprandus, ad Imperij spem erectus, Vrbem obsideret; Francorum Ducem Carolum, Gregorius imploravit. Missa ad eum, cum sacris muneribus, ea inter clavibus Sancti Sepulchri, legatio: unáque litteræ, quibus bis *Christianissimum Filium*, eumdem appellat. Atque hæc tituli origo est, quem tantâ in Regibus suis ambitione, Galli jactant: homini Germano, imò nostrati, non extero, aut Gallo, à Pontifice donati.

Carolus, tam honestâ legatione lætus, quam Athanasius Episcopus, & Sergius Presbyter obibant, misit qui Luithprandum flecterent. Hunc enim sibi anteà, non inutilem ratus Longobardorum amicitiam fore, ita arctè conciliaverat; ut Filium suum Pipinum ad eum mitteret, Tonsuræ honorem à Luithprando accepturum: quæ, tum veluti adoptionis, ritus & cærimonia erat. Sed neque ingratum Luithprando fuit, rogari à Mar-

Martello: ideóque domum haud gravatè exercitu reducto, Ecclesiam Romámque, formidine liberavit.

Ea res, existimationem tantam Carolo peperit, ut aliorum quæ protervè gessit, sola videri remedium queat. Decessit Anno D. CC. XLI. XI. Kal. Novembris, Principatus vigesimo octavo: communi Franciæ Regum, in Basilica S. Dionysij sepulchro illatus, cum hac Epigraphe: CAROLVS MARTELLVS REX. Vt si vera fuerit, vel tantummodò ipse postulatus ad Regnum; ecclipsim passa sit Salica, quando Martellus, stipite masculino, Merovingus non erat. An. 741.

Vitâ functi Martelli Principatum, duo Filij possiderunt, Carolomanus & Pipinus: & ab his, ad Regnum evectus Childericus, tantisper imaginem regni tenuit. Primùm in eo se Francos esse probarunt, quod Fratrem Gryphonem natu minimum, paterno Principatu excluserint. Qui cùm vindictam, occupato Lauduno meditaretur; à Carolomano superatus, & custodiæ traditus: pòst solo Pipino rerum potiente, variè actus atque dispersus, dum in Italiam elabi cogitat, interemtus est. An. 742. Adelmus.

LIBER OCTAVVS.

BREVIARIVM.

CARLOMANO Monacho effecto: Regibus autem Francorum ob potentiam Præfectorum Aulæ, cuncta ad se negotia rapientium, hactenus inertiæ deditis; Pipinus circumvento tantùm non Pontifice, cùm Regni primores addictos haberet. Pontifex autem, nullum à Græcis præsidium exspectaret, & in Francis fiduciam poneret; ab inerte Childerico, in solertem Pipinum, Regnum transtulit: etsi id factum alij non ineptè referant, ad arcanum Divinæ Providentiæ, punientis Regum pristinorum è Merovingis, perfidiam & tyrannidem Simultates filiorum Pipini, id est, Carlomani & Caroli, illius ævum breve strangulavit: etsi hunc, magis augendi Regni cupiditas, ad Luithprandum compescendum, quàm pietas ergà Pontificem allexerit. Quare neque ab ambitu Imperij Carolum immunem fuisse, propriæ ejus litteræ monstrant, quidquid Eginhartus dissimulet. Quod cùm Nicephorus cerneret; optimum ratus est, huic diluvio ripas objicere, foris emanentibus Venetis. Atqui unico filio Ludovico, Monarchiam Francicam, cum Imperio Carolus reliquit, Bernardo Nepoti, Italiam: post mortem, Aquisgrani sepultus.

Adelmus.

CAROLOMANVS interea Monachus effectus, soli Pipino apertum reliquit Galliæ theatrum, in quo Francicum ludum, suprà quàm ulli fecerant hactenus, personámque exhiberet. Acceptâ enim occasione, ex inertia Regum, cujus ipsi Aulæ Præfecti, dum regni totius negotia ad se trahunt, Regúmque propinquos & vicinos evertunt, caussa fuerant: Reges verò quotannis dumtaxat semel, carpento vecti bobus trahentibus, ad accipienda publicè munera comparerent; id tulit à Zacharia Papa responsum,

Annal. Pith. Sigeb. ad Ann. 662.

quo

quo exauctorato Childerico, Merovingorum Principum ultimo, liberis, animis, amicísque destituto, Regij tituli majestatem adeptus est.

Atqui in eo patuit, Francica Pipini astutia, quòd neque nominis sui, Regis ipse subditus: & licet Princeps, attamen minister, & jurejurando adstrictus, meminit in precibus quas Zachariæ porrigebat: neque deinde nominis Regis, à tot anteà Regibus, intemerato ordine receptóque more descendentis; sed thesin tantummodò nudam, absque ulla veste proponat: *Vter* nimirùm *Regio titulo sit dignior, qui segnis domi, inter delicias atque voluptates inglorius sedens, annos ævuumq́ transigat: an qui regni populiq́ curam gerens, domi belliq́, omnia negotia solus sustineat?*

Fauchet.

Neque enim dubito, hæsurum fuisse Pontificem (etsi adhuc erat recens beneficij, in Luithprando territo, Martelli memoria) imò responsurum, *Tolerandum Regem esse, qualem-qualem natura formaverit, Primores elegerint, & Deus jusserit.* Alióquin si intra propositam thesin, ejúsque communes terminos sistimus; nemo est tam obtusi judicij, quin arbitraturus extemplò sit, utilem Principem, inutili & segni, præferendum esse. Id verò cum Zacharias Papa respondisset; thesin mox in hypothesin, Pipinus jure Francico convertit:

cúmque exercitum Regni robur, & Primores haberet ad nutum; dejecto Childerico, in solium sublimatus est.

Ita facilè credidero (quod nonnulli scribunt) unicam regnandi ambitionem, Pipinum pupugisse: cúmque ut erat rerum politicarum haud ignarus, prævideret occupatione Regni, non mediocrem tempestatem exortum iri; auctoritatis Pontificiæ sipario, animum suum, ambitúmque tegere voluisse.

Iam & ipse Pontifex, cum Græcos extra, Longobardos intra Italiam, hostes aut æmulos haberet; humanis considerationibus adductus, cùm quod Martellus reápse præstitisset, Pipinus abundè polliceretur, imò hujusce præsidij mõstraretur necessitas: diceréntque legati Pipini, *quod uno ex edicto, solvendisq́ jurisjurandi religione Francis, plus apud mortales immortalesq́ gloriæ, inventurus esset* (verba sunt Æmilij) *quàm inter mortales, ex impietate victa Martellus reportaverat*; omnibus Pipini postulatis, mox & libenter assensit. Tanti erat, securitatem Pontifici addixisse; & incidisse in eum Regem, qui etsi esset vera magni Clodovei proles & sanguis; stupido attamen ingenio, prodegerat omnem majestatem.

Æmil.

Altiùs Scriptores alij assurgunt, & in hac scep-

tri

tri tranſlatione, venerantur aliquid divinum. *Quod ſi enim fas eſt*, inquit Scipio du Plaix, *ſcrutari arcanas cauſſas, cur Deus Reges illos* (Merovingios) *depreſſerit, & divinam providentiam ingredi liceat; arbitror oraculum iſtud quo dicitur: Virum ſanguinum & dolosum abominabitur Dominus: &, Viſitabit peccata patrum, in tertiam & quartam generationem, puniviſſe crimina majorum in poſteris; quandoquidem Deus exhorreſcat parricidia & perjuria, quibus nonnulli Reges & Principes, ſucceſſores Clodovei, ſedarunt manus & conſcientias ſuas.* Verùm tamen hæc non abſolvunt Pipinum: qui tametſi Divinæ vindictæ famulatus ſit, propriæ nihilominus ambitioni incubuit: inque Præfectorum Aulæ familiam, ſceptrum intulit, poſtquàm paullò ampliùs octoginta annis, rerum potiti fuiſſent. *Videndus de eorum potentia, Eginhartus vitæ Caroli Magni initio.*

Scip. du Plaix in Childer. III.

Nangis.

Eginhar.

Filiorum Pipini, id eſt Carolomani & Caroli ſimultates, quas ſuper Regni diviſione inter ſe habere cœperant; Carolomani obitus, intra proximum biennium, ſtrangulavit. Sed neque tamen Carolus, optimus licet maximúſque Princeps, moris, Francícæque cupiditatis, exſors fuit. Vt enim prætеream Hunaldum Aquitaniæ Ducem, quem tradente Lupo Vaſconiæ Dynaſta, cum conjuge & liberis in cuſtodiam dedit: & alia quæ

Adelmus.

tuendi Imperij caufsâ, contra repugnantes geffit, five jure five injuria, putà Suevos, Baioarios, Hunnos, Saxones, *&c.* quod expeditionem Italicam attinet, quam rogatu Adriani Papæ, contra Defiderium Longobardorum Regem fufcepit; teftatur impreſsè Sigonius, non tam adjuvandi Pontificis ftudio, quàm occupandæ Italiæ, arreptam fuiffe.

Sigon.

An. 800. Iam & à Leone Pontifice, Imperator atque Auguftus effectus, uti antea diximus, etfi fcribat Eginhartus, *Id nomen, tantopere fuiffe aVerfatum, ut affirmaret fe eo die, quamVis præcipua follemnitas effet, non intraturum fuiffe Ecclefiam, fi confilium Pontificis præfcire potuiffet*; contrarium, attamen ex ipfis Caroli litteris apparet, quas Adriano Pontifici anteà fcripferat: adeóque Eginhartum, nil præter adulatiunculam, pofteritati tradidiffe. Caroli enim ad Adrianũ Epiftola, fic habet: CAROLUS, *Dei Gratia Rex Francorum & Longobardorum, & Patritius Romanorum. Si Ecclefiarum Dei ferVis, munificentiam noftram impertimus, eorumq; ftudiis libenter obfequimur; id nobis ad* AUGUSTALIS EXCELLENTIÆ *culmen, proficere credimus: & quod cunctis pretiofius eft dignitatibus, æternum retributionis præmium capeffere non diffidimus.*

Eginhart.

Carol. Epift.

Ceterùm occupato in Italia Longobardorum regno; nondum quievit Francorum aviditas. Optimum perinde Nicephorus Conftantinopolitanus

nus Imperator putavit, certis eam limitibus coërcere : & ut aliquando conquiesceret ; sponte cedere, quæ repeti bello potuissent. Federe itaque inito pactus est, ut ambo Augusti essent, fratrésque dicerentur, Orientis alter, alter Occidentis. Circa Italiam, cui Pipinus Caroli Filius, Rex præerat, Bernardúsque successit, hæc observarentur, *Vt hinc à Neapoli, illinc à Siponto, quidquid ulterioris Italiæ in mare procurrit, cum suis è regione Insulis, Græco: reliquum, à Franco Imperatore, jura peteret. Inter duo Imperia, medius finalisq; cardo, Venetiæ, utriusque Imperij majestatem piè conservarent.* Secundum hoc itaque fedus, Venetos, quos Pipinus Caroli filius subjugaverat, idem Carolus restituit.

Procop. Cuspin.

Sed antequàm vitæ terminum attigit, duobus filiis Carolo & Pipino, hoc Italiæ, illo Alemanniæ Regibus, extinctis; Ludovicum, regnorum heredem unicum (nisi quod Bernardum è Pipino nepotem, Italiæ præfecerat) cærimoniis debitis, in Ecclesia Aquensi, consortem Imperij fecit. Rem gestam describit Theganus, Chorepiscopus Trevirensis, *Commentario Vitæ Ludovici.* Ipse Carolus, ætate gravis fractúsque, tamquam rebus jam constitutis & firmatis, paullò pòst Aquisgrani obiit, tumulatus in Basilica, quam ibidem Divæ Virgini erexerat.

Thegan.

An. 814.

LIBER NONVS.

BREVIARIVM.

LVDOVICVM, Stephanus Papa coronat Remis, Imperiali diademate. In præpropera Ludovici ergâ filios benevolentia, dum patruelis Bernardus, præteritum se dolet, & patruo bellum movet; reus & cæcus ob id factus, moritur, & Mediolani sepelitur. Lotharius Ludovici primogenitus, consors Imperij factus; Italiæ Regnum sibi vindicat: atque etiam à Paschali Pontifice, Romæ purpurâ Imperij decoratur. Contra patrem deinde conspirat, cum Pipino Aquitaniæ, & Ludovico Baioariæ Regibus fratribus, quòd susceptos ex horum noverca (quam oderant) filios, Carolum & Rodulphum, supra se, diligere videretur. Hanc tempestatem, ut absque armis Ludovicus componeret; uxorem dimittit, & veniam filiis, pius Pater dedit. Novus hinc motus à Pipino ortus: à quo, quia Pater Aquitaniam abstulerat, & Carolo è Iuditha filio attribuerat; conspirantibus in Patrem fratribus, bellum paratur. Quod cùm Gregorius Pontifex, in Galliam adductus, sopire frustrà tentasset; Lotharius Patrem Compendium trahit: ubi suffragantibus improbis Episcopis, turpiter exauctoratum, & quæ non fecerat, fateri compulsum; in tenebras detrudit. Cujus rei indignitate moti Proceres, pro Ludovico surgunt. Quod dum Lotharius advertit; culpâ in Episcopos protrusâ, Viennam fugit, in itinere fedè grassatus, etiam in Ecclesias. Itaque Ludovicus solemni cærimoniâ, dignitati restituitur: neque tantùm filium haud persecutus est; sed etiam præmio ad se allexit: ac deinde Iuditham conjugem, in thalamum consortiúmque reduxit. In gratiam igitur recepto Lothario, habitóque Episcoporum apud Theodonis-Villam Conventu, Episcopi puniuntur, atque in primis dux factionis Ebbo Remensis. Posthæc Lotharius Pontificem, & Romanam ditionem infestat, & tollere cupit, quod Majores ejus dederant. Quam culpam, Pateriterum monendo, quàm puniendo corrigere maluit. Mortuo Pipino, Aquitaniæ Regnum, Carolo Iudithæ filio, Ludovicus tradit: quod dum Pipini filio deberi, Ludovicus Pipini frater contendit; rursus in Patrem insurgit, sua pariter detrimenta caussatus. Hunc contra, dum Ludovicus Pater movet; filius pudore territus, cessit. Ita inquiete filiorum lassus & fractus, Ludovicus moritur, Metis sepultus.

LV-

LVDOVICVM, biennio à Patris obitu vix expleto, Stephanus quintus, Leoni tertio ſurrogatus, apud Remos Imperiali diademate decoravit. Ab ea pompa, nondum annus ierat, cùm Ludovicus patris exemplum, an imprudentiam dicam? ſecutus, primogenitum ſuum Lotharium, in conſortium Imperij adſciſcit, & Pipinum Aquitaniæ, ac Ludovicum Baioariæ Reges appellat. Hæc etenim diſtributio regnorum, mox inquietis Francicæ, ſeminarium fuit.

Bernardus Italiæ Rex, Francorum regnum, quodam naſcendi ordine, ratus ſibi deberi (quippe Pipino, Caroli filio editus) paternam ætatis prærogativam, in belli cauſſam, conferre auſus eſt. Regem ſuum, Italia ſequitur & conjurat: eóque faciliùs, quia ab Anſelmo Mediolanenſium, & Volfoldo Cremonenſium Antiſtite, concitata. Aiunt Drogonem & Hugonem, & Theodericum Caroli Magni nothos, nec non Adelhartum Abbatem, virum pietate conſpicuum, Bernardi partes tenuiſſe. Regni itaque cauſsâ, in patruum arma Bernardus movet, ſaltúſque Alpium præſidiis occupat. Pro Ludovico, Germania & Gallia ſurrexere. Sed ſine marte & cæde, bellatum eſt.

Thegan.

Nam cùm quotidie Bernardum, plures è Proceribus deſererent; prodi metuens, ultrò arma

hc-

hoſti ſubmiſit, ſéque, & exercitum tradidit. Iure judicióque, conjurationis crimen agitatum: ipſiúſque Regis nomen, damnatorum numero adſcriptum. Citra mortem quidem, ſed non ſine ſanguine ſupplicium ſtetit: útque vivus haud viveret, luminibus Bernardus orbatus eſt. Antiſtites dignitate moti, vitæ Monaſticæ, cum ceteris mancipati.

Cæcus Princeps, mox veluti contumeliâ tabeſcens, mortem obiit, Mediolani ſepultus in Æde S. Ambroſij, hac inſcriptione: BERNARDVS CIVILITATE MIRABILIS, CETERISQVE PIIS VIRTVTIBVS INCLYTVS REX, HIC REQVIESCIT, REGNAVIT ANNOS QVATVOR, MENSES V. OBIIT XV. KALEND. MAII, INDICT. XI. FILIVS PIÆ MEMORIÆ PIPINI. Ita Ludovicus, ille Pius, ille manſuetus: & Bernardus, ille civilis, ille virtute clarus, indolem ſupprimere non potuerunt: ſed uterque, hic contra patruum ambitu; ille ſeveritate in nepotem; Francus fuit.

An. 818.

Poſthæc & Ludovicus, Britannos Aremoricos, bello petiit ac ſubegit: & Pipinus, in Vaſcones profectus, captum eorum Ducem Lupum, exilio multavit. Verùm exigua ſunt iſta, ſi cum aliis pòſt ſecutis, comparentur.

An. Pith.

Lo-

Lotharius in Italiam missus, quam per legatos, sublato Bernardo, Ludovicus administraverat, Rex esse cœpit, & ferro coronari, qui jam auro redimitus fuerat. Mox & Imperij purpurâ, Romæ à Paschale Pontifice auctus, Patris fortunam, dignitate socius, filius sanguine, egregiè referebat; nisi hostis esse maluisset. Vt autem solus non esset; cum Pipino & Ludovico in Patrem conspiravit. Origo, ex vita Ludovici Imperatoris, sic habet.

An. 828.

Vit. Lud. Imperat.

Mortuâ Ermingarde, matre Lotharij, Pipini & Ludovici; Ludovicus Imperator Iuditham, Welphi Comitis filiam, uxorem duxit, Augustámque fecit. Ex hac, duos filios Carolum & Rodulphum genuit, quos supra ceteros dilexisse visus est. Eâ res præter odium novercæ, Lotharium, Pipinum & Ludovicum, vehementer ussit. Accessit & Aulicorum invidia, in Bernardum Comitem Barcinonensem Hispanum, Imperatorij cubiculi Præfectum, quem cum Augusta rem habere, affirmabant.

Erupit igitur in flammam, quidquid fratres jam Reges offenderat: & conscriptis copiis, paratos se injuriam vindicare, professi sunt. Pater, ut fomitem turbarum amoveat, Bernardum dimittit: uxorem, Lauduni in Monasterio Beatæ

Virginis collocat. Neque id satis: compellitur camdem dimittere, & comis præcisis, Sanctimonialem facere.

His ita peractis, jure non armis, passi sunt rem geri. Neomagum convenitur: & quia Ludovicus inermis aderat, multorum precibus flexi sunt, veniámque filiis, Pius pater dedit.

Atque ut hic motus, pietatis industriâ sopitus est; fragore nihilominus acriori, rursus erupit. Cœperat Pipinus nova moliri, sed initio à Patre oppressus fuit, imò Aquitaniâ, (quam tamen postea recuperavit) exutus: Regnum autem adscriptum Carolo, filio Iudithæ. Quid fit? Fratres ad arma consurrexere, communem veluti injuriam ulturi.

His auditis, Gregorius Pontifex Româ venit, suadere concordiam conatur: sed quia fortè priùs ad Lotharium & Ludovicum fratres, diverterat; à Patre, haud eo honore, quo par erat, susceptus est. Suadet tamen pacem, largitur munera, omnémque movet lapidem ut discordia extinguatur. An dicam? Saxa non homines, barbaros non consanguineos, cùm se affari comperit, infectâ re ad urbem redit.

Theganus auctor est, utrásque acies in campo magno constitisse, qui est inter Argentariam & Ba-

Basileam, qui usque hodie, inquit, nominatur Campus mendacij, eò quòd ibi plurimorum fidelitas, extincta est: eorum videlicet qui deserto Ludovico Patre ad filios, exutâ sacramenti religione, confugerunt.

Verba Thegani sunt: *Consiliati sunt nonnulli, ut Imperatorem relinquerent, & ad filios ejus pervenirent, in primisque illi, qui eum anteà offenderant, ceteris sequentibus. Quâdam nocte, maxima pars deseruit eum, & tentoria sua relinquentes, pervenerunt ad filios. In crastinum verò reliqui qui remanserant, venerunt ad Imperatorem, quibus præcepit, dicens: Ite ad filios meos, nolo ut ullus propter me, vitam aut membra amittat. Illi infusi lacrymis, recedebant ab eo. Iam tunc separatam ab eo, habebant uxorem ejus, quam statim miserunt in civitatem Italiæ Dertonam. Non multo post tempore susceperunt Patrem, & duxerunt eum secum. Quo facto, discesserunt. Pipinus perrexit in Aquitaniam, Ludovicus in Baioariam.* Thegan.

Lotharius verò, duxit secum Patrem in Compendium palatium, & ibi valde afflixit eum, cum Episcopis, & ceteris nonnullis. Iusserunt enim eum ire in Monasterium, & ibi esse omnibus diebus vitæ suæ. Quod ille renuens, non consensit voluntati eorum. Omnes enim Episcopi molesti fuerant ei: & maximè hi, quos ex servili conditione honoratos habebat, cum his qui ex barbaricis nationibus, ad hoc fastigium perducti sunt. Elegerunt tunc impudicum unum & crudelissimum,

qui dicitur Ebbo, Remensis Episcopus, qui erat ex originalium servorum stirpe, ut eum immaniter affligeret. Inaudita locuti sunt, inaudita fecerunt; quotidie improperantes ei. Abstulerunt & gladium de femore, induentes eum cilicio. Hactenus Theganus.

Apud Pith. Plura eo Commentario continentur, quo exauctoratio Ludovici descripta est, & solemnem illam atrociæ Compendiensis scenam repræsentat. Ibi Episcopi complures, (ut scias in omnibus Francis, commune vitium inquietis fuisse) qui Lothario adhærebant, pietate velatam audaciam, in officij sui punctis atque momentis, ambitiosè exaggerant: quomodo ligandi atque solvendi potestatem, à Christo habeant: quantóque sint periculo obnoxij, si in arguendis castigandísque peccatis, eam neglexerint. Quare cum muneris sui Ludovicus oblitus, multis Deum populúmque piaculis offenderit, jubent illum, super extento cilicio, coram filio Lothario & universa plebe, in Templo Deiparæ ante Altare, veniam petere: atque ut animo quidquam celare haud posset, sive tergiversari videretur; schedulam ei porrexerunt, è qua, octo capitibus comprehensa scelera sua, recitavit.

His peractis, culpam agnovit: traditáque Episcopis chartulâ, militiæ cingulum deposuit,

&

& pœnitentis habitum assumsit. Addunt alij, pullâ indutum fuisse, & adhibitâ ingenti custodiâ, in tenebras detrusum. Quid mirum? Naturam & pietatem in Lothario, prostraverat ambitio: & Episcopi, qui ejus immanitati serviebant; vilia erant è plebe capita, & animi vænales. Præter gestorum Epitomen, quam citavi, videndus Theganus, & Auctor vitæ Ludovici, qui Francicam hanc Tragœdiam, latè describunt.

Thegan.
Vit. Lud.

Tantum interea nefas, Proceres non tulêre: affectu jam & miseratione filij. Decreverunt in sæculi dedecus insurgere, & Ludovicum, quem Aquasgrani Lotharius adduxerat; vi armatâ, pristino fortunæ fastigio reddere. Fit conventus populi è Francia, Burgundia, Aquitania & Germania, unico studio, probra Ludovici miserantis. Eggebardus Francus Comes, & Wilhelmus Comes Stabuli, advocant è Francia pro Imperatore auxilia. A Ludovico Imperatoris filio, (qui se innocentem jam præstare volebat, quia Patrem tragicâ Episcoporum pietate non vexaverat) ejusdem rei caussa in Aquitaniam ad Pipinum, mittitur Hugo Abbas: denique Burgundos in fedus sollicitant, Bernardus & Warinus.

An. 834.

Hæc ubi Lotharius vidit; purgare se primùm, culpam Episcopis imponere: tandem relicto pa-

rente in Monaſterio S. Dionyſij, Viennam fugere.

Non ceſſavit ideò, eiſdem impietatis cladibus, Galliam afficere. Nam cùm Cabillonem ſe reciperet, munitam utique civitatem, in qua ſuos non exiguo munere habebat, alij contrà reſiſtere pararent; civitas à Lothario occupata, in flammas abiit: ejus an ſociorum juſſu, incertum. Vnica D. Georgij ædicula, in medio igne, immunis incendij fuit, ope magis divinâ quàm humanâ. Quin & Eccleſias priùs à Lothario expoliatas, omnéſque qui patri ſtuduerant occiſos: imò ſororem Bernardi ſanctimonialem, dolio clauſam, in Ararim præcipitatam, Theganus ſcribit.

Thegan.

Lothario profecto, uti nondum Ludovicus & Pipinus, aliíque cum auxiliis appulerant; ita neque inimicorum ullus, movere ſe audebat. Eapropter nil reſtare videbatur, quàm ut Imperij inſulas & arma, quæ Epiſcopi per ſummum nefas abſtulerant; iterum ſibi Ludovicus aptaret. Noluit: ſed ut eodem loco ritúque redderentur, quo fuerant ablata. Hæc itaque per Epiſcopos, in S. Dionyſio peracta ſunt: non tantùm populi, ſed & cæli applauſu, poſt diuturnum nubilum, oppidò ſereni.

Paternæ pietatis propè incredibile indicium eſt, quod abeuntem filium perſequi, licet multis

hor-

hortantibus noluit: quódque Nithardus tradit, clanculò misisse Gundibaldum, Religiosum quemdam, ad Pipinum, & Ludovicum, qui præmio regni amplioris, invitarent ad restitutionem suam. Patrem itaque opperientem se, Carisiaci adierunt; qui peractâ ibi cum eis, & universo populo lætanter mediæ Quadragesimæ Dominicâ die; filios populúmque dimisit: & Aquasgrani regressus, Iuditham Augustam ab Italis accersitam, in thalamum consortiúmque reduxit.

Nithard.

Restabat, ut ad Paternæ gratiæ asylum, Lotharius rediret. Id fecit, patris fratrúmque armis & minis compulsus: adeò ut incentores suos, vitâ partim, partim exilio multaret. Secundùm hæc apud Theodonis-Villam, celebrato Præsulum Conventu; Ebbo Remensis Episcopus, nefariæ in Ludovicum conjurationis particeps, cum Agobardo Lugdunensi, depositus est.

Vita Lud. Nithard. An. 835.

Atqui ut videas, Francica inquietis & ambitionis vulnera, obduci non curari; Lotharius, furentis animi virus, postquàm satis in Patrem & Galliam effuderat, in Pontificem etiam evomuit. Morbo laborare cœpit Regum nuper Longobardorum, & pudebat angusti eum limitis: adeóque conabatur Romanæ ditioni auferre, quidquid Patris & Avi, liberalitas pietásque contulerant.

Id ei potiùs erat, quàm Saracenos repellere, qui circa id tempus littora Italiæ infestantes, impunè grassabantur.

Hic verò lenis iterum Ludovicus fuit. Nam per Legatos Pontificis admonitus, veniâ quàm pœnâ, corrigere filij errorem maluit: Patrem se potiùs, quàm Imperatorem cogitans.

Post hæc mortuo Pipino, cùm Aquitaniæ regnum, Caroli Iudithæ, filio dedisset, ejus tutelam Lothario commisit, juxta quod pridem Lotharius Ludovico promiserat, id se nimirùm ratum habiturum, quodcumque Carolo donavisset. Verùm id rursus Ludovici filius Ludovicus, ægrè tolerans; educere exercitum in patrem cœpit. Indignabatur quippe, Fratris Pipini filium adhuc puerum, regno Aquitaniæ à Carolo, quem diximus, exclusum: sibi verò Baioariam dumtaxat datam. Adhæc Carolum, antequàm Rex Aquitaniæ crearetur, Neustriam à Patre dono accepisse: se, eum esse, qui Patrem Imperio deturbatum, in libertatem vindicarit, & alia complura, quæ flare inquies Francica consuevit.

Conversus igitur ad arma, assumtísque Saxonibus & Thuringis, Alemanniam invadere statuit, Patre, tametsi infirmâ valetudine, contrà movente. Eapropter pudore novi sceleris deterritus;

tus, & tamquàm piissimi hostis timeret aspectum, confligere non est ausus; sed fugienti ac trepidanti similis recessit, inque Regni sui latebras sese abdidit. Ita sine prælio & sanguine, victor Ludovicus, morbo mox & mœrore interiit, gravioribus veluti injuriis liberorum, divinitùs subtractus, Anno Imperij XXVII. vitæ LXIV. Christi D. CCC. XL. ac metis sepelitur ad S. Arnulfum. An. 840.

LIBER DECIMVS.

BREVIARIVM.

A Patris Ludovici morte, in se fratres convertuntur. Itaque Ludovicus & Carolus, Lotharium oppugnant, quòd plus Regnorum, duobus fratribus, etsi haberet; plus attamen cuperet. Memorabili clade, Lotharius sternitur, non frangitur. Rursus enim ad arma ventum cùm esset; Lotharius fugit: instaurata que Regnorum partitione; plus ei datum, quàm speraverat. Supra pristina; Belgicam & Burgundiam accepit. Hinc Francorum unicum Regnum, in tria sectum. Ludovico filio, Lotharius Italiam tribuit: qui istic adveniens, etsi editâ passim strage; Imperator à Sergio Pontifice coronatur. Per id tempus Saraceni, Romam usque vastant. Carolus, Pipino Pipini filio, Aquitaniam tollit, quæ in nupera ei divisione cesserat: imò in Monasterium eum cum fratre detrudit. Sed & Lotharius denique Monasticen sponte arripit, distributis in filios fortunæ suæ partibus. Ita Ludovicus cum Imperio, Italiam accepit: Lotharius Lotharingiam à se nominatam: Carolus Burgundiam. Lotharius, dum Ludovico fratri, contra Saracenos in Apulia opem fert; pœnas dedit mendacij, quod Nicolao Pontifici imposuerat, Placentiæ mortuus. Ejus Regnum Carolus & Ludovicus, patrui, inter se partiuntur, excluso Ludovico Imperatore nepote, ex Lothario, cui saltem Lotharingia debebatur. Verùm & eo mortuo absque Liberis; Carolus patruus Romam advolat, & obnitentibus frustrà omnibus, fit Imperator. Neque eo contentus; etiam

Ludovici fratris Regno inhiat: quod cum Ludovici filius, patre mortuo, prohibere viribus non potest; miraculo facit: eodémque patrui copias profligat. Sed & in Carolum, dum Carolomanus nepos alter, movet; ipse Carolus à nepote fugiens, intoxicatur à Sedecia Medico, nec non celebri tum mago, ac moritur. Hunc tamen Carolum cognomento Calvum, Flandri habere in pretio possunt, quibus cum Iuditha filia, Balduinum primum Comitem imposuit: Litterati item, quos coluit, ipse Græcanicæ levitatis & vestis sectator.

IN se Fratres conversi, majori contentione rabiem miscuerunt, quia non ex æquo, regna possidebant. Nam cum Lothario, Italiam & Galliam, Imperiíque titulum Pius cessisset: Ludovico & Carolo Aquitaniæ & Baioariæ, ut ipsi appellabant, angustias; tamquam armis justiùs partituri fortunam, in Lotharium conspirant. Hic enim nondum contentus portione suâ, ad se omnia trahere cupiebat. Præliatum est ad Fontiniacum Altisiodorensis agri vicum, tali tantáque strage, ut si hostis quispiam, Galliarum regno inhiasset; facilè potuerit rerum omnium potiri. Eo perinde prælio, tantùm sanguinis Francorum effusum est, quantùm hactenus numquam meminerant.

Neque Lotharij inquies animúsque, tantâ suorum clade, componi frangíque potuit. Collecto exercitu, rursus experiri adversus utrúmque germanum Ludovicum Carolúmque tẽtavit; sed repressus, imò coactus fugam capessere, cùm paucis

cis ad Rhodani ripam consedit. Ad novam itaque partitionem ventum est: Lotharióque (quod mireris) ampliùs datum, quàm speraverat. Præter Romanum enim Imperium, hoc est Romam & Italiam; Belgicam accepit, quæ Schaldi & Rheno cotinetur, cum Provincia sive Burgundia. Ludovicus, Germaniam omnem, usque ad Rhenum adeptus est, ultráque hunc, Civitates tres. Denique Carolus, Occidentalem sortitus Franciam, à Mosa flumine, ad Britanicum Oceanum. Atque ita ex uno Francorum Regno, tria repentè nata sunt: quando horum singuli, Reges Francorum nominari gaudebant.

An. 843.

Ludovicum filium admodùm juvenem, Italiæ Regem mox factum, eódem Lotharius destinavit: quem perinde Sergius Pontifex, Imperiali diademate cinxit. In eo itinere, ditionem Ecclesiasticam, rapinis & populationibus Francorum obnoxiam fuisse, Anastasius in vita Sergij scribit.

Leo Ostie Ado.

Anast.

Quamquàm enim advenientem Ludovicum, omnibus quibus poterat, cultus & humanitatis officiis, Pontifex delinisset; attamen neque benevolentiæ tantæ cura, neque referatæ D. Petri januæ, neque ipsa Regni Longobardici thiara, Ludovico imposita; militem à devastationibus & incendiis, compresserunt. Dixisses, rerum mo-

rúmque circuitum, apud Francos reperiri. Nisi quippe Pontifex, munitis clausísque portis, urbem firmasset; periculum fortassis erat, ne Roma, quam sub Pipino & Carolo Regibus, voluissent in tali occasione Franci, donariis muneribúsque augere; turpi prædæ subjiceretur.

Quidquid sit, neque Lotharius, neque Ludovicus filius, neque ulli sanè Franci prohibuerunt; ne Saraceni Anno sequente, cùm se in Italiam effudissent; in suburbanas Petri & Pauli Apostolorum Basilicas, impetum facerent: & quidquid Christiani Reges, tot annis tantáque liberalitate congesserant, unâ horâ dissiparent.

An. 846.

Annal. Fuh.

Ceterùm cum in regni Francici divisione, inter fratres factâ, de qua diximus, neque Pipinus, Pipini filius, præteritus fuisset, sed paternum Aquitaniæ sceptrum, adolescenti donatum esset; jure Francico comprehensus à suis, & Carolo, quem Regno suo inhiantem sæpiùs repulerat, traditus, unà cum fratre Carolo; hic in Corbeiense, ille in Suessionense S. Medardi Monasterium detrusus est, Calvúsque Aquitaniam rursus occupavit.

An. 851.

Posthæc, Monasticam sibi quietem moliens Lotharius, quam in Prumiensi Cœnobio amplexus est; assignare filiis fortunæ suæ partes voluit, & dividere ipse regna potiùs, quam dividen-

denda relinquere : unáque proſpicere, ne quo ipſe cum fratribus furore colliſus eſt, filij diſſiderent. Iam enim Francis quodammodò hereditarium videbatur, in mutuum exitium armari fratres, quando id toties experientia probaſſet. An. 855.

Sed irrita Lotharij vota fuere: quâ concordiam curâ ſtabilire conatus eſt, potentiam concuſſit: quantùm quiſque accipiet, in arma & bella convertet: Ludovicus Italiam & Auguſti titulum: Lotharius Lotharingiam à ſe nominatam, primus ejus Rex: Carolus Provinciam ſive Burgundiam. Lotharingia.

Vt autem Ludovicus, teſte Reginone, dignis Principe virtutibus præditus fuerit; frater attamen ejus Lotharius, Thietbergâ legitimâ conjuge repudiatâ, ductáque Waldradâ pellice, infamis extitit. Quamobrem à Nicolao I. Pontifice ſacris prohibitus, dum in Italiam à Ludovico Imperatore contra Saracenos, qui totam pœnè Apuliam occuparant, vocatus, Romam ad Pontificem veniſſet; ſacrilegi mendacij, quo ſe à Waldrada poſt interdictum abſtinuiſſe, juratus, fidem fecerat, in reditu pœnas dedit, Placentiæ lethali morbo confectus, Anno D. CCC. LXIX. Sed & antea, Deo veluti vindictam expetente, parum apud Apulos, exercitus ejus effecit, dyſen- Regino. An. 869.

ſenteriâ partim, partim aranearum morſibus, teſte Reginone, diſſipatus.

Regino.

Mortui regnum, Carolus Calvus & Ludovicus Germaniæ Rex, ambo Patrui inter ſe diviſerunt: inſuper habito Ludovico Imperatore, cui tamquam fratri, Lotharingia debebatur, quámque ei Adrianus Papa reſcripto aſſeruerat. Atqui id Francicam eorum rapacitatem, haud extinxit.

An. 875.

Mortuo deinde abſque maribus Liberis Ludovico Imperatore, Carolus Calvus Occidentalis Franciæ Rex, vafer ac ſubdolus Princeps, & alieni ſemper appetens, Romam advolavit: & nequidquam armis viribúſque, obſiſtente Ludovico Germaniæ Rege, atque Proceribus ciſalpinis, arte Francicâ petens à Pontifice Imperium, inauguratus eſt.

Quâ porrò confidentiâ Imperium invaſerat; eâdem fratris quoque regnum tentavit. Hinc Aquas, Coloniámque properè contendit: occupaturus Lotharingiam, niſi obſtaculum inveniret. Ludovicus, Ludovici paullò antè Francofurti defuncti filius ſecundus natu, ubi intellexit Patruum, fines regni ſui infeſto agmine ingreſſum; quia juſtum robur deerat, quod Carolo objiceret, ſacris, jejuniis, ſupplicationibúſque ſe armavit. Neque fruſtrà. Om-

Omnibus enim experimentis (quæ Probas vulgus appellat) aquæ videlicet calidæ & frigidæ, ferríque candentis, non in uno homine, sed in denis per experimenta singula; quod hactenus inauditum fuerat, regni sui, quod cum Carolo fratre diviserat, justissimam possessionem probavit: adeóque nihil in id juris aut tituli patruo Calvo superesse. Rem gestam Aimoinus describit *lib. 5. cap. 34.*

Aimoin.

Eo miraculo animatus Ludovicus, aciem in Imperatorem direxit: cujus successibus uti Deus cœperat, aspiravit. Etenim movente Ludovico, tantus Caroli copias timor invasit, ut prius victæ essent, quàm pugnarent. Equi deinde, calcaribus licet ad sanguinem adacti, immobiles consistebant. Postremò obtusa armorum acies, ferire quidem, sed vulnerare neminem potuit. Fugâ igitur Calvus, sibi suísque cōsuluit. Videndi Anales Francorum à Pithœo editi, ad Annum D. CCC. LXXVI.

Ann Pith An. 876.

Anno sequente, dum contra eum Carolomanus Ludovici frater, valido cum exercitu Germanorum, in Italiam duceret: isque iterum solitum in fuga præsidium quæreret, in dysenteriam incidit: ac veneno pro antidoto potatus à Sedecia Judæo, quo medico utebatur, exspiravit.

Is

Is eſt Sedecias, celebris eâ tempeſtate magus, qui hominem in aëra jactabat, & in membra diſcerpebat, & ea recollectá adunabat: & currum onuſtum fœno, cum equis & agitatore, coram toto populo abſorbebat, ut Trithemius ſcribit.

Chron. Hirſaugh.

Moris & inſtituti patrij, Calvum, poſt adeptum præſertim Imperium, hoſtem quodammodò fuiſſe: Græcanicæ porrò levitatis & peregrinæ veſtis æſtimatorem; Auctor Annalium quos dixi, memoriæ prodidit. Eum tamen Flandri habere in pretio poſſunt, quorum Comiti Balduino, Iuditham filiam, uxorem eſſe permiſit, Nicolai Papæ precibus pacatus: nec non viri Litterati, quos cum ſtudiis ſuis, favore proſecutus eſt.

Ann. Pith

RERUM FRANCICARUM DECADIS SECUNDÆ

LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM.

CAROLOMANUS, Ludovici Alemanniæ Regis filius, in Italiæ Regno, succedit Carolo Calvo, ab eóque Ludovicum Balbum excludit, Calvi filium, cui id debebatur. Balbus, Calvo, in Regno Francorum succedit, non Imperio, sed neque Lotharingia: quam Carolomani fratres Ludovicus & Carolus, bipartitam possederunt. Balbo quoque Burgundiam; Boso subtraxit, Balbi sororius, & Ioannis VIII. Papæ filius adoptivus: sed quam patre mortuo Balbi filij recuperarunt, nō item Lotharingiam. Mortuo Carolomano, successere fratres, Ludovicus in Baioariæ, & Carolus in Italiæ Regnum. Hic, cognomento Crassus, Romam, inibíque Imperium adit: fratre mortuo; Lotharingiam pariter & Baioariam: imò paullò pòst duobus Balbi filiis defunctis, totam cum Imperio Francorum Monarchiam, etsi non duratura gloriâ. Eum enim non unâ ex caussa, Franci, Saxones, & Thuringi primùm deseruerunt, evecto ad Imperium Arnulpho, Notho Carolomani Italiæ Regis, apud quem versâ denique fortunâ, Crassus vitam precariò egit, desertus à suis. Hinc Imperium & Italiæ Regnum, variè scissum: donec utrumque Arnulpho, Formosus Papa asseruit. Hic est Arnulphus, qui apud Lovanium, Normanorum centum millia delevit, vix ullo è suis amisso. Cujus victoriæ memoriam, Lovanienses celebrant annuis Encœniis. In Gallia interim, dum tertius Balbi filius Carolus Simplex dictus, adolesceret; duo præter Salicam ad Regnum pervenerunt, Vido & Odo: ille à Pontifice, hic à Proceribus factus, assentiente Arnulpho: ex quo patet Galliam, Imperij beneficium esse. Vido, in Francos veniens; ob parsimoniam à Proceribus, contemtus est. Per id tempus Rudolphus, Burgundiæ Iuranæ Regem, nominari se jussit: & Odone relicto; Franciæ Proceres, ad Carolum Simplicem inclinarunt. quod dum Odo rescit; adjutus à Roberto fratre, Carolum fugat: Carolus rursus adjuvante Arnulpho, Odonem. Arnulphus interea nothum suum Swendeboldum, Lotharingiæ Regem præficit: qui pòst conjuratione Comitum, occiditur, in Monasterio Susterensi conditus, ergà Ecclesias pius & benignus. Denique & Odo moriens, Carolo Simplici, sceptrum, quod abstulerat, reddi jubet

POST Calvum, Carolomanus, Ludovici Alemaniæ Regis filius, Italiam triennio tenuit: Ludovicus verò Balbus, Patri Carolo in Regno Francorum, non Imperio, (quod nonnulli perperàm putant) neque ulla Lotharingiæ parte successit. Hanc enim Ludovicus & Carolus, Fratres Carolomani Italiæ Regis, quem dixi, bipartitam possederunt. Quapropter adeptâ Italiâ, id Carolomanus Balbo fecit, quod Balbi pater Calvus, Ludovico & Carolo facere destinaverat, nisi Deus avertisset. Successionis enim ordine, Calvo defuncto; Italiæ Regnum, Ludovico Balbo debebatur.

Aimoin. Iam & huic Ludovico, Boso Comes, qui Ludovici sororem duxerat, adeóque placuerat Ioanni VIII. Pontifici, ut eum Pontifex in filium adoptaret, Provinciam sive Burgundiam, eodem agente Pontifice Rex coronatus, subtraxit. Verumtamen Anno sequente, mortem oppetente Ludovico Balbo, inque Regnum patris filiis, post altercationem, succedentibus, Ludovico videlicet in Franciam & Neustriam: & Carolomano in Burgundiam & Aquitaniam, Boso quidem rejectus est; sed adolescentes fratres, portionem Regni Lotharij, quam avus patérque tenuerant, Ludovico Lotharingiæ & Germaniæ Regi, pa-

An. 879.

ctio-

ctione cedere maluerunt, quàm bello, quod Ludovicus paraverat, experiri. Regino.

Post Corolomani Italiæ Regis obitum, fratres ejus hereditatem invadunt, Ludovicus Baioariæ regnum, Carolus Italiæ. Atque hic (cui cognomentum Crassi adhæsit) ad spem quoque Imperij, non vanâ cupiditate erectus, Romam abit, ibique coronatur, festo, Natalis Domini. Hinc veluti fortunæ manu, ad majoris potentiæ fastigium ducitur, quippe Fratre Ludovico extincto, Lotharingiæ & Baioariæ regnis augetur, & (quod præter Carolum Magnum & Ludovicum Pium nemini contigit) paullò pòst Franciæ totius. Etenim Ludovico, & mox Carolomano Balbi filiis, fato functis, à Proceribus ipsis vocatus est, ut ab eo & Rege & Imperatore, Normannorum vis & crudelitas reprimeretur. An. 880. Calvis.

Clarus sanè hic Imperator & Rex extitisset, si Regna Majestatémque Regiam, æquè tueri, atque parare potuisset. Verùm Anno Christi D.CCC. LXXXVII. Franci, Saxones & Thuringi, Carolum Imperatorem deserunt; *quòd Normannos benignius habuisset: quòd corpore ferè ægrotaret: quòd uxorem falsò adulterij accusasset: & potissimùm quòd animo collaberatur.* Quapropter Arnulphum, Carolomani Italiæ Regis filium Nothum, Ludovici Regis Germa- Regino. An. 888.

maniæ & Caroli Craſſi nepotem, Ducem Auſtriæ & Carinthiæ, Ludovici Pij Imperatoris pronepotem; Imperatorem eligunt: adeò in eandem ſententiam accedentibus reliquis Proceribus; vt ſolus omninòCarolus relinqueretur. Ferunt perinde Imperio exutum, ad eam calamitatem recidiſſe, ut ab æmulo Arnulpho, victum precariò quæſierit: ſed eatenus felicem, quod tantæ miſeriæ, ſextâ dumtaxat hebdomade ſuperfuit.

Regino. Sciſſum itaque in partes tantiſper, Imperium & Longobardorum Regnum, Italis præſertim contendentibus: donec utrumque Arnulpho, Formoſus Papa aſſeruit, Anno D. CCC. XCVI. etiamtum vivente Lamberto Vidonis filio: quem ſcilicet Vidonem, contra Berengarium, Italorum plerique elegerant: quique filio Lamberto, Anno D. CCC. XCII. Imperium moriens reliquerat.

Hic Arnulphus eſt, qui coacto exercitu, è Baioaria egreſſus, Rhenóque properè & Moſâ ſuperatis, Normannos, quorum Duces erant Sigefridus & Godefridus, magnis itineribus ſecutus, prope Tiliam amnem, & in ipſis Vrbi Lovanienſi proximis patentibúſque campis conſidentes, caſtráque metatos reperit. Quapropter inſtructâ contra eos acie, juſsíſque equitibus ſuis, ſtatarium ac pedeſtre prælium committere, ſummâ

Avent. Helmold.

vi vallum è ligno & cespite erectum, quo se munierant perrupit, exutósque castris, internecione delevit. Cecidisse enim testatur Aventinus ad nonaginta millia: Helmoldus, ad centum. Tam memorabilem victoriam assecutus Arnulphus, vix ullo desiderato è suis, cum universo exercitu, Deo sollemnes gratias reddidit, quas usque hodie Lovanienses continuant, primâ Dominicâ Septembris, vernaculis Encœniis sacrâ; Kalendis enim mensis ejusdem, Normanorum strages edita est. Videndus *Lipsius in Lovanio.* Arnulpho, anno hujus sæculi ultimo, vitâ functo, phthiriasi ut aiunt, à Principibus anno sequente, filius Ludovicus surrogatus est, qui annis imperavit circiter duodecim.

Luithpr.

Verùm in Gallia, dum Balbi filius Carolus cognomento Simplex, adolesceret; duo, quorum neuter ad Francorum ex patre familiam spectabat, sed ex matre solummodò, jure nihilominus cupiditatis Franciçæ, ad regnum aspirabant. Nomen unius Vido Spoletanorum Dux, Pipini Regis Italiæ nepos: alterius Odo, Ducis Roberti cognomento Fortis filius, Dux Aurelianensis & Comes Parisiorum. Ille, à Pontifice Rex Franciæ creatus est: hic, cùm esset vir strenuus, proceritate corporis viribúsque juxtà pollens, à primoribus

An. 889. populóque, Arnulpho consentiente, electus.

Patet ex hoc Arnulphi, jam ad Imperium evecti consensu, Imperij beneficium, Franciæ Regnum fuisse: quando alio titulo, uti existimo nullo, ad Regem, eo casu eligendum, Franciæ Proceres, Arnulphi, petere aut exspectare placitum tenebantur.

Vido interim, Regis titulo à Summo Pontifice donatus, in Franciam venit: sed repentè didicit, aliam etiamtum Francorum, quàm Italorum indolem fuisse. Cùm enim præmissus Metas Vidonis Dapifer, Regiæ mensæ sumtus, quos Franci pro more suo facere profusos solebant, Italicâ parsimoniâ, adeò se contracturum promitteret, ut tertiâ obsonij parte Vido cœnaret, si Equum Episcopus Metensis, donare sibi vellet: respondissétque Episcopus, *non decere ut ejusmodi Regem haberent, qui decem drachmis, vile sibi obsonium præpararet*; desertus à Francis Vido contemtúsque est. Rex autem, sive Odo sive Vido fuerint, sive ambo; contra Salicam legem, Reges fuisse clarum est.

Luithpr.

Eodem tempore Rudolphus, Conradi filius, Primoribus Agauni ad S. Mauritium congregatis, Arnulpho frustrà obsistente, Burgundiæ inter Iuram Alpésque Pœninas, Regem appellari se jussit: adeó-

adeóque Gallia per id tempus, proferebat quotidie ferè solstitiales Reges, qui repentè exorti, repentè occiderent. Toto vix enim, quadriennio regnarat Odo, cum ad Carolum Simplicem Balbi filium, Francorum primores respicere cœperunt, Fulcone potissimùm agente Episcopo Remensi, qui à Carolo Magno originem petebat; Carolúmque in Vrbe Remensi ungente in Regem, vigesima octavâ, Ianuarij. Quod dum Odo accepit, rebus in Aquitania, ubi erat, compositis, reversus in Franciam, cum Roberto fratre Carolum fugat: Carolus reparato in Burgundia bello, adscitísque ab Arnulpho auxiliis, Odonem rursus fugavit: atque ita per aliquot annos, uno mox alteróque devicto, præliatum serrâ, & præter rapinas & cædes, Francici utrimque sanguinis, plurimum effusum est.

An. 893.

Interea Imperator Arnulphus, Comitiis Wormatiæ habitis, Swendeboldum filium suum Nothum, Lotharingiæ Regno præfecit: qui, etsi pluribus Belgij Ecclesiis possessiones suas sive firmavit sive auxit, Nivellensi videlicet, Leodiensi, Epternacensi & Treverensi; ob crudelitatem attamen, quam exercebat in suos, à Stephano, Matfrido, Gerardo & Raginero Comitibus, bello impetitus, ac demùm prælio prope Mosam victus, oc-

An. 895.

Regino.

occubuit, conditus in Susterensi Monasterio, Anno D. CCCC. quo, cum Imperio, Lotharingiæ Regnum, ad Ludovicum Arnulphi Imperatoris legitimum filium, Germaniæ jam antea Regem, pervenit.

An. 898. Ceterùm Odo, qui quoad vixit Aquitaniam & Burgundiam tenuit, ac decennio Francos rexit, tertio Ianuarij moriens Anno D. CCCXCVIII. quamquam bello hactenus cum Carolo, decertasset; Francorum nihilominus Principes obtestatus est, ut ei Sceptrum deferrent, quod jam videlicet in aliena manu erraverat.

LIBER SECVNDVS.

BREVIARIVM.

ARNVLPHO, morbo pediculari mortuo, surrogatur in Imperium & Germaniæ Regnum, Ludovicus filius: huic Conradus nepos, ultimus Carolini sanguinis Imperator. Conrado, cui tota Lotharingia debebatur; partem alteram, jure Francico, Carolus Simplex ademit. Eidem Conrado, bellum atrox, cum Henrico Duce Saxoniæ fuit: cui tamen Imperium moriens, Everhardo fratre præterito, reliquit; sicque à Caroli Magni stirpe, ad Saxones è Witichindo, transiit, quem Magnus, ad Christianismum adduxerat. Sed neque Eberhardus Lotharingiam habuit: quòd eam non ita pòst, Henricus cum Carolo Simplice pactus; totam-integram tradiderit Gisleberto Comiti Capræmontis in Eburonibus filio Raginerij primi Hannoniæ Comitis: quem datâ in conjugem filiâ, primum Lotharingiæ Ducem fecit. Henricus Imperator, & duo præcedentes, non sunt à Pontifice Romano coronati. Interea in Gallia, Carolini sanguinis Reges, ægrè dignitatem tuebantur, Principum oppressi potentiâ. Desertus itaque Carolus à suis, ab Heriveo Episco-

copo Remensi, tantisper sustentatur. Qui cùm mox Robertum, contra Carolum, Regem sacrasset; non plus triduo, manifestâ Numinis vindictâ, supervixit. Robertus etiam, in prælio contra Carolum periit, trajectâ per os lanceâ. Cúmque nihilominus Carolus in fugam conjectus esset; perduelles Rudolphum Roberti generum Burgundiæ Ducem, annitente Hugone Roberti filio, Regem dixerunt: equidem contra Salicam, cum nec Robertus, nec Rudolphus, è masculina priorum Regum stirpe essent. Carolus itaque Quintinopolim veniens, ab Heriberto Veromandiæ Comite, inclusus in Arcem Peronensem, moritur, relicto filio Ludovico: qui quia patre capto, ad Avum in Angliam fugerat; inde ab Hugone, defuncto Rodulpho revocatus ad Regnum, Transmarinus dictus est. Per id tempus, Henricus Imperator obiit, dictus Auceps, succedente Otthone filio: cui dum Henricus frater, faventibus Gisleberto Lotharingiæ; & Eberhardo Franconiæ Ducibus, Regnum eripere tentat: Gisleberto & Eberhardo ad Andernacum, ab Vdone & Conrado, qui Otthonis partes tuebantur, occupatis; Henricus cum Otthone pacem fecit. Hinc Ludovicus Francorum Rex, ductâ viduâ Gisleberti, Otthonis Imperatoris sorore, Lotharingiam adire conatus est: sed eam Ottho, Henrico fratri dedit. Hoc, pulso; successit Odo, cujus nomine, incertum. Ludovico interim Regi, Hugo & Heribertus Comites, nihilo quietius Regnum, quàm Carolo fecerunt: etiam Episcopis graves: quæ res, Stephanum Papam impulit, ut per Legatos, pacem fieri procuraret. Ea quidem coalescit Odonis Lotharingiæ Ducis operâ; sed non durat. Capitis cum Heriberto damnato, quia Carolum Regem captivitate necaverat; Hugo, haud diu in fide permansit: imò Regem à Normannis captum sibique traditum, non priùs dimisit, quàm quod voluerat, extorsisset. Sed & Heriberti filij, insigniter inquieti patrissabant, Normannis interea Gallias infestantibus. Ad ingenium etiam reversus Hugo, omnia dissidiis complevit: donec anathemate & armis, à Pontifice & Imperatore, ad officium compelleretur. Quo tempore, cum Imperator, citra Regis Franciæ consensum, prohibuerit inibi munitionem erigi, & erectam jusserit destrui; Majestatis in Franciæ Regnum, luculentum argumentum dedit. Moritur Ludovicus Transmarinus Elephantiasi, relictis ex Gerberga filiis, Lothario & Carolo.

LVDOVICO Arnulphi filio Imperatori & Germaniæ Regi, animi mœrore, quòd bella infeliciter, contra Hungaros gereret, ex- An. 912

tincto; Conradus Nepos ex fratre succeſſit, Carolini ſanguinis ultimus Imperator. Ejus enim à morte, Imperium ad Saxones tranſlatum eſt. Errare itaque eos, qui Ludovicum, poſtremum è Caroli ſtirpe Imperatorem faciunt, Goltzius oſtendit.

Goltz.

Porrò Conradus, cui tota Lotharingia debebatur, partem ejus dumtaxat tenuit: alteram Carolo Simplice occupante, jure utique Francico.

Conrado, cum Henrico Saxoniæ Duce, qui pòſt in Imperio ei ſucceſſit, bellum atrox fuit. cúmque Conradus Merſeburgum obſideret; Henricus exercitu collecto, obſidionem ſolvit: & Conradi fratrem Eberhardum, à quo originem ſumunt Principes Franconiæ, tantâ clade ſuperavit, ut de ea Proverbio quæſitum ſit: *Vbi tantus reperiretur infernus, qui tot cæſos caperet Francos?*

Avent.

Conradus, cùm annos ſuprà ſeptem imperaſſet, morbo correptus, fertur mandaſſe Principibus, ut ne alium ſucceſſorem deligerent quam Henricum hoſtem nuper ſuum, Ottonis Saxoniæ Ducis filium ex Witichindi genere, qui ad fidem Chriſtianam à Carolo Magno perductus eſt: ut quamquàm eo mandato, viſus fuerit rebus Imperij conſuluiſſe, quòd ad id magis idoneus Henricus eſſet, quàm Eberhardus frater; quia tamen hoc pacto fra-

Imperiū è Caroli ſtirpe, ad Saxones tranſlatū.

fratri Francísque omnibus diadema præcidit, eorum non extendendo sed contrahendo pomœrium; Francus reverà & prodigus alieni fuit. An. 918.

Quapropter, neque partem Lotharingiæ, quam Conradus possederat, Eberhardo obtigisse reperio: quandoquidem Henricus Imperator, ad eam integrè sibi restituendam, pauculis post hæc annis, Carolum Simplicem armorum suorum terrore, adeò compulerit; ut Carolus, pacto apud Bonnam cum Imperatore per Legatos federe, promiserit, numquam se magis Lothariense regnum usurpaturum.

Ita Regibus Francis Lotharingia periit, dataque Gisleberto est, Comiti Capræmontis apud Eburones, Raginerij primi Comitis Hannoniæ filio: quem deinde Henricus, collocatâ in uxorem filiâ Gerbergâ, generum adscivit, primúmque Lotharingiæ Ducem fecit, Anno D. CCCC. XXIX.

Gislebertus primus Lotharingiæ Dux.

Ceterùm tres illi, ex ordine Imperatores quos retuli, neque Romam accesserunt, neque à Pontifice redimiti sunt.

Inter hæc, Francorum in Gallia regnum, Caroli Magni posteri, ægrè tuebantur, Principum oppressi potentiâ, qui Provincias, non ex voluntate Regis, ad tempus, sed perpetuo jure quasi proprias habebant. Eminebat hos inter Robertus, An. 920.

Aimoin. Odonis Regis, de quo diximus, frater, & Heribertus Veromanduorum Comes, cujus ſororem, Robertus conjugem habebat, ex eaque Hugonem genuerat. Hiſce, uti apparet, præeuntibus, ceteri Principes conſenſu facto apud Sueſſiones, à Carolo deſciſcunt, quòd is Haganonem mediæ ſortis hominem, ad ſummam potentiam evectum, interioribus conſiliis adhiberet. Deſtitutum ab omnibus Regem, Heriveus Remenſis Epiſcopus; privatis opibus ad menſes ſeptem ſuſtentavit, donec Proceres in gratiam cum eo reduxiſſet. Sed cùm majores inter Robertum Carolúmque diſcordiæ eſſent, quàm ut repentè componi poſſent; in Francicum denique latrocinium eruperunt.

An. 922. Flodoard. Anno etenim D. CCCC. XXII. Robertus, factione Principum Rex eligitur, & ab Heriveo Remenſi Epiſcopo, anteà fido, conſecratur. Viſum eſt Divinum Numen, ab utroque fidei violatæ pœnas expoſcere, quando triduo à Roberti coronatione, Heriveus exſpiravit: & ipſe Robertus, anno ſequente contra Carolum pugnans, occubuit, trajectâ per os lanceâ, ut eâ, quâ fefellerat parte, dare ſe perfidiæ pœnas oſtenderet.

Verumtamen quia fugiente Carolo, à parte perduellium, victoria ſtetit; quaſi ad vacuam regni poſſeſſionem accitus eſt Rudolphus Burgundiæ

diæ Dux, Richardi filius, Roberti peremti gener, & apud Suessiones in Monasterio S. Medardi, sollemni ritu salutatus.

Aiunt Hugonem Roberti filium, cujus industriâ militari adeò tunc pendebat regnum, ut ad ejus arbitrium, Regis instauratio flecteretur; occasione solij vacantis, ad sororem suam Emmam Rodulphi conjugem, consultum misisse, *Quémnam illa potissimum ad regale eligeret culmen, ipsúmne qui frater erat, an potiùs maritum Rudolphum?* Hanc perinde respondisse: *Malle se Regis mariti genu osculari, quàm fratris*: eique obtemperasse Hugonem, traditâ Rudolpho Regiâ dignitate.

Glab.

Et quamquam ambo hi Reges, Robertus quidem, rebus contra Normannos præclarè gestis, quorum impetus sæpè, ferociámque repressit: Rodulphus armis, consilio ac liberalitate, fuerint admodùm insignes; quia tamen Salicæ Legis tenorem, cùm neuter è masculina priorum Regum stirpe, descenderet, prævaricati sunt; existimo Franco-Gallorum hodierno judicio, Tyrannos potiùs quàm Reges appellandos esse. Atqui id dicimus, Francorum sive foris sive domi viciniam, non suspectam tantummodò, sed noxiam omninò, propriis etiam Dominis herísque fuisse.

Carolus, cùm in Oppidum S. Quintini, paucis

Flodoard.

co-

comitatus ad Heribertum venisset, specie reconciliandæ gratiæ, perductus in Castellum Theoderici ad Mátronam, includitur. Inde Peronam translatus, decessit, Anno D. CCCC. XXIX. relicto ex Eadgina Alstani Anglo-Saxonum Regis filia, Ludovico: qui parente capto, ad avum in Angliam profugit: indéque Rodulpho Rege defuncto, per Hugonem Comitem Legatis eò missis revocatus, & coronatus Lauduni ab Arthaldo Remensi Episcopo, regnare cœpit, Anno D. CCCC. XXXVI. à peregrinatione, in qua tantisper egit, dictus Transmarinus.

An. 929.

An. 936.

Eodem Anno, Henricus Imperator obiit, Auceps cognomento, quòd aucupio, sive texendis retibus, occupari repertus esset, quando electionis de se factæ, in Germaniæ Regnum & Imperium, nuntium accepit. Successit Ottho filius, cui deinde Regnum eripere, initâ conspiratione cum Gisleberto Lotharìensium, & Eberhardo Franconiæ Ducibus, Henricus frater tentavit: quòd patre Rege natus ipse, jure præcederet Otthonem, quem ante Regnum pater genuerat. Vetus nimirùm controversia, quæque in Ataxerxe & Cyro, Xerxis Persarum Regis filiis, olim decisa fuerat: etsi contrà judicatum sit inter Arthemenem & Xerxem Darij filios, è quibus junior, auctore patruo

Guillim.

Iustin. l. 2.

truo

truo Anapherne, ſeniori prælatus eſt.

Atqui Vdo & Conradus, Herimani Suevorum Ducis frater Otthoni fideles, Giſlebertum & Eberhardum, ſecurè per Germaniam prædas agentes, apud Andernacum aggreſſi, Giſleberto Rheni fluctibus hauſto, plurimíſque trucidatis & captis, Eberhardum pariter ceciderunt. Henricus cum Otthone rediit in gratiam.

Witte-chind. Luit-phrand.

Giſleberti conjugem Otthonis Imperatoris ſororem, Ludovicus Franciæ Rex ſibi copulavit: & Imperator Lotharingiam, quam anno præterito ſibi rurſus vindicare Ludovicus tentaverat, Henrico fratri tradidit. Mox pulſo à Lotharienſibus Henrico, Odo Comes ſucceſſit Ricuini filius: ſuo an Henrici pueri, filij Giſleberti nomine, incertum.

An. 940. Flodoard.

Henricus, Odo, Henricus, Lotharingiæ Duces.

Ac veluti fatale Franciæ Regibus eſſet, cum Principum ſuorum potentia & ambitione collidi; nihilo quietius Ludovico quàm Patri Carolo, regnum Heribertus & Hugo fecerunt. Et quamquàm Hugo, bis hactenus in Regni ſolium, facilè ſe potuiſſet inferre, ſi voluiſſet; ſuâ nihilominùs & perpetuâ inquiete, viſus eſt filio Hugoni præludere: quem Carolinâ ſtirpe depulsâ, regnum occupaſſe, mox dicemus. Quapropter iiſdem factionibus, etſi non iiſdem nominibus, quibus an-

teà

teà præfecti Palatij, senescente auctoritate Regiâ, Principes Franciam miscuerunt.

Verùm & sacram potestatem Heribertus aggressus, Arthaldum Remensem Episcopum, cui Ludovicus Rex, Comitatum Remensem, jusque Monetæ cudendæ nuper dederat, Cathedrâ dejecit: inque eam filium suum Hugonem, olim conivente Pontifice quinquennem electum, at nunc Sacerdotio aptum, & mox à Widone Suessionensi Episcopo consecratum, intrusit. Verumtamen in pristinam denuò sedem, ejecto Hugone, Arthaldus rediit.

Flodoard.

Heribertum Hugo imitatus, Gerlando Senonensi Archiepiscopo, Frotmundum suffecit: qui & ipse sedentem pacificè in cathedra sua Antistitem, quòd cuidam se contra favisset, expulit. Accedebant & alia complura, quibus Ludovicum, Regnique tranquillitatem, duo illi turbines vexabant. Videndus *Flodoardus in Chronico.*

Flodoard. An. 942.

His etenim Stephanus Papa permotus, quemdam nomine Damasum, hujus legationis peragendæ causâ, ordinatum Episcopum, in Franciam destinavit: scriptisque litteris, Franciæ Burgundiæque Principes populumque admonuit, sub interminatione dirarum; ut vale-factâ discordiâ omni, Regémque Pacémque in commune amplecterentur.

Ea

Ea res Odonis Lotharingiæ Ducis operâ, successum quidem, aſt minimè diuturnum habuit. Mortuo quippe (imò propriâ ſententiâ, veluti parricidâ damnato, quia Carolum captivitate necaverat,) anno ſequente Heriberto Veromandiæ Comite, de quo jam ſæpiùs diximus: quique originem ſuam à Pipino repetebat Italiæ Rege; Hugo non diu admodùm, maximis licet beneficiis & honoribus cumulatus, hæcque inter Franciæ & Burgundiæ Ducatu; in fide & pace permanſit. Ludovicum etenim Regem, à Normannis captum ſibique traditum, toto anno detinuit: neque priùs dimiſit, quàm obtento quod popoſcerat Lauduno, & Edmundi Anglorum Regis precibus compulſus.

Freij.

An. 945.

Intereà Heriberti filij, Patris exemplum & veſtigia ſecuti, cædibus & deprædationibus, tametſi à Ludovico ſæpiùs in gratiam recepti; pro libidine graſſabantur. Quæ perinde repetita toties, poſt ſartam partámque concordiam, Principum Francorum, perjuria, cladibus, quas per id tempus à Normannis, plures neque exiguas Gallia accepit, cauſſam dediſſe; haud de nihilo licet exiſtimare.

Nondum enim à reſtituto in libertatem Rege, biennium abierat; cùm ad antiquum Hugo reverſus, diſſidiis omnia complevit. Quapropter à

Flodoard.

An. 948.

Patribus Germanis & Gallicanis, Synodo Ingelhemij habitâ, in qua pariter ſederunt Ottho & Ludovicus Reges, hic Franciæ, ille Germaniæ, anathemate Hugo, niſi reſipiſceret percuſſus eſt. Vide *Flodoardum in Chronico*, fuſiùs hæc enarrantem. Idem; Agapitus Pontifex fecit in Synodo Romana: ipſéque Ottho (cujus arma ludibrio Hugo & contemtui habuerat, de ſuis viribus magnificè gloriatus) in Galliam movit, adeóque profecit, ut Pax iterum Ludovicum inter & Hugonem ſarciretur, Anno D. CCCC. L.

Calviſ. Fauchet. An. 950.

Francorum in Gallia Regnum, Imperij beneficium eſſe, alibi diximus, Idem, Anno ſequente ex Flodoardo patet, ubi refert, Fredericum Adelberonis Epiſcopi fratrem (eundem opinor, cui poſteà Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, Otthonis Imperatoris frater Lotharingiam ceſſit, uti dicemus,) Hugonis generum, in Francia Munitionem, loco qui Banis (fortè Barris) dicebatur, Rege, aut Reginâ inconſultâ excitaſſe: unde vicina circùm deprædationibus vexabat. Id, cùm moleſtè Ludovicus ferret, Legatos ad Otthonem conqueſtum miſit: qui mox Frederico, ceteríſque inhibuit, *Ne quis citra Ludovici Regis conſenſum, Munitionem in Regno ullam haberet.*

Lib. 3. Dec. 1. Flodoard.

Obiit denique Ludovicus Anno D. CCCC. LIV.

An. 954.

Sep-

Septembri mense, cum admisso equo lupum insequens, & in terram collapsus, attrito corpusculo in Elephantiasin incidisset. Filios ex Gerberga suscepit Lotharium & Carolum.

LIBER TERTIVS.

BREVIARIVM.

LOTHARIUS, patri Ludovico succedit, toto integro Regno solus, novo more potitus: idque ex consilio matris Gerbergæ. Regni initio Hugonem sibi devinxit, Burgundiâ ei & Aquitaniâ attributis. Inde Hugo Regem cum Matre, apud se Parisiis, per dies plures magnificè habet. Post, simul Pictavos obsident: sed commeatus inopiâ abeuntes; Guilielmus Aquitanus insequitur, qui damno suo retroagitur. Moritur Hugo cognomento Magnus, Albus & Cappatus, à Cappa Salvatoris: relictis filiis tribus, Hugone Capeto, Otthone & Henrico: vir egregius, sed perfidus. Hungaros interim, quos Conradus Dux Lotharingiæ acciverat, Ottho Imperator Burislai auxilio, operâque ipsius Conradi sibi reconciliati, repellit & cædit. Quo in prælio, dum Conradus occumbit; Brunonem Coloniensem Episcopum, Ottho Lotharingiæ Ducem facit: qui Gerbergæ sorori, Regis Lotharij matri restituit, quidquid ei Gislebertus pro dote donaverat. Raginerium Secundum, Bruno, bonis & exilio mulcat, quamobrem Raginerij filij, Raginerius & Lambertus, ad Lotharium se recipiunt: ubi uxores, hic Gerbergam, Caroli, ille Hathuidem, Hugonis Capeti filiam, ducunt. Bruno demùm, haud ferens factiones Lothariensium, ab Immone Comite contra se procuratas; Ducatus sui regimen, in Fredericum Comitem transfert: sed & nepotes Hugonem Capetum & Otthonem, cum Rege Lothario reconciliat. Ottho pòst moriens, Burgundiâ fratrem Hugonem Capetum auget, qui deinde Regni Francici usurpator fuit. Otthone Primo Imperatore mortuo, Raginerius & Lambertus in Hannoniam revertuntur, & Guarnerum Reinaldúmque pellunt, ac Lotharingiam infestant. Iterum pulsi, ope Socerorum iterum reducti, pacificè dominantur: eorúmque alter Lambertus, post Ansfridum Comes Lovaniensis fuit, Bruxellámque jure uxorio possedit: hic, S. Gaugerici, illic, S. Petri

Ecclesiarum fundator: & Carolini per Gerbergam uxorem sanguinis, ad hodiernum usque diem tradux. Quamvis autem Raginerij & Lamberti, in principatus suos reditu, Ottho secundus Imperator, utcúmque fuerit offensus Lothario Regi; non destitit tamen Carolo ejus fratri, Lotharingiam dare, cupiens hoc pacto Lotharium pacare. Contrà Lotharius, in iracundia persistens, Otthonem Aquisgrani tantùm non opprimit. Verùm collecto exercitu, talionem repetit Ottho, imò & recipit iterum. Pòst biennum itaque pace utrimque factâ, Lotharius jure in Lotharingiam cedit: cujus Aquilonarem partem, Ottho tenuit, Meridionalem, Carolo, Lotharij fratri transcripsit. Quod Lotharij factum, cùm Franciæ Proceres ægrè ferrent, in primis Hugo Capetus, & Henricus, Hugonis Magni filij; mortuo Otthone secundo Imperatore, Lotharius Lotharingiam recuperare conatus est: sed pace demum cum Otthone tertio factâ, moritur: Ludovicum, filium, Hugoni Capeto commendans. Per id tempus, Carolus Lotharingiæ Dux, Palatium suum Bruxellæ in Sennæ fluminis Insula habebat: qui & vulgò creditur, Reliquias S. Gudilæ Virginis, è pago Mortesella, Bruxellam transtulisse, inque S. Gaugerici collocasse. Ludovicus Lotharij filius, brevis ævi Rex, tam *Nihil feris*, ut ne heredem quidem, etsi conjugatus, post se reliquerit. Eapropter moriens, Hugoni Capeto aut uxori, Regnum tradidit: quod utrumque, contra Salicam est.

LOTHARIVS, paterni simul Regni & calamitatis heres, eodem Anno orsus est, pridie Idus Novembris ab Arthaldo inunctus: Regíæque Majestatis imaginem, ad annos circiter duos & triginta sustinuit. Mirum videri potest, Regnum Franciæ, quod hactenus inter se fratres partiri solebant, uni jam Lothario totum-integrum, cessisse. Sed id tribuitur prudentiæ Gerbergæ matris, quæ Regni fines accisos arctósque considerans, maluerit unum cum justis ad tuendam Majestatem viribus; quam duos cum injustis & imparibus, præesse. Id igitur Fauchero teste, de-

Fauchet.

deinceps apud Francos, in hodiernum usque obtinuit, ut major natu, Regni heres totius esset.

Lotharius, ut Hugonem sibi, regnandíque auspiciis devinciret; Burgundiam ei mox, quam à defuncto Ludovico obtinuerat, confirmavit, & Aquitaniam adjecit. Ipse Hugo, Anno sequente, Regem cum matre Gerberga, pluribus diebus magnificè, apud se Parisiis habuit. Inde pariter cum eo, contra Guilielmum in Aquitaniam profectus, Pictavos obsedit: verùm commeatus inopiâ, obsidione solutâ, Guilielmus abeuntes secutus, & mox retroactus, vix cum paucis evasit. Flodoard.

Anno sequente, Hugo obiit: Magnus, Albus & Cappatus (à Cappa Domini, quàm è Terræ promissionis transvexisse fertur in Franciam, ut inquit Albericus) appellatus, relictis filiis tribus, ex Hathuide Otthonis Imperatoris sorore, Hugone Capeto (ab ea fortè Cappa, quam diximus) Otthone & Henrico, filiâ Emmâ: vir summus, nisi fidem toties prodegisset. In Chron. ad Annû 922.

Conradus interea, Otthonis Primi gener & Lotharingiæ Dux, socero rebellis, Hungaros in Lotharingiam & Germaniam evocaverat. His, dum deprædationibus & incendiis cuncta fœdarent, ac multitudine suorum stipati, in Franciam irrumpere rursus conarentur; Ottho Imperator, Buri- Flodoard.

flao Sarmatarum Principe in auxilium aſſumto; & Conrado genero, quem in gratiam receperat, fortiter occurrit: initóque ad Lichum prælio, in quo Conradus occubuit, internecione propè delevit. Exinde reconciliatis Lotharienſibus, Ottho Brunonem Epiſcopum Colonienſem germanum ſuum, Ducem impoſuit: qui Gerbergæ ſorori, Regis Lotharij matri, ut diximus, reſtituit, quidquid ei dotis nomine, Giſlebertus anteà donaverat.

Flodoard.

Hinc Brunoni, cum Raginerio Secundo Hannoniæ Comite bellum: quem viribus ſuis diffiſum, nolentémque congredi, neque tamen pacem datis obſidibus cupientem, comprehendit, ac bonis exilióque multavit. Quæ res, Raginerij filios, qui Longicollius dictus eſt, Raginerium & Lambertum, ad Lotharium Franciæ Regem pepulit: ubi ductâ demùm hic Gerbergâ Caroli filiâ, ille Hathuide Hugonis Capeti; ad patrium ſolum ſoliúmque redierunt.

Sigeb.

An. 959. Et quamquàm virtute haud minore quàm induſtriâ, Lotharingiam Bruno, ſuper quâ cum Lothario pactus fuerat, gubernaret; attamen ab eo deſciſcens Immo Comes, quondam à conſiliis, novitia quædam oppida, quæ everti Dux juſſerat, & inſueta onera quæ impoſuerat, cauſſatus; in

par-

partes secum populum pariter Lothariensem pertraxit. Verùm & hoc dissidio composito, atque oneribus remissis, Bruno Ducatus sui regimen, in Fredericum Comitem, Adelberonis Episcopi Metensis fratrem, transtulit.

Sigeb.

Hugonem Capetum, cum fratre Otthone, Hugonis Magni filios, agente avunculo Brunone, proximo Anno ad Regem Lotharium venisse, & cum eo rediisse in gratiam; Annales Francorum habent. Quid eos inter controversiæ fuerit, non exprimunt quidem; sed cùm Rex Hugonem constituerit Franciæ Ducem, addito Pictaviensi pago, ad reliquas ditiones quas pater ejus tenuerat: Otthoni verò concesserit Burgundiam; existimari potest, nodus aliquis vindice dignus incidisse, quales nimirùm Frãcico de more plures hactenus, pater amborum, Regibus nexuerat, & ipse demùm filius Hugo, fatalem atque inextricabilem, Carolinis intorsit. Mortuo enim intra quinquennium Otthone, qui Burgundiæ præerat; Proceres ejus Ducatus ad Hugonem se & Odonem-Henricum, defuncti fratres converterunt: adeóque potentia Hugonis, novo incremento aucta est.

Annales Francor.

An. 965. Flodoard.

Raginerius & Lambertus, Raginerij Longicollij filij, quos patris, ut diximus, exilium, abegerat

im

An. 973. in Franciam, auditâ Otthonis I. Imperatoris morte, viribúsque coactis, in patriam mox revertuntur. Hîc, Guarnerum & Reinaldum, qui Haginoensem Comitatum occupaverant, ad Peronam Hanoniæ vicum, prælio vincunt, ac cum multis interimunt: excitatóque demū ad Hainam fluvium castello Buxude, hodie *Boussoy*; Lotharingiam infestant. Sed everso post biennium castello, Godefridus Dux Virdunensis, & Arnulphus Comes Valentinianensis, Longicollij filios suis sedibus rursus expulerunt, & Hannoniæ Comitatum occuparunt: donec ope Socerorum, Caroli fratris Lotharij Regis, & Hugonis Capeti, viâque armatâ reducti, pacificam rerum tandem suarum possessionem adepti sunt.

Balder. & Sigeb.

Meyer. & Wassemb.

Eorum alter Lambertus, post Ansfridum Comes Lovaniensis fuit, unâque Bruxellam possedit jure uxorio: ubi S. Gaugerici Ecclesiam, & Lovanij S. Petri extruxit, Carolini sanguinis per conjugem Gerbergam, in Brabantiæ & Burgundiæ Ducibus, Regibúsque Hispaniæ, ad hunc usque diem nobilissimus tradux.

An. 977. Hâc tum Raginerij & Lamberti restitutione, tum Godefrido & Arnulpho depulsis, qui super hac re querimoniam Otthoni Secundo fecerant: tum deniqúe quòd Lotharius Rex, factam sibi in con-

consanguineis Raginerio & Lamberto, quibus antea Guarnerum Imperator sufficerat, injuriam vindicare vellet; videtur quidem, si Nangio credimus, tantillùm offensus Imperator; sed qui idcircò non destitit, se intérque Regem Lotharium, firmandæ amicitiæ caussâ, Carolo Regis fratri, Lotharingiæ Ducatum dare: eo videlicet fine, ut & Lotharius, ab insolentiis quas cogitaverat desisteret, & fratris sui animos cohiberet.

Nang.

Verùmtamen ea Otthonis moderatio, nihil apud Lotharium, quò minus in incepto pergeret, effecit: collecto quippe exercitu, Otthonem Aquisgrani fortè morantem, de improviso aggressus, ferè oppresserat, nisi fugâ sibi consuluisset. Eam ignominiam ulturus Ottho, Remensium, Laudunensium, Suessionensium & Parisiensium agros & pagos, infinito exercitu depopulatus, dum Axonam fluvium in reditu transmittit; insequente Lothario, cui cladem intulerat, ita accepit.

Aimoin.

Sigebert.

Biennio pòst Lotharius, habito cum Otthone, super Charum Luxemburgensis Pagi fluvium, colloquio, Lotharingiam ei remisit, & ut Sigebertus loquitur, abjuravit: cujus perinde partem Aquilonarem Ottho retinuit, Meridionalem,

Aimoin.

lem, Carolo fratri Lotharij, transcripsit. Eam ob rem Lotharius, Principum ab se voluntates, Hugonis videlicet Capeti, & Henrici fratris ejusdem, alieniores reddidit. Post annos itaque nonnullos, Otthone Romæ defuncto, cùm Franciam, Lotharingi finitimi infestarent; occupato Lotharius Virduno, & capto Godefrido, Lotharingiam recuperare conatus est. Verùm anno sequente, pace cum Otthone III. factâ, Godefridum, & oppidum restituit: ac denique commendato filio, Ludovico, Hugoni Parisiensium Comiti, è medio excessit, Remis sepultus.

An. 984.

Per id tempus, Carolus Lotharingiæ Dux Lotharij frater, ut diximus, Palatium suum in Sennæ fluminis insula, Bruxellæ habebat: quem Reliquias S. Gudilæ Virginis è Mortesella agri Alostani vico, eódem transtulisse, atque in vicino sibi S. Gaugerici Templo collocasse aiunt: etsi magis crediderim id fecisse Lambertum Caroli generum, ejusdem Templi fundatorem.

An. 987.

Ludovicus, Patri Lothario successit, quo vivente coronatus fuerat: Quia anno dumtaxat & duobus mensibus ei superfuit, brevi videlicet spatio ad exporrigendos regales animos; tam *Nihil fecit*, ut ne heredem quidem, etsi conjugatus, post se reliquerit. Quid igitur? *Ægritudine decumbens*, *ac*

testamentum conditurus, Reginam & Hugonem, ad juranda quæ daret, mandata coëgit. Iuramento hinc fide præstito, donat Regnum uxori suæ, sub præstiti sacramenti fide Hugonem obtestans, ut post datam legibus diem, ducat in uxorem Blancham, Regno suo potiturus & dominio. Sepulto Rege, cum pietate & reverentia Regi debitá, Hugo Blancham sibi tempore & ordine canonico, duxit sollemniter, inquit Gervasius Tilleberiacus, Arelatensis Regni Mareschallus, in Otiis Imperialibus ad Otthonem IV.

Gervas. Tilleber.

Odorannus in Chronico, ipsi Hugoni Regnum, ab Ludovico datum refert, his verbis: *Anno* D. CCCC. LXXXVII. *obiit Ludovicus Rex juvenis, qui Nihil fecit, donato Regno Hugoni Duci, qui eo Anno Rex factus est à Francis.* Ex quibus perinde patet, in Occidentali Francia, nullam vim Salicæ Legi fuisse, si licuerit mortuo Regi, Regnum donare aut Uxori aut Hugoni: quandoquidem illa, incapax erat, hic, à Carolina stirpe extraneus, quod masculinam lineam attinet, & femininam legitimam. A Carolo enim, per concubinam descendit, nomine Reginam, Drogonis & Hugonis matrem, ut testatur Eginhartus.

Odoran.

Eginhart.

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM.

HUGO Capetus, Neomagi coronatus, Regnum Francorum è stirpe Carolina, in suam transfert, faventibus quidem Galliæ Principibus; sed contradicente Arnulpho Episcopo Remense, & Arnulpho Flandriæ Comite: qui ob id inaugurationi ipsius, interesse haud vult. Dum itaque avitum Regnum Carolus, Ludovici defuncti patruus reposcit; ad arma ventum est: quæ dum fervent; circumventus Carolus, Hugonique traditus, Aureliani in carcere, moritur. Hugo Capetus, Regnum vi partum; beneficiis & dignitatibus, quas ex temporariis, perpetuas fecit, in Principes divisis: favoribus item, quos Ecclesiasticis impertivit, sibi deinceps cùm asseruisset; moritur decimo Regni anno; succeditque Robertus filius, pridem coronatus. Interea Ottho Tertius Imperator, cùm liberis careret, jus creandi Imperatoris, certorum Principum suffragiis illigavit, annuente Gregorio V. Pontifice. Ea suffragia, vel tum, vel postea, ad septem redacta. Mortem obiit Ottho, intoxicatus ab uxore Crescentij tyranni, regnandi avidâ: ob virtutem & prudentiam, dictus *Mirabilia Mundi*. Succedit S. Henricus. Morte quoque Henrici fratris Capeti; Burgundia ad Regem Robertum venit, moxque ad hujus filium, patri cognominem Sed & Lotharingia Ripuaria, quæ Caroli Aureliæ in carcere defuncti fuerat; ad Otthonem accessit: qui improlis moriens; stirpem masculinam Caroli Magni, sepulchro intulit, quæ in Gerbergæ & Ermengardis sororum, posteris, sola permanet. Has, cum Ottho Imperator nollet in Lotharingia Germano succedere; eam Godefrido dedit, Godefridi filio: quo, post plusculos annos, absque liberis pariter defuncto; Imperator Henricus, Lotharingiam Gothiloni, Godefridi fratri dedit, cui mox obvenit etiam Lotharingia Mosellana, hinc Magno dicto. Robertus Francorum Rex, cujus præceptor fuerat Gerbertus Monachus Floriacensis, atque Episcopus primùm Remensis, post Ravennensis, denique Romanus, Silvester Secundus nuncupatus: ob scientiam astronomicam, falsò Magiæ accusatus: Robertus, inquam, pius & doctus, regnavit triginta sex annis. Ejus ex Lipsio, Elogium. Nondum Robertus obierat, cùm Rudolphus Burgundiæ Rex, liberis destitutus, diadema sceptrumque suum legavit, Conrado Imperatori Salico: quæ, dum Rudolphi nepos ex sorore, Odo, repetit; Conradus, pulso Odone, inauguratur. Hinc patet Burgundiam Imperij beneficium esse. Robertum

tum Regem, Henricus excipit. Hic, per Gotfredum Andegavensium Comitem, domuit filios Odonis Carnotensis, rebelles. Tribus etiam millibus, fudit triginta millia Normannorum: qui exinde debellatis Græcis, Apuliam tenuerunt. Berengarium subinde, fedum in Gallia hæresiarcham, Theodovinus Episcopus Leodiensis, scriptâ ad Henricum Regem Epistolâ, confutat. Moriens Henricus, filios impuberes, Balduini Flandriæ Gomitis tutelæ committit: ea lege, ut si infantes morerentur, Balduinus ex capite uxoris, Rex esset, quæ infantium amita erat: quod est iterum legis Salicæ manifesta ecclipsis. Philippus Rex, Henrici Primogenitus Collegium Canonicorum à Balduino Comite Harlebecæ fundatum, confirmat: conjugem Bertam repudiat, monitúsque, vix recipit. Fatigatus suorum crebrâ rebellione, filium denique Ludovicum, in partem curarum assumit.

QVIDQVID sit, Dux Hugo annitente in primis Richardo Normannorum Duce, ceterísque Regni Principibus, electus est, & provectus in Regem, contradicente licet Arnulpho Remorum Archiepiscopo, fratre Regis Lotharij, sed non uterino, ait Hugo de Basochiis, *apud Albericum in Chronico*: adeóque Hugo Capetus, Franciæ diadema Regiúmque Sceptrum, ex familia Caroli sublatum, in suam transtulit, contra Legis Saliex (si qua sit) auctoritatem. Ob hanc caussam, Capeti coronationi, quæ Neomagi factâ est, Arnulphus Flandriæ Comes interesse noluit: *Propter tantam injuriam Magni Caroli agnationi, quâ & ipse ortus erat*, inquit Meyerus.

Aimoin.

Hugo de Basoch.

Annal. lib. 2.

Quamobrem dum Franciæ Regnum, ex paterna & avita successione sibi debitum, Carolus reposcit, ad arma ventum est: quibus & Hugo

 sæpius.

ſæpiùs fractus, & oppida plura præcipuáque capta ſunt: donec ad extremum Carolus, ſuorum magis fraude circumventus, quàm hoſtium virtute ſuperatus, & apud Aurelianenſem urbem cum conjuge carceri traditus; vitam in eo finivit, quadriennio circiter à morte Ludovici: miſerabilis victima Franco-gallicæ cupiditatis.

Aimoin.
Nangis.
An. 989.

Capetus Regnum, quod amoto legitimo herede, vi quæſierat; indulgentiâ & beneficiis confirmavit. Dignitatum titulos, Ducatus videlicet & Comitatus, quas Carolus Magnus inſtituerat, ut teſtatur Aimoinus, & temporarias fecerat, perpetuas eſſe juſſit: cúmque memoriâ teneret Pipinum, rebus & juribus Sedis Apoſtolicæ tuendis & ampliandis, regni ſui rudimenta firmaſſe; nihil priùs habuit, quam Eccleſiaſticis hominibus favorem impertiri: Pythij conſilium ſecutus, qui ut eſt apud Herodotum, eâdem fraude, Gygi regnum ſtabilivit. Hinc factum eſt, ut non paucos è Primoribus adverſantes, & reſpicientes ad gloriam priſtinorum Regum, è Caroli ſtirpe natorum, ſibi ſuíſque callidè devinxerit. Obiit decimo Regni Anno, ſuccedente Roberto filio, quem pridem Coronæ participem fecerat.

Aimoin.

Herodot. lib. 1.

An. 997.

Ottho interea Tertius Imperator, Otthonis Secundi filius, auctoritate, ut aiunt, Gregorij V. Pon-

Pontificis, à quo cinctus unctúsque Romæ fuerat, cùm prole careret; jus creandi Imperatoris, certorum Principum suffragiis illigavit: quos & numero septem, vel idem ipse Gregorius natione Germanus, vel successor ejus quispiam, constituisse creditur: qui etiámnum perseverat. Ipse Ottho, ob prudentiam singularem, & excellens ingenium, dictus *Mirabilia Mundi*, ab uxore Crescentij, quem anteà Romæ tyrannicè grassantem, supplicio affecerat, regnandi avidâ, dum subitò Româ proficiscitur, spémque mulieris, eludit; venenatis chirothecis, pro munere amatorio donatus & infectus, obiit Anno M. II. Aquisgrani sepultus. Successit S. Henricus Bavariæ Dux.

Freher. Viterb. Sigebert. Sigon. Anno 1002.

Eodem Anno, mortuo Henrico Duce Burgundiæ, Hugonis Capeti fratre absque liberis; ad Robertum Regem, Burgundia armis domita, pervenit: quam filio suo Roberto minori, posteà attribuit. Cúmque in Lotharingiæ Ripuariæ sive Inferioris, inter Mosam & Scaldem sitæ, Ducatu, patri Carolo, in carcere apud Aurelianum extincto, uti diximus, filius Ottho successisset; is Anno hujus sæculi quinto, sine prole decedens, masculinam è Carolo Magno stirpem, relictâ in sororibus suis Gerberga & Ermengarde, (quarum hæc Comitissa Namurcensis, illa Lovaniensis & Bruxel-

Anno 1005.

Bruxellensis fuit) lineâ femininâ solâ superstite; secum sepulchro intulit.

Ducatus itaque Lotharingiæ, Godefrido, Godefridi nuper capti, Comitis Virdunensis & Einhamensis, ex Mathilde, filio datus est: cùm ab eo, Otthonis sorores jam memoratas, etsi partem ibi aliquam possiderent; Henricus Imperator, exclusas vellet. Etenim hoc eodem Godefrido, post annos octodecim, pariter sine liberis defuncto; rursus Imperator Henricus, Ducatum Lotharingiæ, Gothiloni Marchioni Antuerpiensi, Godefridi germano dedit: cui cùm postea Lotharingiæ Mosellanæ sive superioris, inter Mosellam & Mosam, Frederico Secundo, absque prole pariter defuncto cessisset; Magni, cognomentum adeptus est.

Anno 1023.

Post patris obitum Robertus, annis triginta sex regnavit, summâ pietate, prudentiâ, litterarum insuper haud vulgari scientiâ præditus. Magistrũ enim habuerat Gerbertum, è Monacho Floriacensi Remensem Episcopum, amoto perperàm ab Hugone Capeto, Arnulpho, factum. Cùm enim Arnulphum Ioannes Pontifex, cathedræ, unde pulsus, & carceri mancipatus fuerat, restitui jussisset; Gerbertus, Otthone procurante, primum Ravennatium Antistes, Summus deinde

Pon-

Pontifex, Silvestri Secundi nomine fuit: apud posteros, ob peritiam Astronomicam, magiæ, auctore Bennone Cardinali, falsò licet, infamatus.

Lehman.

De Roberto Lipsius: *Scholas & Templa adibat, locum inter sacrorum administros sumebat: nec orabat solùm cum iis, sed in publico psallebat. Quin & Cantica ejus sacra quæ composuit, Ecclesia etiam nunc usurpat. Vir demissæ & raræ sanctimoniæ, cui Deus etiam miraculo attestatus est: cum Avallonem urbem, eo obsidente, muri sponte corruerunt, ipso interea laudes hymnósque, cum Sacerdotibus in Tabernaculo concinente.*

Lib. 1. Monit. Polit. c. 2.

Nondum Robertus obierat, cum Rudolphus Tertius, Burgundiæ Transjuranæ Rex, cognomento Ignavus, liberísque destitutus; diadema Regníque insignia, legavit Imperatori Conrado, Franconiæ antea Duci, & ob id Salico dicto: quæ perinde insignia, per Seligerum Conrado allata sunt. Id ægrè ferens Odo, filius sororis Rudolphi, Burgundiæ Regnum invasit. Verùm in eandem, bis cum exercitu Conradus profectus, Odonem, loca præcipua munientem pepulit, sibíque omnia Genevam usque subjecit: ubi ab Heriberto Archiepiscopo Mediolanensi, ac ceteris Italiæ ac Burgundiæ Principibus, honorificè susceptus, Rex inauguratus est. Ex quo patet Imperij beneficium, Burgundiam fuisse. Hic est Conradus, qui

Wippo.

Calvis.

Spiram extulit, conditáque Basilicâ, Sepulturam perpetuam Imperatorum fecit.

Anno 1031.

Fragm. Floriac.

Henricum Roberti filium, ætatis prærogativa, Patrísque voluntas in regnum evexit: Mater alióquin Constantia, Robertum præferebat, quem Burgundiæ Ducem, Pater fecerat.

Odonis Carnotensis Comitis filios, Thetbaldum & Stephanum rebelles domuit, per Gotfredum Andegavensium Comitem: cui, operæ & industriæ navatæ præmium, Turonorum civitas fuit.

Nortmannos deinde, nuperam in Gallia gentem, qui Guilielmi, Richardi Ducis filij, etsi illegitimi, posteà tamen Anglorum Regis, Principatum subire detrectabant, tutelâ susceptâ, adeò memorabili prælio coërcuit; ut cum tribus millibus, triginta millium exercitum eorum fuderit, Anno circiter M. XLVII. Vnde contigit, ut Guilielmi restituti, partim odio, partim cladis illatæ pudore, nonnulli Normannorum Principes, sedes in Italia quæsitum ierint, Græcísque debellatis, in Apulia repererint.

Anno 1047.

Sigeb.

Eâdem circiter tempestate, Berengarius Andegavensis Archidiaconus, infamis auctor hæresis, quæ Christi Corpus reipsa, sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri negat; Gallico nomi-

ni:

ni dedecus aſperſit: quam, primus omnium inſi- gni epiſtolâ, ad Henricum Regem ſcriptâ, Theoduinus Leodienſis Epiſcopus è Præpoſito S. Donatiani Brugis; non Durandus (uti voluerunt hactenus nonnulli) confutâvit.

Anno 1051.

Moritur Henricus Vitriaci, octavo & vigeſimo Regni ſui anno, relictis filiis Philippo ſucceſſore, & Hugone Veromandiæ Comite. Sed quia nondum eâ ætate Philippus erat, ut Regni negotia moderari poſſet; Balduinum Flandriæ Comitem tutorem accepit: eâ lege, ut ſi infantes abſque heredibus mori contingeret; ipſe Balduinus Francorum Rex eſſet, ex parte uxoris ſuæ, quæ Amita eorum erat, inquit *Vetus Flandriæ Chronicum.* Ex quo patet iterum, per Salicam, à Regni ſucceſſione, feminas olim excluſas haud fuiſſe.

Anno 1060.

Chron. Fland.

Hic eſt Balduinus, qui Collegium Canonicorum Harlebecæ fundavit, mox à Philippo Rege confirmatum, Diplomate Pariſiis edito: nec non Alexandro Papa II.

Harlebeca.

Phillippus, annorum amorúmque maturus, ſed morum lubricus, Bertham conjugem quam legitimè duxerat, abjicere auſus, vix monitis miníſque Eccleſiaſticis flecti potuit, ut in thalamum reduceret. Fatigatus etiam, crebrâ ſuorum Principum rebellione, plurimis maximíſque cladibus

Sigeb. Sciffel.

 Re-

Regnum populúmque involuit: ut ea caussa fuerit, cur filium Ludovicum, in partem Regni curarúmque assumeret.

LIBER QVINTVS.

BREVIARIVM.

PER id tempus, cum omnis generis mortales, magno numero peregrinationem, ad loca sancta instituerent; Vrbanus Pontifex, indicto Claromontensi Concilio, auctore Petro Eremitâ, Principes Christianos, ad sacram expeditionem, cohortatur. Godefridus Boloniensis, in Gallo-Brabantia prope Genapiam natus; ad eam promtus in primis fuit. Vendito quippe Ducatu Bulloniensi, emente Otberto Episcopo Leodiensi, peditum sexcenta millia, & centum Equitum conscripsit: quibus tandem Hierosolymam expugnat, ejusque primus Rex declaratur. Subinde Godefridus Barbatus, Lotharingiæ inferioris Ducatum adipiscitur, beneficio Henrici quinti Imperatoris. Eo itaque tempore Ducatus Brabantiæ, sed & Limburgi, nati sunt. Ac licet ij Duces, primitus dicti sunt Lotharingiæ, imò etiam Comites Lovaniæ, ab ea Dynastia, quæ Lotharingiâ continebatur, atque etiam Comites Brachbantenses; obtinuit tamen postrema nomenclatio, paullulû mitigato vocabulo, ut etiamnum vocentur Duces Lotharingiæ & Brabantiæ. Secundum hæc, Philippus Rex Francorum obiit: vivebátque tum Mathildis Italiæ & Antuerpiæ Marchionissa: quæ inter alia Sedi Apostolicæ legavit, Tusciæ & Liguriæ partem eam, cum Ferrara aliísque Vrbibus, quæ Patrimonium S. Petri, hodiéque appellantur. Philippo, Ludovicus successit, Crassus appellatus: qui cùm Episcopum Remensem, invisum haberet; Aureliæ consecratus est ab Archiepiscopo Senonum: quod factum, Ivo Carnotensis defendit. Ætatem & vires, edomandis Regni Comitibus attrivit: adhæc complura bella foris gessit: hostem denique domesticum habuit, Philippum Nothum suum. Crassum, Ludovicus Iunior excepit, ejus nominis Septimus. Cum conjuge Eleonora, Guilielmi Aquitaniæ Ducis filia, Pictaviam & Aquitaniam, dotales habuit: quæ cùm posteà à Ludovico reduce à bello sacro, repudiata, nupsisset Henrico Normanniæ Duci, qui demum regnavit in Anglia; post plura inde enata bella, jus in Aquitaniam, Anglis reliquit. Guilielmus Eleo-

noræ pater, is est, quem schisma inter Anacletum & Innocentium Secundum pertinacius foventem; S. Bernardus ad meliorem mentem reduxit. Vitam ejus & mortem, Sugerius & Theobaldus, coætanei Guilielmo licet, diversimodè scripserunt. Ceterum Ludovicus, præter repudium uxorium, Gallorum Regum proprium, habuit & alterum, intestina cum Principibus dissidia. Ante mortem, filium Philippum, coronari jussit, qui Flandrorum Comitem, Veromaudiâ exuit, quam per uxorem adierat. Non tamen ob id, desiit Flandriæ Comes, qui liberis carebat, Isabellam, suam ex sorore neptem, Philippo despondere; cum dote Flandriæ Occiduæ, id est à Fossa nova, usque ad fines Picardorum. Hisce nuptiis, uti jactitabant Galli, ad suos Reges, rediisse sanguinem Caroli Magni; ita impleta est prodigiosa Philippi, tertio à nativitate die, loquela, hisce verbis: *Evacuate mihi domum.* Ex illa Flandriæ parte, erigit Philippus Comitatum Artesiæ, quem filio suo Ludovico dedit, quique postliminiò rediit ad Flandros. Philippus, Richardo Rege Angliæ absente, Normanniam arrodere incipit: Mortuo denique; per connubium Ludovici cum Blancha, acquirit, unà cum Pictonibus, Turonibus, Andibus & Aquitanis. Quamobrem Eleonora, Guilielmi filia, animi dolore moritur. Ioannes Angliæ Rex, frater Richardi & successor; ab Innocentio III. sacris & regno arcetur, quod tum Philippus occupare nititur: qui paullò antè Reginaldum, Comitatu Boloniensi dejecerat, quem Reginaldus adierat jure uxorio. His de caussis, cùm Ferdinandus Comes Flandriæ (de quo pariter Philippus citeriorem Flandriam tulerat) ab eo alienior esset; Flandris Philippus bellum movet: sed Anglorum auxiliis, cedere compellitur. Anno tamen sequente rediens, & eum contra Ottho Imperator; commisso apud Bovinas prælio, victor evadit: neque ad Comitatum suum Reginaldus rediit. Contra Ioannem etiam Angliæ Regem, novis difficultatibus intricatum; Proceres Anglorum Ludovicum, Philippi filium, cui Blancha, neptis Ioannis, nupserat, Regem sibi statuunt: móxque mortuo Ioanne, destituunt, assumto Henrico Ioannis filio, cui Normanniam, aliáque repetenti, Philippus negavit. Repudiavit & Philippus alteram conjugem, neque recepit, quàm Interdicto compulsus, Ecclesiasticis interim, malè tractatis. Dictus Conquisitor sive Augustus, quòd Monarchiam mirificè auxisset, oblitterato cognomine Adeodati, quod prius gesserat, quia decrepito patri natus erat: moritur, succedente filio Ludovico, qui Rupellâ, a'iisque cis Garumnam oppidis expugnatis, citeriore omni Aquitaniâ, Anglos expulit. Condito testamento, Robertum minorem filium, donat Comitatu Atrebatensi: & ab expeditione Albigensi rediens, decedit in Arvernis, tertio Regni anno.

PEr id tempus, ſanctorum locorum, quæ pedibus ſuis Salvator in terris preſſit, veneratio & cultus, innumeros ex Occidente mortales, ad peregrinandum attraxit. Autumnali tempore Sigefridus Moguntinus, Gunderus Bambergenſis, Ottho Ratiſponenſis, & Guilielmus Vltrajectenſis Epiſcopi, & alij plurimi, ad ſeptem hominum millia, Hieroſolymam profecti ſunt.

Anno 1064.

Eâ devotione non continuante tantummodò, ſed etiam creſcente; apud Clarum-montem Arverniæ oppidum, Vrbanus tandem Pontifex Synodum coëgit, in qua, ad ſacram in Palæſtinam expeditionem, Chriſtianos præſertim Principes, Petro Eremita auctore, hortatus eſt. Neque ſine fructu, votum Pontificis & hortamentum fuit. Ad ſacrum enim bellum, non minori alacritate Principes, quàm ad iter Hieroſolymitanum ſeſe populi accinxerunt.

Tyrius.

Eos inter Godefridus, Euſtatij Bolonienſis Comitis, & Idæ ſororis Godefridi Gibboſi Lotharingiæ inferioris Ducis filius, in Baſeio Vico Gallo-Brabantiæ prope Genapiam natus & educatus: cui avunculi Ducatum, unà cum Marchionatu Antuerpienſi, Henricus IV. Imperator, Conrado filio ad Italiæ regnum evecto, attribue-

Chron. Belgic.

rat;

rat; acerrimus promtiſſimúſque extitit.

Nam ut seriò id ſe agere monſtraret, Ducatum Bullonij, quem avunculi morte adierat, in confiniis hodie Regiſteti & Ducatus Luxemburgenſis ſitum, emente Otberto Epiſcopo Leodienſi vendidit, mille trecentis argenti beſſibus, & tribus auri. Quam ſummam, uti in delectus militares, Godefridus expendit, cum ſexcentis peditum millibus, & centum equitum; in Hieroſolyma profectus; ita ad ſecuritatem Leodienſis Eccleſiæ ſubditorum, in quos, eâ parte finitimi, quotidianas, incurſiones & prædas agebant, ex omnibus Diœceſios ſuæ Templis, auro, argento, gemmis, aliíſque decoribus detractis; eandem Otbertus Epiſcopus corraſit: minore ſanè emtor gloriâ, quàm venditor, ut tum vulgò jactatum eſt.

Hæc Anno M. XCVI. geſta ſunt, quando triennio pòſt, laboribus infinitis exactis, Iulij decimaquintâ die, Feriâ ſextâ, horâ circiter diei nonâ, Hieroſolymam expugnavit, omniúmque ſuffragiis, primus Rex, Godefridus electus eſt.

Anno 1096.

Mox Godefridus Barbatus, Comes Lovanienſis, Henrici III. frater, beneficio Henrici V. Imperatoris, cujus partes, ut ſimile vero eſt, contra Henricum IV. patrem ſchiſmaticum, ſecutus fuerat, exauctorato Henrico Limburgenſe, Va-

Anno 1106. Miræus.

Brabantiæ Ducatus. lerami I. filio; Lotharingiæ inferioris Ducatum, adeptus, ad posteros suos, unà cum Marchionatu Antuerpiensi, transmisit. Eo perinde tempore, Ducatus Brabantiæ & Limburgi, veluti enati sunt: cum sub ditione Romani Imperij, per Germaniam superiorem & inferiorem, pauci hactenus Duces extitissent.

Et licet tum dicti sint Lotharingiæ Duces, Comitésque Lovaniæ, sive Brachbantenses, ab ea videlicet Dynastia, quæ Lotharingiæ terminis continebatur: obque eandem caussam, hunc titulum posteriorem, sæpiùs quoque omiserint, ut ex Diplomatis patet; attamen Godefridi successores, non Comites Lovaniæ solùm, sed & Duces ejusdem se dixerunt, imò & Duces Brachbantenses: quæ denique nomenclatio, mitigato paullulùm vocabulo permansit, ut in hodiernum usque, Duces Lotharingiæ & Brabantiæ, vocentur. Mir. Vred.

Biennio pòst, incidit Philippi Regis mors, tertio Kal. Augusti, regnavítque Annis quadraginta novem, propter Ligerim in Floriacensi Monasterio sepultus.

Domniz. Leo Ostiens. Vivebat eâ tempestate Mathildis, Italiæ & Antuerpiæ Marchionissa, Godefridi Gibbosi Lotharingiæ Ducis, & Marchionis Antuerpiensis vidua, virilis animi Heroina: quæque non solùm

pro

pro Romanis Pontificibus, contra Henricum IV. Imperatorem, arma cepit; verùmetiam magnam Tusciæ & Liguriæ partem, cum Ferraria, aliisque Italiæ urbibus, D. Petro legavit, quæ in hunc usque diem S. Petri Patrimonium appellantur: ut perinde pauca vel nulla sint bona, quæ Gallis Regibus Ecclesia imputet, sed Francis pœnè omnia, atque huic Mathildi.

Philippo, successit filius Ludovicus, cognomento Crassus, qui annis triginta regnavit: sacratus Aureliani à Gilberto Senonum Archiepiscopo, adstantibus ejus Provinciæ Pontificibus. Cùm enim Rodulphus Viridis, contra mentem Crassi Pontifex Remensis electus fuisset; noluit invisi hominis dexterâ consecrari, tamquam id esset alienum à Regia magnitudine, & Regni primordiis inauspicatum. Exstat Ivonis Carnotensis apologia, id factum vindicantis ab incusatione Ecclesiæ Remensis, defendentisque veterum Regum exemplis, qui neque benedicente, neque coronante Remensi Pontifice, ab aliarum civitatum Pontificibus sacrati, Regnúmque auspicati fuissent. Vbi denique contendit, unius civitatis Belgicæ angustiis, non contineri jus coronandi Regis, qui Celtis etiam Aquitanísque imperaret.

Aimoin.

Æmil.

Nihilo tamen feliciùs, quàm pater Philippus

regnavit. Ætatem & vires suas ac Regni, edomandis Comitibus Campaniæ, Arverniæ, Aquitaniæ, Flandriæque attrivit. Gessit & foris bella, in Normannia, Anglia, Germania: útque haud sufficerent externi viciníque hostes, etiam domesticum habuit, Philippum Nothum, qui & ipse, pro inquiete & indole Gallica, impia in patrem arma strinxit.

Sciff.

Anno 1137. Post hunc, Ludovicus Iunior dictus fuit, & ejus nominis Septimus, Anno M. C. XXXVII. qui Guilielmi, Pictavorum Comitis & Aquitaniæ Ducis, filiam Eleonoram, conjugem habuit, & duos hosce Principatus, quos dixi dotales.

Neubrig.

Is Guilielmus est, quem schisma inter Anacletum & Innocentium II. pertinaciùs foventem, S. Bernardus Anno M. C. XXXV. ad mentem meliorem reduxit. Eum quidem sub initium Ludovici Iunioris, cùm esset Compostellam devotionis ergò profectus, ibidem obiisse, & sepulturæ traditum; Sugerius, ejus temporis auctor scribit; verùm non esse tunc defunctum, sed id ex composito factum; ut tantò securiùs pœnitentiam pro veteribus culpis, procul à suis Guilielmus ageret, verosimiliùs est. Hoc enim tum Herosolymis præstitit primùm, tum demum in Italia fine perfecto consummavit. Quapropter magis ad Theobal-

Suger.

baldum accedo Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Guilielmi pariter coætaneum, qui modum emendationis ipſius ac pœnitentiæ, & ſeriùs quàm alij, mortem deſcripſit. Tacobal.

Ceterùm Ludovicus Iunior, à bello ſacro redux, ubi magno exercitu, Græcorum perfidiâ potiùs, quàm Saracenorum vi, parum profecit; Eleonoram conjugem repudiavit, ſibíque Alphonſi ſeptimi Regis Hiſpaniæ filiam junxit, quam Mariam alij, alij Beatricem, alij Conſtantiam, nominant. Quamobrem cùm Eleonora, Henrico Normanniæ Duci, & Andegavenſium Comiti, qui poſt Stephanum regnavit in Anglia, nupſiſſet; atrociſſimi belli, quod ſuper poſſeſſione Aquitaniæ, Francos inter & Anglos fuit, Anno M. C. LVI. cauſſam dedit. Id tamen ſexennio finito componitur, Margaritâ Ludovici filiâ, Henrici filio deſponsâ. Atque hinc, cum Normannia, Aquitaniam Angli tenuerunt, aut liquidum ſibi in eam jus vindicarunt. Anno 1156.

Vti verò uxoris repudium, quod Francorum Regum, proprium & peculiare, tantùmnon fuit, non abſque altero gemello foret; acceſſit & Principum rebellio, Arverniæ & Catalaunenſis, quibuſcum bella gerere cōpulſus eſt. Cúmque Henricum filium, tumidæ indolis adoleſcentem, Henri- Seiſſel.

 ri-

ricus Angliæ Rex, ſceptri conſortem feciſſet, cui Margaritam filiam, uti diximus, Ludovicus connubio junxerat; generi, contra patrem Henricum, factionem partéſque amplexus, Normanniam Angliámque armis & incurſionibus Ludovicus turbavit: donec ad extremum, Numinis potiùs favore quàm viribus, hoſtium ſuorum domitor, pacem cum Ludovico & filio, Rex Henricus fecit.

Polyd.

Moritur Ludovicus Pariſiis Anno M. C. LXXX. Regni, quadrageſimo quarto, cùm ante mortem Philippum filium, coronari juſſiſſet. Is, peſſimus Flandriæ Comiti Philippo Alſatio (à quo, arbitro Chriſtianæ initiationis, nomen gerebat) vicinus fuit. Cùm enim Elizabetham, Rudolphi Comitis Veromanduorum filiam, Philippus Alſatius duxiſſet, jamque eſſet jure uxorio Veromanduorum Comes; mortuâ Elizabethâ Anno M. C. LXXXII. Gallus Alſatio, Veromandiam repetens, bellum indixit. Partes illius ſequebantur Henricus Anglorum Rex, & Richardus Aquitaniæ Dux: hujus, Balduinus Hânoniæ Comes, Hugo Comes S. Paulli, Iacobus Avennenſis & Hugo Oyſiacus.

Anno 1180.

Anno 1182.

Erat ea controverſia habitura funeſtos exitus, nî Alſatius, cùm nullam ex Elizabetha prolem ſuſtuliſſet; Comitatum Veromandiæ

&

& Ambiani, cedere Galliæ Regi, quàm confligere maluisset: eodem tamen potiturus, dum vixerit.

Id factum Anno M. C. LXXXV. ut non ideo tantùm ostenderit, fuisse se Gallis nimiùm addictum; verùmetiam, quòd cùm Isabellam Balduini Hannoniensis Comitis, ex Margarita sorore filiam ac neptem suam, Philippo despondisset; Flandriam occiduam, Audomaropolin videlicet, Aëriam, Atrebatum, Bapalmas, Comitatum Hesdiniensem, Lensensem, Homagium Boloniæ, S. Paulli, Ghisnense & Lileriense, id est à Fossa nova totam, usque ad fines Picardorum, dotis loco dederit, approbante Balduino Flandriæ Comite, qui Philippo Alsatio apud Aconem Palæstinæ mortuo, successit. Id verò omne quod diximus, Flandriæ olim accensebatur, quam Carolus Calvus cum filiaIonditha, Balduino ferreo Flandriæ Comiti, attribuerat.

Anno 1185.

Hisce Isabellæ cum Philippo nuptiis, Caroli Magni sanguinem, per Ermengardem videlicet Caroli Lotharingi filiam, conjugémque Alberti Comitis Namurcensis, ad Reges suos rediisse, Galli gloriati sunt: Flandri verò, prodigiosam loquelam, quam post tertium à nativitate diem Philippus emiserat, his verbis: *Evacuate mihi domum*; hoc Flandriæ suæ divortium significasse, memoriæ prodiderunt.

Marchant.

 Si-

Belcar. Frey.

Simile videlicet prodigium, quod de Capeto, Galli referunt, eo ludi genere puerulum fuisse delectatum, quo Principum liberis, detrahere pileum sive capitium, solebat: ut ostenderet equidem ipso omine, Pipinæ familiæ Regibus, aliquando se Diadema, ablaturum.

Anno 1198.

Atqui ex hac Flandriæ parte, Philippus, Anno M. CXCVIII. Comitatum Artesiæ erexit, dedítque filio suo Ludovico, qui primus Artesiæ Comes fuit, ac deinde Rex Galliæ, & pater S. Ludovici: sed qui Comitatus, postliminiò rediit ad Flandros, tempore Ludovici Maleani, ex capite Matris ejusdem, filiæ Philippi Longi Galliæ Regis: postquàm in Gallorum manibus, fuerat annis propè centum septuaginta.

Profectis anteà ad bellum sacrum, Gallorum, Anglorúmque Regibus, Philippo videlicet & Richardo: dum Richardus, apud Ptolemaidam fulminat; Philippus ab expeditione redux, Gisortio, armis occupato, arrodere Normanniam cœpit. Haud dubiè, cupiditatem altiùs intulisset; nî Richardus, multâ calamitate pressus, ad solum soliúmque tandem Anglicum, è captivitate Ducis Austriæ primùm, ac deinde Imperatoris, rediisset.

Polyd.

Post itaque Richardi mortem, ignaviâ Ioannis,

nis, fratris Richardi & successoris; latiùs, etsi nondum totam Normanniam, Philippus Gallicæ Coronæ adjunxit, per connubium filij sui Ludovici, cum Blancha, Alphonsi Octavi Regis Hispaniæ filia, & Ioannis ex sorore nepte, qui dotem inde Blanchæ decîdit.

Arthuro denique mortuo, quem Regni Angliæ heredem, Richardus scripserat, ex fratre videlicet Gotofredo nepotem, & Philippus, contra Ioannem in tutelam acceperat: cùm ejus mortis Ioannes accusaretur, & citatus, non comparuisset; causâ eum cecidisse: atque omnium ditionum proprietatem, quas uti beneficiarius tenebat, ad se rediisse, Philippus edixit.

Mox perinde Normanniam invadit; quam, cùm summâ inertiâ, Ioannes desereret, neque ullis ex Anglia suppetiis animaret, cum Rotomago, aliísque oppidis, tota ad Philippum defecit: porrò sequentibus Pictonibus, Turonibus, Andibus, & Aquitanis. Anno 1204.

Quamobrem Eleonora, Guilielmi Aquitaniæ Ducis & Pictavorum Comitis, de quo dixi, filia, Henrici Secundi Regis Anglorum conjux, mater Richardi & Ioannis, Arthuri & Blanchæ avia, mulier longè prudentissima, mœrore potiùs animi, quàm morbo consumta, sub id tempus exspiravit.

Ex-

Exinde Ioannes Angliæ Rex, graviter apud Pontificem Innocentium Tertium, offendit. In caussa erat Archiepiscopatus Cantuariensis, quem ita Ioanni Nordovicensi conferri volebat, ut planè negaret admittere Stephanum Cardinalem S. Chrysogoni, quem, in disceptatione inter Ioannem Nordovicensem & Reginaldum, Pontifex Archiepiscopum dixerat.

Cùm itaque Regis Ioannis obstinatio, in Cleri Anglici injuriam & contumeliam erumperet, neque monitionibus emendaretur; primùm anathemate ab Innocentio percussus est: cúmque in malitia perstaret; Regno privatus: & facultas Christianis Principibus data; armis istud vindicandi.

In id incumbente Philippo Gallo, Ioannes resipuit, cumque Innocentio reconciliatus est.

Priusquàm hæc fierent, Reginaldus Comes Dommartini, qui ductâ in uxorem Idâ, filiâ Matthæi Alsatij, Philippi fratris, & Mariæ Comitissæ Boloniensis, jure conjugis, Boloniensis Comes erat, à Philippo dejectus; ad extera vicináque, Anglorum & Flandrorum auxilia, respexit.

Ferdinandus enim Lusitaniæ Regis filius, non ita pridem, ipsius Philippi inter alios ope, per Ioan-

Ioannam Constantinopolitanam conjugem, Comes Flandriæ effectus; non obscurè Philippo indignabatur, propter Flandriæ partem citeriorem, quam vi factâ occupaverat.

Polyd. Æmil.

Et quoniam nihilum obstante, Ioannis Anglorum Regis resipiscentiâ, Philippus spe votóque Angliam devorabat: Ferdinandus autem, id ejus consilium approbare nollet, dicens: *Priùs esse restituendum cuique suum, & justitiam colendam; quàm peregrè leges pietatis dandas*: neque ad statum diem adesset; paratum quem habebat exercitum, ne temporis & expensarum jacturam faceret, Philippus in Flandriam flexit: ut videlicet, domito priùs Ferdinando; mox in Anglos, victoriam transferret.

Classem itaque, quæ in ostio Sequanæ, catenus steterat, Dammum adduxit: unde emissis equitibus, Casletum & Ipras capit: Brugásque cum Gandavo, simul obsidet.

Ferdinando, Anglus subvênit: à cujus Ducibus discerpta Philippi classis: & ipse, sublatâ Brugensium & Gandensium obsidione; in Galliam repedare festinavit.

Hâc occasione, Tornacum, Ferdinandus, quod in tutelam suam Philippus acceperat, invasit. Id, cùm vere proximo, post alia in vicino op-

pida, Philippus recepiſſet: Ottho Imperator, Ioannis Regis Angliæ nepos, & Henrici Ducis Brabantiæ gener; infinitis propè numeris, Reginaldo & Ferdinando ſuppetias venit: ut eâdem videlicet operâ, avunculo Ioanni, liberum in Normanniam aditum, aperiret.

Anno 1214.

Prælium committitur, æſtate Anni M. CC.XIV. prope Bovinas, vicum, haud procul à Tornaco diſtantem: in quo, memorabili clade, proſtrato Otthone cum ſuis: capto Ferdinando, & Reginaldo, omnis hunc recuperandi Comitatus ſpes, deſeruit: Philippo Rege, memoriam Victoriæ, excitato iſtius nominis, ad Silvanectum Cœnobio, prorogante ad poſteros.

Hoc ſucceſſu rerum, etſi Ioannes Anglus, ceſſarit à repetenda Normannia: imò inducias cum Philippo pepigerit ad quinquennium; attamen in turbas iterum, cum Proceribus ſuis adductus, quòd veteres leges reducere, novis ſublatis, moraretur; eò diſſidia evaſerunt, ut Ludovicum Philippi filium, cui Blancha nupſerat, Ioannis Angli ex ſorore neptis, ut dixi, Anglorum Principes, ſibi Regem poſtularent.

Et quámquam ne id fieret, Pontifex ad Philippum miſiſſet; ipſe tamen potiundæ Angliæ cupiditate flagrans, plura cauſſabatur, ob quæ

Polyd.

cen-

censeret Ioannem, haud legitimum Anglorum Regem esse.

In summa, Ludovicus in Angliam trajecit, & Londini, Rex salutatus est. Verùmtamen fato, an animi dolore, incertum, cùm Ioannes exspirasset; Angliæ Proceres, Henrico ejus filio æquiores, Ludovicum deseruêre: qui acceptâ non contemmandâ vi auri domum regressus, obsides Anglorum, jubente Pontifice reddidit. Æmil.

Iam & Henricus Regno initiatus, à Philippo repetiit, quæcumque patri Ioanni ablata fuerant. Atqui respondit: *Neque repetenda, neque restituenda, quæ jure belli parta sunt.* Polyd.

Repudiavit Philippus, & conjugem suam Ansebertam: neque in thorum recipere voluit, quàm à Pontifice compulsus, qui hanc ob caussam, Regno sacris interdixit. Sed antequam Philippus parêret; Eccesiasticos Antistites, qui edicto Pontificio mox obtemperarant; variè, & fuso etiam sanguine vexavit: etsi culpam hanc redemerit priúsquam moreretur, argentariâ liberalitate, quam in Ecclesias, aliáque loca pia, copiosè effudit. Sciffell.

Moritur Anno M. CC. XXIII. Regni paullò minùs quadragesimo & tertio, primum Adeodatus dictus, quòd precibus eum atque obsecrationibus An. 1223.

bus è tertia demùm conjuge, vetus & vietus pater sustulisset. Mox Conquisitor (quod agnomen, in Augusti, per adulationem, Paull. Æmilius vertit) tamquam Monarchiæ Gallicæ, è Gallica Capeti stirpe, summus, uti vidimus, ampliator.

Successit Ludovicus Octavus, qui sequente ab obitu patris Anno, antequam Henricus Anglus, primordia sua fulsisset, Rupellâ: aliísque cis Garumnam oppidis expugnatis, citeriore omni Aquitaniâ, Anglos expulit.

Condito porrò testamento, (quod ratum postea S. Ludovicus habuit) filio suo juniori Roberto, terram Atrebatesij, id est Atrebatum, Audomarum, Aëriam, Hesdinium, Bapalmas & Lensium, pro parte hereditatis assignavit: & ab expeditione Albigensi, paullò pòst rediens, in Arvernis, apud Montempenserium, moritur, 8. Novembris Anno M. C C. X X V I.

Anno 1226.

LIBER SEXTVS.

BREVIARIVM.

LVDOVICO admodùm adolescente Rege coronato, Blancha Regina mater, bellum contra Albigenses instaurat: eo successu; ut Raimondus partium princeps, hæreti-cjuratâ arma deponeret, filiámque Alphonso Regis fratri desponderet, cum dote Comitatus Tholosani. Quod etsi gnavitatis in Blancha, luculentum argumentum esset: eam tamen ut exteram, adeò invisam Galli habuerunt, ut & Regem capere conati sint, & Regni administrationem

ad-

ad se rapere: imò Couciaci Dominum, præter Salicam legem, Regni solio inferre. Sed & eam conspirationem Blancha detexit ac destruxit: & Britanniæ Ducem eo usque domuit, ut Britanniam Galliæ beneficium, fateri debuerit, ademto Andium Comitatu. Hunc, Ducatus titulo auctum; cùm Ludovicus Rex; fratri suo Alphonso dedisset; adeò efferbuit Hugonis Marchiæ Comitis uxor, ut quia nolebat maritum suum Alphonso sacramentum dicere; Regem quá vi, quá veneno, quòd fratrem Ducem fecisset, tollere è medio voluerit. Quorum neutro succedente; Hugo Comes, uxoriis consiliis, insuper habitis, veniam à Rege obtinuit. Per id tempus, orto cives inter & Academicos Parisiis tumultu; magno studentium numero Academia diminuta est: & Religiosi quidam, turbatarum Scholarum occasione usi, in Gradus Academicos, quos sprevisse videbantur, cautè irrepserunt: quod dum Guilielmus à S. Amore prohibere animosè satagit; repressus à Pontifice est, Religiosorum patrocinium suscipiente. Subinde ad Regnum utriusque Siciliæ, Galli pervenerunt. Cùm enim à Normannis in Suevos, id Regnum antea venisset; Frederico Secundo mortuo, Conradus filius, istuc è Germania adductus, cùm Neapolin occupasset, veneno periit, à Manfredo propinato, Conradino post se herede relicto. Hunc, dum Manfredus pariter obiisse spargit, Regnum occupat. Eum contra, Pontifices Romani Vrbanus & Clemens quarti, Carolum Ludovici Gallorum Regis fratrem; evocant, atque utriúsque Siciliæ Regem creant: À Carolo, Manfredus prælio vincitur, & occiditur. Inde Carolus, Syriam ambire cœpit, quòd Siciliæ nomine, Hierosolymorum Rex esset. Sed obstitit Conradinus, qui avitum Regnum repetebat, quod Pontifices in Carolum transtulerant. Conradinus prælio victus, ad lacum Fucinum, dum fugam init, cum Leopoldo Austriaco capitur: & anno expleto gladio publicè Neapoli; cum Leopoldo subjicitur, Petro Arragoniæ Rege, nuncupato herede. Id supplicium, & Petrus Rex, & Robertus Flandriæ Comes, etsi Caroli gener, indignè tulêre. Magna tum per Apuliam & Lucaniam, exercita crudelitas: Carolo, modis omnibus satagente, ut partum sibi Regnum firmaret. In hunc finem, Ludovicum Gallorum Regem inducit, ad expeditionem Africanam: quá dum Ludovicus susceptá, Carthagine potitur; Tunetum etiam obsidet. Hic, profluvio extinguitur. Quamobrem perculsum exercitum, Carolus Siciliæ utriusque Rex superveniens, erigit: domitisque Barbaris, tantùm tributi nomine imponit, quantùm annuè Romano Pontifici ex formula debebat. Pro Ludovico, cui Sancti cognomen, Philippus regnavit, auctus morte patrui Alphonsi, Tholosatium & Pictavorum ditionibus: mox & Vascones domuit, quos Navarræos hodie vocant.

PATERNA Sceptra Infulásque, Ludovicus Nonus excepit, eodem adhuc Anno, Dominicâ primâ Adventus apud Remos inunctus, cùm decimum-quartum annum ætatis Adolescens per id tempus attigisset, vel ut alij, duodecimum.

Bellum sacrum contra Albigenses, fedos è Manichæi secta olim sepultâ renatos hæreticos, quod sub defuncto Rege instauratum erat, adeò feliciter Blancha (cui summam rerum maritus demandaverat) confecit; ut Raimundus Tholosanus partium princeps, ejuratâ hæresi, arma deposuerit, unicámque filiam Ioannam, Alphonso Regis Ludovici fratri, desponderit, cum dote Comitatus Tholosani.

Et quamquam Raimundus, feminæ auspiciis devictus, quantæ fuerit ipsa prudentiæ, animíque probaverit; eam tamen quòd mulier, & Hispana exteráque esset, tam invisam Principes Galli habuerunt, ut initâ conspiratione parum abfuerit, quin capto per insidias Rege, administrationem rerum ad se rapuerint.

Neque id actum fuisset juxta, sed præter Salicæ decreta; quandoquidem Enguerranum Couciaci, Dominum, solio inferre conarentur, non aliâ quàm femininâ lineâ, è Francorum Regibus progna-

gnatum. Sanè enim Sceptrum, regni insigne, jam sibi Couciacus paraverat.

Verùm & hanc factionem, virilis industriæ fœmina destruxit: Petrúmque adhæc Britanniæ Ducem Andiúmque Comitem, Comitatu armis erepto, eò compulit, ut Britanniam justum legitimúmque Francorum beneficium fateri debuerit. Quamobrem *Maledocti* cognomen ei inditum: cùm eruditione majori præstare oportuisset, qui Lutetiæ litteris operam dedisset.

Hâc tempestate compositâ, novam Isabella, uxor Hugonis Comitis Marchiæ excitavit, quæ in caput potissimùm vitámque Regis, tametsi à pueritia sancti, cudebatur. Quia Alfonso Pictavorum Duci, Regis fratri, mulier superba, quæque veteri titulo Regina vocabatur, nolebat maritum suum Hugonem sacramentum dicere; quà ferro, quà veneno, Ludovicum Regem, quia fratrem Ducem fecerat, tollere è medio tentavit. Non succedentibus dolis, Henricum ex Ioanne filium, Angliæ Regem excivit in Gallos; sed eo verso in fugam ac superato, Hugo, non ultrà auditâ uxore, cum Regiæ se fidei committeret, veniam obtinuit. Æmil.

Imperante hoc Rege, etiam Academiam Parisiensem, Gallorum inquies graviter concussit.

Cùm

Cùm enim Scholaſtici ibi nonnulli, pulſatos à civibus ſe quererentur; mox diffluentibus ceteris, ad aliarum Vrbium ſcholas, vaſtitas & ſolitudo ſucceſſiſſet; niſi æquè pulchrum Ludovicus exiſtimans artibus ſcientiiſque, quàm opibus & potentiâ florere, cives ad officium cultúmque Doctorum, diſcipulos ad Gymnaſium revocaſſet. Sed impedire tamen non potuit, ut aliquot Scholaſticorum millia, præmiorum atque emolumentorum ſpe, quæ proponebantur ab Anglo, Oxonium haud emigrarent.

Vſi etiam occaſione turbatarum Scholarum, & Magiſtrorum abſentiâ nonnulli, quibus hactenus ob humilitatis profeſſionem quam fecerant, Graduum Academicorum dignitas, & publica docendi munia, haud optanda videbantur; mutatâ ſententiâ in Gradus Cathedráſque irrepſerunt: cùmque nullum progrediendi ulteriùs finem facerent, quin potiùs ad ſequendum, exemplo ſuo, alios Ordines proritarent, (quod abſque incommodo & detrimento ſuo, veteres Magiſtri fieri non videbant poſſe) ad Summum denique Pontificem res devenit: qui Religioſorum ſumto patrocinio, laſſavit primùm adverſariorum animos: cúmque continuatis Diplomatis, cœpto inſiſteret; ad extremum fregit. Erat tum inter Acade-

demicos, ferventiſſimus acerrimúſque Guilielmus à S. Amore; qui calamo experiri contrà aggreſſus, tulit, quod non expectaverat, operæ pretium, ſuorum videlicet voluminum, gravem acerbámque cenſuram.

Atqui hoc ſæculo, uti Regni utriuſque Siciliæ acceptâ ſorte, Gallica felicitas mirificè ſe extulit; ita pauculos poſt annos, cùm intollerabilis evaſiſſet, inde depulſa, humani generis in hodiernum uſque, ludibrium fuit. Haud eſt de nihilo quod Florus ait: *Difficiliùs eſt Provinciam tenere, quàm facere: viribus parantur, jure retinentur.* Et Curtius: *Faciliùs eſt quædam vincere, quàm tueri. Quàm hercle expeditiùs, manus noſtræ rapiunt, quàm tenent.* Operæ pretium eſt hiſtoriam, altiùs, brevitérque repetere.

Lib. 2. cap. 17.

Lib. 5.

Frederico Secundo, priùs utriúſque Siciliæ Regi, ac deinde Imperatori, Anno M. CC. L. Ferentini in Apulia defuncto; Conradus filius, tum in Imperio, tum Siciliæ Regno ſucceſſit. Poſt Normannos enim, Saracenis depulſis, rebúſque præclarè geſtis, Pontificum Romanorum beneficio, in Sicilia Reges; id Regnum Conſtantia, Guilielmi Boni filia, Henrici VI. conjux, in Suevorum familiam intulerat.

An. 1250.

In Germania Conradus erat, cùm Fredericus è vivis excederet. In regnum itaque veniens, id va-

riis motibus turbatum offendit. Neapolínque ad Pontificem defeciſſe: quam Vrbem, cum vi non poſſet, arte cepit, diripiendámque militi conceſſit. Inde veneno periit, Manfredi Spurij fratris inſidiis, cum tres annos & menſes quinque ac dies aliquot regnaſſet, Conradino filio, qui adhuc puer in Suevia educabatur, herede relicto.

Manfredus interea fiduciarius regni poſſeſſor, donec Conradinus adoleſceret, confiɛto & procurato de morte ejuſdem rumore, poſt biennium utriuſque Siciliæ regnum invadit. Id ægrè ferentes Vrbanus IV. & poſt eum Clemens IV. Romani Pontifices, ab eo videlicet qui Nothus erat, Siciliæ regna occupari, totámque Italiam in partes diſſcindi; Carolum, Ludovici Gallorum Regis fratrem Andiúmque Ducem, certis ei legibus tradito regno, Manfredo adverſarium excitarunt.

A Carolo, Manfredus prælio ad Beneventum victus, & in acie Flandrorum, cui Robertus Comes præerat, occiſus eſt, cùm annos undecim regnaſſet: & Carolus regni ſolium aſcendit, cui Romæ anteà inauguratus fuerat.

Anno 1266.

Neque hic ſtetit Caroli fortuna. Sublato Manfredo, cùm utramque ſibi Siciliam aſſeruiſſet, belli Syriaci conſilia agitare cœpit; quòd & titulo Regni Siciliæ, Hieroſolymorum Rex eſſet. Acce-

de-

debat Ægyptia clades, cujus ut ignominiam elueret, incredibili cupiditate ardebat. Æmil.

Verùm eam cogitationem repente frænavit, imminens à Conradino tempestas: qui comparato exercitu, decimoquarto post Patris obitum anno, ad repetenda avita regna, in Italiam venit.

Mirum videri poterat, quòd superstite legitimo regnorum Siciliæ herede, in Carolum Gallum, Pontifices Romani, ea transferre voluissent: sed præterquàm quòd essent ambo Galli, obversabatur eorum animis, prisca Francorum observantia in Ecclesiam, tametsi regnare in Gallia desiissent. Occurrebant pariter, immitia quorumdam Suevorum Principum, ac præsertim Fredericorum imperia, è quibus originem Conradinus educebat. Sed non disputo, utrùm idcircò jure vel injuriâ Conradinum Pontifices excluserint: satis est indicasse.

Conradinus itaque, viribus quas undequaque corradere poterat, succinctus: cujus nomine Fredericus Hispanus, Siciliam totam, Messanâ, Siracusis, & Panormo exceptis, jam subegerat, Neapolin contendit. Obviam ei fit Carolus, apud Lacum Fucinum, sic per industriam instructâ acie, ut si primo conflictu, prælium, uti contigit, amitteret, ultimo restaurare posset: ubi, dum pugnâ

commissâ, victores se Suevi existimant, Carolúmque esse interremtum; ad prædam spoliáque conversi, à superveniente Carolo contriti sunt.

Anno 1268.

Id ubi Conradinus advertit, custodibus destitutus, cum Frederico Austrio, aliísque primoribus, in fuga præsidium quæsivit: quod sanè reperisset; nisi indicio annuli proditus, quem ad cibos emendos, per nautam miserat in oppidum. Asturam, cùm se mari credidissent, ab insequentibus captus, demùm in Caroli potestatem venisset.

Quibusdam captivis, mox supplicio capitis affectis, Conradinus & Fredericus, in vincula Neapoli, anno integro, conjecti sunt. Habitis interea consiliis, eò tandem res devenit, *Vt in Conradini morte, sola vitæ spes, Carolo superesset.* Quæ immanitas, etsi melioribus è nobilitate Gallica displiceret: imò Robertus Flandriæ Comes, Caroli gener, clarè detestaretur; ea tamen sententia vicit, quam etiam Bohemus Odoacer, ne quando quæ ipse Austriis abstulerat, à se reperterentur, ursit.

Septimo itaque Kalendas Novembris, post unius anni carceres, primùm Fredericus Austrius, ultimus Austriæ è familia Leopoldi Dux: ac deinde Conradinus, postremus & ipse Suevicæ stirpis Princeps, cùm priùs Petrum Arragonium, pu-

bli-

blicè Regni heredem nuncupasset: aliíque, in foro Neapoli, partim gladio percussi sunt, partim laqueo strangulati, coram infinita multitudine ipsóque Carolo inspectante. Carnifex mox cæsus, ne se fudisse regium sanguinem, vanus umquàm gloriaretur.

Talis exitus Conradini fuit, unáque Imperij nobilissimæ Suevorum familiæ, quæ jam inde à Clodoveis Carolísque, Francorum in Gallia Regibus, multos Imperatores, Reges, Ducésque produxerat. Quapropter damnata etiam per id tempus fuit, hæc Caroli, in Principem minoris ætatis crudelitas. Victoriâ partâ, gladius ponendus erat, non commaculandus sanguine, Christiano præsertim & Principum. Cur non didicit clementiam vel ab infidelibus? Saraceni, cùm Carolum, fratrémque Ludovicum Regem, qui bellum illis intulerant captivos effecissent; regiè tractarunt, atque dimiserunt.

Collenut.

Quare non immeritò Petrus Arragoniæ Rex, scriptis litteris, sic in eum invehitur: *Tu, Nerone neronior, & Saracenis crudelior.* Sed & Robertus Flandriæ Comes, etsi Caroli, ut dixi, gener; tantâ attamen indignatione motus fuit, in illum qui capitalem sententiam, tenuissimæ conditionis homo, adversùs tantæ excellentiæ Principem

pronuntiaverat ; ut eum tamquam vitâ indignum, enſe confoderit.

Naucl.

Ex eadem Petri Epiſtola, apud Nauclerum hæc exſtant : *Conradinum tu non in prælio, ſed inermem nequiter captum, poſt diuturnum carcerem, poſt probroſa ludibria, poſt multas ex eo factas oſtentationes ad pompam, contra juſtitiam & contra Deum, contra omne jus belli, contra conſuetudinem priſcis moribus approbatam, vitâ immaniter privaſti. Huic generi, pro nectare rependens abſinthium : ut qui Comitatum Provinciæ cum uxore, de gratia ſpeciali, à Frederico Conradini avo acceperis, fidelitatiſque ſacramentum illi pro te, heredibuſq; tuis præſtiteris*, &c.

Itinerar. Italiæ.

Aiunt lugubri incognitóque habitu, funeſtum Conradini ſupplicium, ſpectaſſe triſtiſſimam matrem : eúmque locum, qui cruorem amborum Principum hauſit, in medio licet, quod ſuperſtructum eſt Sacello, in hodiernum uſque diem madere.

Lib. 5. Hiſtor. Neap.

Sed omitto recenſere, quæ per Apuliam & Lucaniam, partâ recenter victoriâ, ante mortem Conradini geſta ſunt, plena ſanguinis & crudelitatis, exſtántque apud Collenutium, qui teſtatur perpaucas familias fuiſſe, quæ fortunas aut cædem ſuorum, non deploraverint : neque minorem in Sicilia calamitatem, ob incendia, rapinas atque cædes, iiſdem de cauſſis exortas.

Adep-

Adeptum tantâ mole regnum, Carolus firmare statuit. Cùm igitur Anno undeseptuagesimo, deliberari in Gallia accepisset, quæ primùm regio Barbarorum tentanda esset; suasit per Oratores suos, ut Carthago peteretur. Afros, Italiæ semper infestos, Siciliam proximo bello pressisse: Siculo regno, simul & Provinciæ Phocensi, formidabiles esse. Regem Siciliæ, eumdémque Comitem Provinciæ Phocensis, non posse tutò in Syriam navigare, Regnúmque sacrum repetere, relicto è regione Siciliæ, Italiæ, Provinciæ; illo Barbariæ Africanæ incolumni regno. Cetera prona virtuti Gallorum fore, illo in potestatem redacto: aut viribus, ne obesse deinceps possit, debilitatis. Quod facillimum factu sit, cum in conspectu propè sit, & brevi navigationis cursu interjecto. Quapropter id rerum suarum respectu, Carolus optabat, firmiúsque sperabat futurum regnum suum, Africanis opibus eversis, quamquàm è longinquo vicinis.

Anno 1269.

Æmil.

Sanctus Rex, totum nomen Christianum defendendum suscipiebat: ut dum ipse Africam adoriretur; Syriaci Latini, adversus suos destinatos hostes, juvari ope possent: distinerentúrque Saracenorum vires, ne alij aliis auxilio forent.

Ad expeditionem itaque comparatis omnibus,

pactáque cum Anglis pace, eiſdémque in belli ſocietatem aſſumtis, ſolvit è portu Maſſiliæ, cum tribus liberis, Philippo, Ioanne, Petro, Kalendis Martiis Anno ejus ſæculi ſeptuageſimo, Ludovicus, poſtquàm gubernando Regno, idoneos domi Proceres reliquiſſet.

An. 1270.

Mox expugnata Carthago, obſeſſúmque Tunetum, nobilior per id tempus ipſâ Carthagine, Regiáque Vrbs: quæ, dum ſexto jam menſe obſidentes fatigat, exorta peſtilentia, populari Gallos cœpit. Hos inter, filius Regis Ioannes, obiit: quem octavo Kalendas Septembris, ſanctus Rex profluvio ſecutus eſt.

Gallorum animos luctu perculſos, confirmavit mox ſuperveniens, Carolus Siciliæ Rex, cujus commodis potiſſimùm ea expeditio debebatur: qui levibus præliis, ſuperbam fiduciam oſtentantes hoſtes, in juſtam rurſus obſidionem coërcuit. Appulit & Anglica claſſis: adeò ut ab Anglis, Gallis, Italis, Barbari preſſi, certis legibus deditionem facere compulſi ſint: quarum erat hæc una, ut quadraginta millia aureorum Siciliæ Regi, quotannis Rex Barbarus numeraret, quantam ſummam Siculus, Romano Pontifici ex formula debebat.

Æmil.

Philippus Ludovici filius, Audax, dictus, mox à Pa-

à Patris obitu in Africa salutatus Rex, Anno sequente apud Remos de more coronatus est. Patrui Alphonsi morte, quam ex Africa redux, obiit in Tuscia, Tholosatium & Pictavorum Comitatus adivit: ac paullò pòst Vascones, quos Navarræos hodie vocant, expugnatâ Pompeiopoli, ad obsequium reduxit.

LIBER SEPTIMVS.

BREVIARIVM.

FREDERICO Imperatore, & Romanis Pontificibus, interea dissidentibus, ortisque inde per Italiam factionibus Guelforum & Gibellinorum, Occidentis Imperium, mirè agitatum est. Frederico etenim, cùm Henricum filium, Pontifex promisso diademate opposuisset; filium Fredericus carcere clausit, in quo & obiit. Hinc anathemate innodatus Fredericus permansit, usque ad Innocentium quartum: qui Concilio Lugduni habito, citatum istuc Fredericum (cùm adesse non posset ob Italiæ motus) Regno & Imperio privat. Ei suffectus Henricus Thuringiæ Comes, quòd jussu Pontificis electus esset, *Sacerdotum Rex* dicitur. Hunc contra, Conradus Frederici filius movit. Vincitur Conradus: ipséque pòst Henricus, dum Vlmam obsidet, pariter cadit, neque pervenit ad Imperij diadema. Hinc eligitur Guilielmus Hollandiæ Comes: in quem rursus Conradus proficiscitur: primùm victus, mox victor. Secundùm hæc Frederico mortuo, vacat Imperium viginti & amplius annis. Conradus enim, etsi à patre Romanorum Rex factus; res attamen Imperij, non admodum curavit: sed neque Guilielmus: donec tandem Conrado Neapoli mortuo; Guilielmus imperare velle visus est, & Romam pro suscipiendo diademate meditari. Quod dum agit; occumbit in prælio contra Frisones. Inde post biennium variantibus suffragiis, duo electi Imperatores sunt, Richardus Anglus Cornubiæ Comes, & Alphonsus Castellæ Rex: quorum ille, Aquisgrani coronatur: hic, in Germaniam, numquam advenit. Postquàm ergò ambo Cæsares, diu disceptassent; ipse demum Richardus factorum pœnitens, & auri vacuus, in Angliam rediit.

Interea Conradinum Conradi filium, fata Neapoli occuparunt: ac propter Pontificum & Imperatorum odia, nemo Imperium ambire visus est: etsi Pontifex Carolum Siciliæ Regem, Imperij in Italia Vicarium, attributâ Etruriâ creasset. Hâc perinde occasione, quisque Principum ut potuit, Provincias & oppida, ab Imperio subduxit. Quæ res Gregorium X. quondam Archidiaconum Leodiensem permovit, ut Electores seriò eligendi Imperatoris moneret. Quod dum fit; annitentibus tum pro se frustrà Alphonso Castellano & Ottocaro Bohemo, eligitur Rudolphus Comes Habsburgicus, ex veteri Francorum prosapia ortus, per Sigebertum Austrasiæ Regem, Aquisgrani coronatus, nihil priùs habuit, quàm collapsum Germaniæ statum, reparare. Vnde nec Romam neque in Asiam profectus, posteros nihilominus potentissimos habuit, nuptiarum magis, quàm armorum felicitate.

TRIGINTA circiter abhinc Annis, Occidentis Imperium, dissidentibus cum Imperatore Frederico Secundo, Pontificibus Romanis: ortáque factione Guelforum qui Pontificum, & Gibellinorum qui partes Imperatoris sequebantur; mirificè agitatum est: unáque totus Christianus orbis, vehementer concussus.

Frederico in primis, Henricum filium, quem Imperij consortem pater adsciverat, Pontifex Italíque, promissô diademate opposuerunt: quem Fredericus præoccupatum captúmque, misit in Apuliam, ubi in carcere extinctus est. Hinc veluti Ecclesiæ hostis, anathemate iterum iterúmque percussus: cùm veniam obtinere non posset, usque ad obitum Gregorij Noni, in eo permansit.

Lehman. Bzov. An. 1239.

Tantum verò abfuit, ut Gregorij successor Innocentius quartus, qui dum Cardinalis existeret,

Fre-

Frederici suffragator fuerat, mitiùs eum benigniúsque tractaret; ut clanculum cum aliquot Cardinalibus, Lugdunum celebrandi Concilij causâ profectus, conscenso quotidie suggestu, Fredericum ad Concilium, ad se defendendum citaret. Legati quos eò miserat, nihilum impetrare potuerunt, neque ipse coram adesse, ab itinere, turbis Italicis impeditus. Imperio igitur Regnóque privatus, Principum Germaniæ, Herbipoli congregatorum, tumultuariâ electione, successorem accepit Henricum Thuringiæ Lantgravium: qui mox *Sacerdotum Rex* dictus, quod jussu Pontificis electus esset. Collen.

Contra hunc, profectus Conradus Frederici filius, quem post Henricum filium alterum, de quo dixi, Romanorum Regem creaverat; ingentibus etsi copiis stipatus, commisso iterum ad Franco-furtum prælio, devictus est. Haud multò pòst, cum Vlmam obsideret; venenatâ sagittâ percussus, mortem quoque Henricus Thuringus obiit, neque ad Imperij diadema pervênit. Bzov.

Ita Henrico mortuo, Guilielmus Hollandiæ Comes, Ducis Brabantiæ ex sorore nepos, eodem agente, designatus Cæsar est. In hunc Conradus rursus movens, primò victus, mox victor fuit. Verùm Frederico, ad Annum quem suprà diximus Goltz. Lehman.

mus, videlicet M. CC. L. tandem defuncto; interregnum Annorum viginti duorum, Imperium habuit. Etsi enim Conradus Frederici filius, pro Imperatore se gesserit, imò & Guilielmus Hollandiæ Comes ut dixi; res attamen Imperij non admodùm curarunt, neque ab omnibus agniti sunt.

Cùm enim Conradus, avitum Siciliæ Regnum sibi vindicans, represso ibidem Manfredo, Neapolin obsidet, murísque discingit; ab Innocentio quarto juxtà cum Patre devotus, exhibito in clystere toxico, è medio excessit.

Bzov. An. 1253.

Ex tunc imperitare quidem Guilielmus cœpit, & inaugurationis caussâ in Italiam cogitare; sed post biennium dum in Frisios, res novas molientes, cum exercitu proficiscitur, insidiis circumventus, occisus est. Convenientibus igitur, expleto rursus biennio, Franco-furti Electoribus, ac variantibus suffragiis, duo designati sunt Romanorum Reges, Richardus Cornubiæ Comes, Regis Angliæ frater, & Alphonsus Castellæ Rex.

Lehman.

Richardus acceptis Litteris, continuò in Germaniam advolavit, primámque Imperij coronam, Aquisgrani accepit, imponente Episcopo Coloniensi. Inde utrique Cæsari longa dissensio: etsi Alphonsus, interim domesticis suorum seditionibus acriter vexatus, numquam in Germa-

niam appulerit. Sed Richardus non diu pòst, multis in Germania dilapidatis thesauris, in Angliam unde venerat, factorum pœnitens, reversus est.

Interea res Siculæ, Conradinum, ut dixi, occupabant: nemóque erat Principum, qui dignum ambitu putaret Imperij diadema. Crediderim in caussa fuisse, Pontificum & Imperatorum implacabile odium, longáque dissidia: tametsi Pontifex curam rerum Augustarum, Sacro-sanctæ potestatis esse contendens; creatum jam Siciliæ Regem Carolum, insuper Vicarium Imperij, Etruriâ attributâ fecerit. Æmil.

Hâc occasione, cùm neque invocatus licet Alphonsus adesset; prout quilibet Principum potuit, Provincias & Oppida, ab Imperio subduxit. Quibus aliísque permotus Gregorius decimus, olim Archidiaconus Leodiensis, sub initium adeptæ thiaræ, adeò monuit electores creandi Cæsaris; ut nisi mox id effecissent, præter dignitates suas quas adimebat Electoribus Ecclesiasticis, & anathema quod Principibus minabatur; diceret, *Se creaturum Cæsarem, qui videret ne quid Ecclesia detrimenti, aut periculi Respublica sustineret.*

Cùm igitur & Legatos suos, multo auro graves, Franco-furtum Alphonsus misisset, quamquam frustrà. iterúmque eligendus: Ottocarus

V 3 etiam

An. 1243. etiam Bohemiæ Princeps, qui oblatum antea Imperium contemſerat, inſtaret; tridui deliberatione tranſactâ, Rudolphus Comes Habsburgicus electus eſt: exiguo quidem cenſu, & anguſto Principatu; ſed qui generis nobilitatem, ad veteres Francorum Reges referebat.

Lazius.

Atque ita poſtliminiò redivit Imperium ad Francos: longâ marium ſerie, ex Merovingiis Principibus, per Sigebertum Auſtraſiæ Regem, quod Capetinis, nullíſque aliis competit; exortos.

Heuter. Pieſpord.

Electus, & Aquiſgrani coronatus Rudolphus, ad erigendas Germaniæ res, funditùs prope collapſas ſe accinxit. Quare neque induci potuit, ut in Aſiam, nomen ſibi facturus tranſmitteret. Quemadmodum enim, cùm deturbari Siciliæ Regno Pontifex Manfredum vellet; Sanctus Ludovicus, novarum opum quærendarum cupiditate, adduci non potuit; ita Rudolphus crebrò uſurpabat Philoſophicum iſtud: *Prudentiâ Regnum adminiſtrari, tyrannide autem ampliari.* Et: *Majoris eſt artis bene imperare, quam ampliare.* Denique: *Bonus Paſtor, ſuis ovibus adhærebit, eas paſcet, nec quæret alias, ut eas deſerat: itaque neque has, neque illas paſcat.*

Ex quo videas, Francicæ cupiditatis in veteribus olim Principibus vitium, ſanguinis & temporis moderamine, in hoc novo è Francis Imperatore,

re, defecisse. Nam quòd Austriaci heroës, ab hoc stipite prognati, potentissimi tandem evaserunt; pace potiùs quam bello, & nuptiis quam viribus effectum est.

Bella gerant alij, tu felix Austria nube.

LIBER OCTAVVS.

BREVIARIVM.

CAROLVS Siciliæ Rex, ex Africa redux, etiam à Maria Antiochena (quo jure, incertum) Regni Hierosolymitani titulo augetur. Dúmque Regni Siciliæ securus, deliberat de Imperio Constantinopolitano, in generum Balduinum transferendo; ex insolentia Gallorum, orta domi conjuratio est. Hanc, suscepto, ad quos intererat itinere, Procula, ita demum peregit; ut die Paschatis, dum Vesperarum signum ære campano fieret, totâ Siciliâ Galli occiderentur, ad usque octo millia. Hæ Vesperæ sunt Siculæ: quibus Sicilia Carolo periit, & ad Arragonium pervenit. Itaque frænata expeditio Caroli in Græciam: frustra factum duellum Petri Arragonij & Caroli: Caroli strages navalis capto filio: Caroli denique mors. Filius captus, etsi Conradini manibus immolandus, pari supplicio censeretur; evasit nihilominus benignitate Constantiæ, Manfredi filiæ, Petríque Tarraconensis uxoris. Ob duellum Tarraconensis; Regnum ejus à Martino IV. in Carolum Valesium translatum. Quod dum Valesius bello petit; Petrus Tarraconensis, ad Gerundam, ex vulnere obiit. Hinc superatis bis Gallis, eorúmque Rege Philippo Perpiniani defuncto; facta pax, certis legibus: quibus dum Iacobus, Petri Tarraconensis filius, jure suo in Siciliam cedit; eam Fredericus Iacobi frater invasit.

HÆC dum aguntur, res adhuc suas in Africa, Rex Siciliæ Carolus curabat, ubi septennio circiter obhæsit. Reversus Anno M. CC. LXXVII. à Maria Antiochiæ Principis filia, om- An. 1277.

omnibus Hierosolymitani Regni juribus donatus est. Ita plerique scribunt, etsi eum titulum, Iolenthis, filia unica Ioannis Brenni Hierosolymorum Regis, pridem attulerit ad Fredericum Imperatorem, Siciliæque Regem, cum secundis sibi nuptiis, eam copularet. Quapropter incertum est, quo patre nata sit hæc Maria, & quo jure Hierosolymitani sceptri heres.

Collen.

Vt ut est, Carolus in hac Regni pace & tranquillitate, Neapoli agens, neque contentus suis, de occupando Constantinopolitano Imperio, cui Michaël Palæologus præerat, ac restituendo Balduino genero suo, cogitare cœpit. Sed fortuna, domestica ei negotia objiciens, vastam hanc cupiditatem impedivit. Cùm enim Præfecti Galli, qui Caroli nomine, munia in Sicilia publica obibant, subditos iniquiùs tractarent: inque mulierum pudicitiam, omniúmque opes ac vitam, pro libidine sævirent: neque iidem non solùm non punirentur, verùm animarentur manifestâ conniventiâ; tum ij, tum Carolus ipse, capitale Siculorum odium incurrit.

Collen.

Ioannes Procula Salernitanus, ut Collenutius nominat, & Regis Manfredi quondam Medicus: vel ut Antoninus Ioannes de Insula Procyda, olim Prochyta, ejusdem Insulæ Dominus, cujus

Antonin.

pa-

pariter uxorem Galli fedaverant, inito cum Siculis consilio, in pristinam eos libertatem, è Gallica servitute, vindicare statuit.

Quamobrem Constantinopolin profectus, Imperatori Palæologo; Caroli consilia transfudit: monstratóque periculo in quo versabatur, effecit, ut is magnam pecuniæ vim, Petro Arragoniæ Regi mitteret. Inde in Arragoniam trajiciens, Regnum Siciliæ, Petro, quem dixi obtulit, quòd is Constantiam Manfredi filiam, Conradini propinquam in Matrimonium haberet. Porrò bis Romanum iter ingressus, obtinuit à Nicolao Pontifice, ut in Petrum, Constantiæ nomine, Siculi Regni jura conferret. Hæc à Prochytano peracta sunt; in vili Minorum habitu, octodecim mensium spatio: adeo catè & cautè, ut nemo quidquam sciverit, præter eos quorum intererat, de horribili, quod cudebatur, secreto.

Advênit ergò dies & hora, destinata facinori patrando, Paschalis. Quæ cùm adesset; magnitudine injuriæ & contumeliæ, continuatæ tot annis, superante patientiam, Siculorum furor erupit, ad strepitum totâ Insulâ campanarum, pro Vespertinis Hymnis, Gallósque omnes, indiscretâ ubique cæde trucidavit. Initium à Panormo factum, ubi clementer olim Suevi regnaverant.

An. 1281.

 Scri-

Fulgos. Scribit Fulgosus, octo Gallorum millia cæsa, nullâ habitâ ratione sexus vel ætatis: adeo ut per gravidarum uteros, ad embryones, gladij necésque pertingerent. Præter eos enim, qui se Arce Sperlingâ continuerant, nemo evasit, sed quos demùm inedia sustulit.

Ita Caroli manibus Sicilia elapsa est, imò veriùs erupit, postquàm eam tum bello tum pace, annis circiter septemdecim tenuisset. Neque rediit umquàm, propriis licet ipsius, & alienis viribus, pertinaciter tentata. Petrus quippe Arragonius, classe Mediterraneum oberrans mare, primùm occupato Panormo, totáque deinde Insulâ (quæ auctore Thucydide in circuitu patet, quantum navis magna, potest intra octiduum obire: & à continente distat circiter viginti stadiis) suam fecit, atque ad posteros transmisit.

Hâc cupiditatis Caroli, & petulantiæ Gallicæ Nemesi, effectum est, ut frænata sit expeditio in Græciam: cúmque Petri Arragonij astutiâ, elusum esset duellum, de quo inter Petrum Carolúmque convenerat: imò & ipse Princeps Salernitanus, unicus Caroli filius, paullò pòst à Rogerio Loria classis Arragoniæ Præfecto, captus in mari esset, unà cum novem triremibus, & maximo nobilium numero: è quibus ducenta capita Mes-

Messanæ, in ultionem mortis Conradini demessa sunt: ipse verò Carolus novum contra Siciliam, bellum adornaret; rebus humanis excessit, Anno M. CC. LXXXIV. VII. Ianuarij, Neapoli sepultus, An. 1284.

Supererat, ut eodem supplicio quod Conradinus luerat, captus Carolus multaretur. Ita quippe censebant Iurisperiti, quos ex omnibus urbibus suis, Siculi advocaverant. Iamque erat edictum ut fieret; nisi Caroli patientia, animíque moderatio, Constantiam Reginam, repentè immutasset. Nam quia die quâdam veneris, Passioni Dominicæ sacrâ, plecti se paratum Carolus dixerat; ut propter diem illam viveret, Constantia jussit. O! feminam Gallis omnibus meliorem.

Petrum Arragoniæ Regem, postquàm ad locum duello in Aquitania designatum, comparuerat, Martinus IV. Pontifex, Arragoniæ Regno privavit, transtulítque in Carolum Comitem Valesium, Philippi Galliæ Regis filium natu secundum. Id anno sequente dum terrâ maríque, Philippus & Carolus aggrediuntur, Petrus Arragonius, ex vulnere ad Gerundam occubuit: sed navali certamine ad Rhodam & Narbonam, bis superatis Gallis à Rogerio Loria; Philippus quidem Perpiniani obiit, at Valesius decennio circiter pòst, pace inter Carolum II. Neapolis, & Ia-

cobum Siciliæ Reges factâ, jure suo cessit. Verùmtamen Siciliam tunc, Fredericus, Iacobi frater occupavit.

LIBER NONUS.

BREVIARIUM.

PHILIPPUS Pulcher, à Remensibus sacris, Parisios reductus, salutatur Academiæ nomine, ab Ægidio Romano. Arbitratur pro Ioanne Brabantiæ Duce, in causâ Ducatus Limburgensis, contra Reinaldum Geldriæ Comitem, post prælium Woeringanum, in quo victor Ioannes. Regem Angliæ Pulcher lacessit: arreptâ quidem ex populatione causâ; sed reverâ spe recuperandæ Aquitaniæ, quæ tum Angli Regis erat. Dolo, Guidonem capit Flandriæ Comitem, ejúsque filiam Anglo desponsam; quam & cum viginti pedissequis, & triginta viris, quos Guido adduxerat, necat. Inde bellum in Flandria, Duce Roberto Atrebate. Furnensium & Brugensium defectio ad Regem. Anglus, Regis sororem ducit, & Aquitaniam recipit. Hinc bellum Gallicum, in Flandriam solam incubuit, quam capto iterum cum filiis Comite, Pulcher subigit & per Præfectum gubernat. Gallorum Brugis & Gandavi cædes: quam dum ulcisci Pulcher parat; ab Anglo deterretur. Ex bello Flandrico, simultates inter Pulchrum Regem, & Bonifacium Pontificem, ortæ. Flandriam fisco illatam, Pulcher Roberto Atrebati tradit. Memorabili clade, Robertus ad Cortracum cæsus. Hinc Guido Comes è custodia dimissus, juxta condictum in eam rediit, & obiit. Flandrorum contra Hannonios bellum, pro quibus Pulcher, in Flandros educit & vincit. Quamobrem irritati Flandri, cùm infinito numero convenissent, ad Montem Pabulanum, commisso denique prælio, adeo Pulchrum ceciderunt & terruerunt, ut Flandros sibi relinquens, filiorum Guidonis libertatem pactus sit: quód fedus, Flandri, *Iniquitatis* dixerunt. Artesia, Mathildi tradita, præterito Roberto, Roberti ad Cortracum cæsi nepote. Pulcher, à Bonifacio Pontifice, anathemate percussus, Regno privatur, quod in Albertum Pontifex transfert, quem tum Imperatorem appellat, frustrafacto Carolo Valesio, qui uti antea Orientis Imperium, ita nunc Occidentis affectabat. Dum mutuis inter se odiis, Pulcher & Bonifacius certant; hic à Longareto, Pulchri jussu capitur: móxque

(li-

(liberatus licet) moritur, succedente Benedicto, qui Pulchrum se excusantem absolvit. Hinc postquam biennio prope, Sedes vacasset; Pulchri industriâ, electus Clemens Quintus, ac Lugduni coronatus, purpuratam Curiam annis septuaginta in Gallia tenuit. Isabella Pulchri filia, elocatur Eduardo minori Anglorum Regis filio, non absque injuria Isabellæ Flandrensis, & manifesto Angliæ Galliæque damno. Alberto Imperatore occiso, Pulcher Imperium, sed frustrà, ambit. Successit Henricus Luxemburgensis; sed quem pauculis pòst annis tolli procuravit, veneno in Eucharistia exhibito. Simul cum Imperio, Pulcher affectabat Templariorum opes, quorum Ordo, Clemente fautore extinctus est: Præfectus, supplicio affectus. Ejus rei narratio ex P. Æmilio; Templariorum excidium, mox secuta Clementis mors, nec non Pulchri. De hac Bocacij testimonium.

MORTVVM Philippum, Philippus filius, cognomento Pulcher excepit, Festo Epiphaniæ Remis consecratus. Eum, Academiæ nomine, à Remensibus sacris, Parisios mox reductum, Ægidius Columnius Romanus, præclarus Theologus, oratione habitâ salutavit, quam recitat Paullus Æmilius, initio *Libri octavi.*

Anno 1284.

Æmil.

Philippi primordia, prælium Woeringanum secutum est, inter Ioannem Primum Brabantiæ Ducem, & Reinaldum Geldriæ Comitem, qui nomine Ermengardis conjugis suæ, filiæ unicæ Walerami Ducis Limburgensis, etsi nullos ex ea liberos sustulisset, Ducatum Limburgensem, sibi, contra Adolphum Comitem Montensen, Walerami ex fratre Adolpho nepotē, vindicaverat. Id ubi vidit Adolphus, propinquorum auxilia poposcerat: sed qui non aliis legibus ea præstare vo-

Prælium Woering.

lebant, quàm si è Ducatu, partem aliquam singuli pro mercede obtinuissent.

Eâ cauponatione indignatus, jus omne quod in Ducatum Limburgensem habebat; in Ioannem Brabantiæ Ducem transtulerat, Anno M.CC. LXXXII. qui perinde sexennio pòst, memorabili pugnâ ad Woeringam, Oppidum in Vbiis situm, commissâ, aliquot hostium cæsis millibus, captóque Reinaldo, æternâ accessione Ducatum Limburgensem, Brabantiæ sociavit.

Pro Ioanne enim, cujus soror Maria, Philippo, Pulchri patri, secundo matrimonio nupserat, Pulcher arbitrio suscepto, restituto priùs in libertatem Reinaldo, pauculísque utrímque legibus edictis, controversiam diremit, Anno M. CC. LXXXIX. Hujus victoriæ memoria, unitarúmque Brabantiæ & Limburgi Provinciarum; patriis ad honorem Deiparæ Virginis encœniis, in hodiernum, à Bruxellensibus celebratur.

Anno 1289.

Atque ut initia sua, hoc pacis arrhabone consecraverit Pulcher; in vicinos attamen repentè conversus, non tantummodò fatigavit Angliam, sed Flandriam propè universam hausit. Crediderim recuperandæ Aquitaniæ potiùs, quæ, pace cum Ludovico Nono anteâ factâ, Anglis tota remanserat; quàm legitimæ justæque injuriæ vindican-

Anno 1292.

eandæ caufsâ, Angliæ Regem à Gallo lacessitum fuisse.

Nam cum Anglicæ naves, quas Eduardus ad tuendam Aquitanicam oram, Burdegalam miserat, captis duabus, à Normannica classe, afflictæ essent, atque è nautis, complures suspensi; Anglorum navarchus, talionem à Normannis reposcit. Sequanæ ostium adortus, editâ strage, sex naves abduxit: præter eas, quæ ex Vasconia vino onustæ, Normanniam repetebant. Illas enim, haud magno negotio, tertiâ propè nautarum parte occisâ, pariter cepit, & in Angliam misit.

Polyd.

Hanc ob rem, frustrà repetitis rebus ablatis, ut Majestatis, vexátæque populatione Franciæ, causam diceret, tamquam ejus beneficiarius, Eduardus Rex Angliæ citatus est. Etsi neque ipse, uti Dux Aquitaniæ: neque Anglicæ classis præfectus, quidquàm in Francos peccasset; fratrem nihilominùs Edmundum, suo nomine Parisios misit, caussam coram Iudicibus acturum. Ab his, rationes Edmundi insuper habentibus, tamquàm contumax Eduardus damnatus est.

Eapropter immisso in Aquitaniam uno post alterum exercitu, civitatibus & fortalitiis tantúmnon omnibus, Anglos Galli pepulerunt.

Hoc impetu pulsatus Anglus, ad fedus & auxilium,

lium, Flandriæ Comitis respexit: quod ut firmius esset; filiam ejus conjugem poposcit. Comes, cujus suspectas opes & potentiam, Pulcher habebat, nolletque filiam se inconsulto nubere; dolo Parisios cum filia accitus, & captus est.

Quid Pulchrum impulerit, ut innocentem puellam, cum viginti pedissequis strangularet, & in profluentem mitteret: triginta verò illustres viros, quos secum Guido adduxerat, in monte Falconis suspendio necaret; quis dicere præter capitale odium, & efferam crudelitatem potest?

Massæus.

Ceterùm ubi Guido evasit; protenus Pulchri hostis effectus est, unáque cum eo Adolphus Nassovius Imperator, Dux Brabantiæ, Austriæ, aliíque. Sed priúsquam in Franciam arma ferrent, Robertus Atrebas antevertit: acceptóque mox Bethuniensi & Insulensi oppido, Flandrorum copias, cæsis aliquammultis, fudit & fugavit. Inde Gandavum, Eduardo Angliæ Rege, & Guidone Flandriæ Comite retractis, cum Furnæ & Brugæ, partim Liliatorum factione, partim Dissensionariorum, ut Meyerus loquitur, in Pulchri fidem concessissent: & suppetiarum, quas ferre debuerat, fidem, Adolphus Imperator, in Vbiis restitans, & Gallorum pecuniâ corruptus, fefellisset; induciæ ad biennium pactæ sunt.

An. 1297.

Meyer.

Eo

Eo tempore, Rex Franciæ sororem Margaritam, Eduardo Regi Angliæ collocavit, redditâ ei festis nuptiis Aquitaniâ: hácque occasione post finitas inducias, Gallorum universæ vires, in Flandriam incubuerunt. Polyd.

Dixisses Carolum cognomento Claudum, Neapoli Regem, Siculi jam regni spe dejectum, non aliam ob caussam in Flandriam appulisse; quàm ut compositâ, Gallos inter Anglósque pace, destitutum auxiliis Flandriæ Comitem, pessumdaret. Ita enim partim vi, partim metu omnia subegit; ut Comitem cum duobus filiis, captivos Lutetiam miserit. Æmil.

In Flandriam igitur Pulcher profectus, tametsi omni cultus & honoris genere, exciperetur; non diutiùs attamen eam tenuit, quàm Præfecto à se posito, libuit esse pariter omnibus addicto. Nam cùm æquo duriùs plebs in pendendis vectigalibus, indulgentiùs nobiles haberentur; illius patientia in furorem, Brugis potissimùm erupit: ubi plebeio uno alteróque ductore, semel iterúmque Francos impetiit, satis supérque idoneâ clade. Quinque enim Francorum millia Brugis, duo Gandavi cæsa esse, Massæus testatur. An. 1299. In Chron.

Contumeliam Pulcher Rex, vindicare paratus, ad octoginta millia bellatorum coëgit: sed Eduar- Æmil.

di Anglorum Regis, ita Francorum amici, ut tamen Flandros everſos nollet, aſtutiâ, ut aiunt, deterritus, pedem retrò tulit.

Villan. Inſtituit mox Bonifacius VIII. cùm ingenti ac diuturno terræ motu contremuiſſet Italia, avertendæ iræ Divinæ, Sæcularem Annum, (Iubilæum vocamus) Apoſtolorum Petri & Paulli ædes ritè adeuntibus, delictorum omnium veniam indulgens. Incidit ea celebritas in ipſum An. 1300. Annum M. CCC. à Virginis partu. Novi Pontificalis beneficij fama, in omnes orbis Chriſtiani partes perlata, incredibilem totius Occidentis Anton. excivit ſedibus ſuis molem. S. Antoninus auctor eſt, nullum ferè abiiſſe diem, quin Vrbs Romana, ducenta Peregrinorum millia, hoſpitio exciperet.

Meyer. Apud Bonifacium interea, quòd ejus ſententiâ in componendo bello Flandrico (uti convenerat) ſtare nollet; Pulcher offendit. Acceſſit Antiſtiti Apameenſi illata vis: qui ad Pulchrum miſſus Orator, de ſacra Vrbe communibus viribus recuperanda, cujus rei à Caſſano Schyta, af- Anton. Æmil. fulſiſſe ſpes videbatur, cum nimio animi ardore mandatum explet, precibúſque minas admiſcet; apud Archiepiſcopum Narbonenſem, cuſtodiæ traditus eſt: vetante adhæc Rege, *Ne quis è*

ſuo

suo Regno Romam iret, aut pecuniam mitteret.

[3] Quapropter licet anteà Bonifacius Ludovicum, Pulchri Avum, in Divorum catalogum retulisset: imò jus ei dedisset ad belli necessitates, pecuniæ, etiam à Sacerdotibus cogendæ: nunc attamen Bonifacium adeo offendit, ut Pulchrum execraretur, Franciæque Proceres solveret fidelitatis jure jurando, quo se illi devinxissent.

Sed non idcirco cessarunt consilia belli, in Flandros redintegrandi; quorum ditionem Fisco illatam, Roberto Atrebatium Comiti, Rex tradiderat. Ad Cortracum dimicatum est, tam memorabili prælio, ut cum Francorum nobilissimis Ducibus, eósque inter Roberto Atrebatium Comite implacabili Flandrorum hoste, Reginaldo Nella, quindecim (Equitum aut Nobilium, ut nonnulli volunt) millia ceciderint.

[2] Flandris (è quibus vix centum desiderati sunt, etsi plures saucij) per id tempus aderat, Guidonis Comitis capiti filius Philippus: qui cùm munere Caroli Regis, in Apulia, magnis opibus, magnóque oppidorum dominatu polleret; ea tamen omnia Carolo reddiderat, ut ab omni ejus beneficio liber, patriæ quam posset, contra Francos opem ferret. Commissum est prælium Anno M. C C C. I I. An. 1302.

Secundùm hanc cladem, Guido Comes, ad suos è custodia dimissus est, ut spe veniæ impunitatísque, in Francorum eos fidem adduceret: pollicitus nî permoveret, in custodiam redire. Rediit: paullóque pòst obiit.

Æmil.

Eapropter cùm Flandri, Hannoniæ Comiti bellum intulissent, quòd Hollandiam Zelandiámque obtineret, quas Comitis sui Guidonis esse contenderent; non tantùm Flandrorum odio, Hannoni suppetias Pulcher tulit; sed eos edomari non posse arbitratus, nisi terrâ maríque premerentur; sedecim triremes è Liguria mercede conduxit. Et quamquàm infesto jam etiam Oceano, tota Flandria in armis esset; Flandri attamen, haud metu perculsi, Atrebatum petierunt. Inde Audomaropolin, tantillâ clade acceptâ, digressi, cùm ferociter in hostem procederent, ex insidiis oppressi sunt, aliquot suorum millibus amissis.

Tantâ clade, irritati potiùs quam territi aut fracti, novas repentè copias conscribunt. Arma capiunt summi & infimi, proceres & plebei, tenues & opulenti: silentibúsque rerum omnium aliarum curis, clausísque institorum & operarum tabernis; universi ad bellum accinguntur. Numquàm Flandris, major tuendæ patriæ, arcendíque Galli, ardor & animus fuit.

Iam

Iam & ipſe Pulcher, ductu ſuo Flandricum geſturus bellum, cum magnis copiis advenerat: in quem, poſt complura minora prælia, repentino impetu clamoréque ſublato, tam ferociter apud Montem Pabulanum, Flandri irruerunt; ut turbatis hoſtium ordinibus, & partim in fugam actis, Regia potiùs fortuna Pulchrum, (cùm ambiguè diu certaretur) quàm virtus ſervarit. Sanè enim Rex, Lutetiæ in æde maxima ante ſimulachrum Virginis, ſtatuam Equeſtrem poſuit, ut id monumentum Regij periculi, Numine votóque, in ipſo diſcrimine pugnæ, propulſati foret. Diſſciſſa tum pariter à Flandris, & dilaniata Flammula Gallorum, de qua tam multa fabulari ſolebant, occiſúſque Anſelmus Cheroſius ejus geſtator.

Æmil.

Meyer.

Flandros itaque ſibi relinquere, quàm diutiùs irritare ſtatuit, quamquàm hoc etiam prælio, magna, ſed minora quam Galli, detrimenta paſſos: cùm præſertim infinito propè numero, apud Inſulas adunati, obſtinatè ſtatuiſſent vincere aut mori, nullâ hoſtis aut periculi habitâ ratione.

Quod ubi Pulcher vidit, filiorum Guidonis liberationem callidè pactus eſt, ducentis aureorum millibus; quæ, donec numerarentur, Inſula, Orchiacum & Duacum, in poteſtate Regis

essent. Sed quia pleraque alia, contra quàm jus fásque sinerent, Pulcher domi positus addiderat; huic fœderi, *Iniquitatis* elogium Flandri dederunt, perfidámque Gallorum indolem, execrati sunt.

Neque enim contenti hisce Oppidis, veluti pignori incumbere, donec videlicet sors, quam dixi, repræsentaretur; omnem mox lapidem moverunt, ut ea peculio suo adscriberent: quod, cùm à Roberto Comite obtinere, sive minis sive precibus haud possent; Nivernium ei posteà Registetúmque, vi factâ ademerunt.

Meyer.

Artesiam interea Comite vacantem, Pulcher in Mathildem transtulit, Roberti nuper cæsi filiam, Otthoni Burgundiæ Comiti, junctam, præterito Roberto, ex Philippo apud Furnas interemto, defuncti Roberti Nepote. Ea sententia, plurium & magnorum motuum, bellorúmque seminarium in Francia fuit.

Sed nondum erant consopita odia, quæ Pulcher & Bonifacius Pontifex gerebant. Præter Ecclesiasticas censuras, quibus Regem Regnúmque subjecerat, eò perventum est, ut id Bonifacius, veluti solio vacuo, juribus Imperij attribueret. Imò quod ad eam usque diem denegarat; Albertum aliquot ante annis electum, tum primùm Cæsarem appellat: eò majore illius gratiâ, quòd

fa-

fama erat, Carolum Comitem Valesium, uti anteà palàm petierat Orientis Imperium; ita nunc dissimulatis consiliis, spem Germanici, quod & anteà fecerat, concepisse.

Ne quid verò ad summam inimicitiarum deesset; Pulcher & Bonifacius, scriptis acerbissimis invicem litteris, verbigerati sunt: atque (ô! præclaram Regis Christianissimi, è Carolinis videlicet heroibus, dignam erga Pontificem observantiam) ab eo, quem Pontificem maximum esse negabat, ad Sedem Apostolicam provocavit. Hujus provocationis specie, ad Cardinales & Pontificem deferendæ, in Italiam profectus Longaretus Tholosas; trecentos equites per Sarram Columnam, contraxit: & corruptis Anagninorum nonnullis, apud quos tũ Bonifacius agebat; manus primùm in eũ, ac deinde custodes injecit.

His brevi dilapsis, & Anagninis, qui incorrupti erant, Pontificis ab se orti, miseratione motis, Romam reductus; trigesimo quinto à vi facta, die, obiit, ejus sæculi Anno tertio: magnanimitatis hoc inter alia, relicto monumento; quòd Pontificiam Thiaram, quæ eatenus unico aureo circulo, sive coronâ cincta fuerat, altero decorarit: cuique postremò tertium, Vrbanus V. addidit.

An. 1303.

Spond.

Successit Benedictus, qui etsi octavo Sedis suæ men-

menſe defunctus ſit; Francorum nihilominus Regem, ſe purgantem, quaſi nihil duriùs præter Appellationem in Pontificem ſtatuiſſet; Eccleſiæ reconciliavit, Franciámque Interdicto ſolvit.

Vacabat jam annum alterum Pontificia Sedes, diſſidentibus Gallici generis Cardinalibus, quos complures in gratiam duorũ Carolorum Regum Neapolis, Pontifices aliquot, ipſéque Bonifacius, primis regni ſui temporibus crearat; ab eis, qui erant Italici generis. Formidabant hi, quod evênit, ne Franci, qui hactenus omnium pœnè gentium, jura ornamentáque ad ſe traxerant; habendæ penes ſe auctoritati Pontificiæ, inhiarent.

Tandem conſensêre Itali, ut Galli, tres ederent, è quibus eligeretur unus, modò nullus eos inter, actorum Bonifacij adverſarius eſſet. Cùm itaque Bertrandus, Burdegalenſis Antiſtes à Bonifacio factus, Pulchróque eatenus infenſus, quatenus ejus propinquos bello Aquitanico Carolus Valeſius, domúmque vexarat, propoſitus receptúſque Italis fuiſſet; mox Bertrando reconciliatus Pulcher, Pontificatum ſui beneficij feciſſe viſus eſt.

Eo facto Purpurata Curia, ſeptuaginta Annis in Gallia permanſit, ipſe Bertrandus Lugduni coro-

ronatus, præsentibus Franco, Anglo & Tarraconensi Regibus, Clemens Quintus appellatus est.

Per id tempus Isabellam filiam unicam, Eduardo Secundo Angliæ Regi, Pulcher despondit, non absque injuria & dolore Isabellæ, Guidonis, Flandriæ Comitis filiæ. Hæc enim priùs Eduardo pacta fuerat, si è Gallica captivitate Philippa, heu! jam mortua, non rediisset. Præstitisset revera & Gallis & Anglis, Virgini Flandrensi fidem servari, Virgini, inquam, in primis Philippæ: quam etsi è Baptismo Rex, nomine suo imposito suscepisset; ad mortem nihilominus adegit: ac deinde sorori ipsius Isabellæ; quando hæc Isabella Gallica, adultera pòst, & viri necatrix, tot tantorúmque bellorum, in iisque humani sanguinis plurimi effusi, occasio fuit.

Meyer. Harpsf.

Vnicum Pulchro supererat, ut Imperatoria Majestas, in Gallicas iterum sedes rediret. Neque sibi Pulcher, in ea cupiditate defuit, cæso à Ioanne, filio fratris, Alberto Austriaco, solióque Imperij, eâ tum causâ aperto.

Verùmtamen cassa, Gallorum Regis, vota fuere. Alberto interemto, Henricus Comes Luxemburgensis successit, Ioannis II. Brabantiæ Ducis sororius, festo Epiphaniæ Aquisgrani coronatus, Anno M. CCC. IX. ineunte.

An. 1309.

Henrico Cæsari electo, Clemens Pontifex, Augustalia insignia Romæ tradenda ultrò detulit: qui honos, ante id tempus est habitus nemini. Verùm cùm Henricus Romam petens, depulsis undique Guelfis Gibellinos restituisset; Clemens veritus, ne Cæsar se absente Romam occuparet, ab ejus Legato Augustus appellatus est.

Cæsar, Roberto Regi Neapolis, cujus fidei Romam Pontifex commendaverat, Regnum abrogat. Iámque Fredericus Rex Siciliæ (cui Clemens Sardiniam à Saracenis occupatam, armis vindicandam concessit) Henrico federatus, Roberto bellum intulerat, totiúsque Neapolitani Regni fides nutabat; cùm Henricus ipse belli auctor, Roberto & Florentinis, exitium minitans, ad Bonum-Conventum Etruriæ Oppidum, veneno decessit, anno quàm Cæsar lectus erat sexto.

Meyer. Aiunt procurante inter alios, Philippo Rege, & Monachi facinore, dum Sacrâ Eucharistiâ utitur, intoxicatum. Pulvis enim adamantinus immixtus Calici, & ex potu subitò per venas dispersus, inevitabile fatum attulit. Quapropter Monachum vivum excoriatum, Historici tradiderunt. Stero.

Intereà cùm honorem purpurámque Imperij, assequi Pulcher tentaret; cœpit & in Equitum Templariorum opes, ut & anteà Iudæorum fecerat,

rat, inferri. Falsis Aulicorum persuasionibus, spe lucri, fictis criminationibus, instigante Clemente Pontifice, inductus, ut plerique tradunt, insontes accusare aggressus; de Iacobo Mola Burgundo, Ordinis Præfecto, cum duobus nobilissimis, aliisque compluribus, supplicium sumsit.

Phil. Camer.

Quod opes Templariorum attinet, refert Camdenus habuisse in Orbe Christiano, novem millia prædiorum: cúmque excidium eorum descripsisset Papirius Massonus, ita narrationem concludit: *Quid hic lectores dicturi sunt? Regem illum certè impium, Pontificem inclementem fateantur, necesse est: mitiorem enim sententiam, dicere non possunt.*

Camden.

Pap. Maſſ.

Sanè Paullus Æmilius, ubi hujus rei mentionem facit, Sunt non obscuri Auctores, inquit, Iacobum Burgundionem Ordinis Principem, cùm productus ad supplicium, circumfusâ ingenti multitudine, dum pyra exstruitur, staret, propositâ vitæ spe atque impunitate, si, quæ in custodia fassus de se, suísque esset nunc quoque confessus, veniam publicè peteret, hujusmodi verba fecisse. *Ego nunc supremis rebus meis cùm locum mendacio dari nefas sit, ex animo veréque fateor, me ingens in me meósque scelus consciſſe: ultimáque supplicia, cum summo cruciatu promeritum; qui in gratiam quorum minimè decuit, dulcedine vitæ flagitia impia, sceleráque ad tormenta ementitus*

Æmil.

titus

titus sum in Ordinem meum, de Religione Christianâ optimè meritum. Nec mihi nunc vitâ opus est precariâ, & novo super vetus mendacio, retentâ.

Exin rogo impositum, ac admoto paullatim igne primoribus pedibus, ad exprimendam scelerum confessionem; ne tunc quidem cùm reliquo corpore depasto, vitalia fedo nidore torrerentur, ab hujus orationis constantia descivisse, aut mutatæ mentis, ullam significationem præbuisse: neque ipsum, neque duos cum ipso supplicio affectos, nobilissimos ejus Ordinis viros, quorum alter esset, Delphini Allobrogis frater.

In possessionem, Templariorum, bonorum, Regium Fiscum ivisse: rebus moventibus à Fisco retentis; quæ solo continerentur, Pontificio decreto, D. Ioannis Hospitalariis, reddita. Vt perindè Hospitalariorum (qui occupatâ paullò antè Rhodo, Rhodij: ac deinde à Melita quâ post Rhodon amissam, Carolus V. Imperator eis tradidit, Melitenses dicti sunt) opes planè inmensæ fuerint, quandoquidem Anno M. CC. XL. pridem ante Templariorum interitum; possederint in orbe Christiano novemdecim millia prædiorum. Atqui non diffiteor in Lusitania, Templariorum bona, Ordini Equitum, Christi nomine insignito, atque à Rege Dionysio contra Mauros instituta-

Camden.

Miræus.

tuto, cessisse: uti in Valentiæ regno Calatravæ Equitibus, à Iacobo II.

Pergit Æmilius: Auctores habeo, cùm Clemens Ordinem Templariorum damnasset, munúsque sontes in Germania, ex decreto sententiáque lata plectendi, ac lege agi jubendi, Archiepiscopo Moguntino mandasset; hunc convocasse Patres, Sacerdotésque Provinciæ suæ. Frequenti illorum consessu, tunc Hugonem clarissimum virum, cum viginti Ordinis sui, tecto vestibus ferro, nemine arcere auso, ingressum; clarâ intrepidáque voce testatum. *Si quid graviùs in Sacrum Templariorum Ordinem statutum esset, se Pontificem maximum, qui in Clementis locum sufficeretur, appellare.* Absterritos Patres inermes imbellésque; ferociâ nobilissimorum militaris Ordinis virorum, jussisse illos bono animo esse; certiorem litteris factum Clementem, mitiùs respondisse, ac jus de integro quærendi, statuendíque Archiepiscopo decrevisse: eum illos, qui insontes se edocerent, caussâ, cognitâ, crimine liberasse. *Ita Æmilius.* Æmil.

Et quamquàm ij tum videantur absoluti, Ordo tamen ipse abrogatus est, Anno M. CCC. XI. ignis supplicio, Præfecto uti diximus extincto; postquàm triennio ante, per totum terrarum orbem, inquiri mandato Pontificio, carceribúsque mancipari cœpissent.

An.1311.

Annal. Hibern.

 An-

Anno vix emenso post abrogationem, Pontifex in primis, ac deinde Pulcher, jam anteà leprosus, fato concessit; quam utriusque repentinam mortem, ob injuriam Templariis Equitibus illatam, placuit quibusdam, Numinis vindictæ adscribere.

De Philippi morte, ita Bocacius: Erat inter alios ab apro dejectus, inter opaca nemorum Francorum Rex, tam exitum suum, quàm damna atque dedecora, à Flandrensibus suscepta deplorans: & cum eo tres pariter filij, execrantes immaturas mortes, & uxorum adulteria incidebant.

Lib. 9. de Cas.

Eodem Anno, tanta pluviarum tempestas, terrarum globo incubuit, ut decem continuis mensibus, serenum cælum mortales non aspexerint: sata, inanes agricolarum labores, aquis obruentur: fames atque pestilentia infamis, totum orbem concuteret.

An. 1313.

LIBER DECIMVS.

BREVIARIVM.

LVDOVICVS decimus, cognomento Hutinus, id est rixosus, integro biennio, haud regnat. Afficit suplicio Enguerranum Comitem Longivillanum, intimum nuper Pulchri Consiliarium, quòd totius Flandriæ exscidioni (quam fieri Carolus Valesius optabat) impedimentum posuisset. Fabella ergò est, quam de Enguerrani

rani conjuge, Regem maleficio necante; Æmilius refert. Mortuo Rege, Clementia Regina, filium parit: qui etsi octavo die putetur vulgò obiisse; aliis attamen diutius vixit, sed regni exsors. Ioannam igitur Hutini filiam, Philippus patruus, per Salicam, quæ tum primùm allegari cœpit, ne quidquam obnitente Otthone Burgundiæ Duce, Ioannæ avunculo, Regno exclusit. Quinto Regni anno moritur Philippus, Longus dictus, sine prole mascula. Cuidum Ottho Burgundus, jure uxoris Philippi filiæ, succedere gestit; suomet præjudicio, quod nepti Ioannæ infligi per Salicam admiserat, excidit. Itaque Longo Carolus frater successit, virtute Salicæ: quam exinde Galli receperunt, tamquam Regni basin. Iidem Aquitaniæ insidiantur, prætextu quidem, nondum sibi præstiti ab Eduardo Secundo hominij, sed revera cupiditate propagandorum finium.

PULCHRO, Ludovicus Decimus, jam anteà materno nomine, Navarræ Rex, cognomento Hutinus successit, quæ vox rixosum & pervicacem significat. Integro biennio haud regnavit, & obiit. An. 1316.

Aiunt, deprehensam fuisse Enguerrani Marigniaci, Comitis Longivillani conjugem, cujus herois supplicium, apud novum Regem Carolus Valesius acriter prosequebatur, quæ Pavioto Mago præceptore, simulachrum cereum fingeret, levíque igni admoveret; ut eo paullatim liquescente, perinde sensim, ac lentâ tabe Rex deperiret. Quamobrem & Mago gula fracta est: & Enguerranus, intimus nuper Pulchri Consiliarius, furcâ suspensus; ob hanc in primis caussam, quòd moram & impedimentum, totius Flandriæ exscidioni, quam Galli moliti fuerant, posuisset: ut calum- Æmil. Meyer.

lumniam aut fabellam existimem, quod de ejus conjuge, vulgò jactatum est.

Rege defuncto, Clementia Regina, quam post Margaritam probri convictam atque in custodia mortuam, duxerat, uterum ferebat: cujus procurationem, editíque infantis masculi, Ioannis nomine, tutelam, tantisper Philippus Hutini frater, Marchiæ Comes, gessit.

Ioannes octavo à nativitate die obiit, ut quidem vulgò existimatum est: quia dum Mathildis Comitissa Artesiæ, & Otthonis Burgundiæ Ducis uxor, puellum sibi offerri jubet, qui Mariæ Cressiacæ educandus erat traditus; aiunt, ejus loco, Mariæ Cressiacæ filiolum, pariter tum tenellum, oblatum Mathildi fuisse, ab eáque compressione enectum. Itaque Hutini filium Ioannem, & apud Cressiacam adolevisse, & longo pòst tempore in Italia vixisse, sed patrij regni exsortem. *Ita Thomas Agazanus & Salomon Picolhominius in vita Ioannis, quæ exstare dicitur in Bibliotheca Barberina.*

Chifflet.

Quidquid sit, Ioanne, ut putabatur extincto, supererat Ioanna, Margaritæ, quam antè dixi, & Hutini filia, cui tum paterno, tum fraterno jure regnum deberi, Otho Dux Burgundiæ, ejus avunculus, contendebat. Ceteri Francorum Proce-

res, defendebant jus Regni Franciæ, virorum tantùm, non etiam mulierum esse: adeo ut tum primùm audita productáque sit in Francia Occidentali, Salica Lex pro successione Regni, nono videlicet postquam condita fuerat, sæculo.

Vt enim exstet Lex Salica aliqua; eam tamen Ortivorum tantummodò Francorum esse, qui Salij sunt dicti, tellúsque eorum Salica: neque agere de successione Regni, aut bonis Feudalibus, sed Allodialibus dumtaxat: neque attingere Occiduos Francos, aut attigisse umquàm, suprà meminimus.

Lib. 3. Decad. 1.

Quid igitur? Philippus auctoritate Procerum stipatus, quos muneribus, gratiâ, & pollicitationibus sibi devinxerat; tenellam virginem, ope & auxilio destitutam, Ioannam inquam, facilè superavit, sibíque Regnum asseruit: præsertim jam tum etiam devincto Otthone, quem datâ in matrimonium filiâ, generum sibi emerat.

Quare nil profuit, contestata denuntiatio, filiæ Hutini nomine, ad Proceres, cum Philippi sollemne sacrum instaret: neque absentia Burgundiæ Ducis, Comitis Flandriæ, Franciæque Parium; qui inaugurationi interesse noluerunt. Dux enim, ut dixi, Burgundiæ, beneficio collatæ Regis filiæ, cum hereditate Burgundiæ, Artesiæque, cessit.

Hallian. Bellefor. Æmil.

Phi-

Philippus itaque Longus dictus, quinquennio circiter Regnum Galliæ tenuit, & Anno M. CCC. XXII. defunctus est, nullâ ex se virili prole relictâ. Quamobrem sepultam tantisper controversiam, Ottho Burgundiæ Dux, idem nimirùm qui antè à Ioannæ, Hutini filiæ partibus steterat, revocavit: etsi jam non in gratiam ejusdem, sed Ioannæ conjugis suæ, quæ Longi Regis filia & heres erat.

Anno 1322.

Verùmtamen suómet præjudicio, quod sibi molliter infligi sustinuerat, damnatus, nihilum obtinuit: defuncto Longo, Carolus frater successit, Pulcher appellatus: cùm nimirum Salicæ Legis contra feminas remedium, in Regni sui fundamentales tabulas, non duraturo præjudicio, referri Francis placuisset.

Chesn.

Per id tempus, dum intestinis seditionibus Anglia laborat, Franci Aquitaniam rursus, incursationibus vexare cœperunt. Sed ne interim id agendo, pacem aut fedus rumpere dicerentur; Eduardum, Franciæ beneficiarium, propter Aquitaniam & Pontivum, nondum in verba Francorum Regis jurasse, caussabantur: atque hinc jus sibi fásque esse, ditiones illas, bello repetere.

Et quamquàm prætextus ille, inchoati belli, tegu-

tegumentum eſſet: Eduardus autem domi militíæque parum felix, internis & vicinis è Scotia hoſtibus cladibúſque premeretur; mox conſtitit Francos, Imperij propagandi libidine, hanc impedito Eduardo, tempeſtatem concitaſſe. Non etenim priùs quieverunt, quàm Eduardus uxorem Iſabellam, ac porrò Eduardum filium, duodecim annos natum, quem nuper Principem Walliæ, ac Ducem Aquitaniæ fecerat, in Gallias miſiſſet: qui jurejurando de more dato, renovatóque fœdere, omnem Aquitaniam, ab Avunculo Carolo recepit.

Polyd.

RERVM FRANCICARVM DECADIS TERTIÆ
LIBER PRIMVS.

BREVIARIVM.

CAROLVS, uxore gravidâ relictâ, defunctus est: quæ cùm feminam esset enixa; Eduardus ex Isabella, Caroli sorore, Eduardi Angliæ Regis filius, jure materno dum Regnum poscit, excluditur à Philippo Valesio Caroli patruele, per Salicam, patrocinante Roberto Atrebate. Flandris intereà cum Ludovico Comite, disceptatio primùm, atque inde prælium fuit. Pro Ludovico, Rex Philippus movit in Flandros: quos non absque damno & clade sua, cùm Comite reconciliavit. Disceptationem de Comitatu Atrebatensi, in qua nuper Robertus cum Mathilde amita, ceciderat, quòd neque Repræsentatio neque Salica in Artesia locum haberet, cùm Robertus erigere frustra conatur; desertâ Galliâ, ad Comitem Namurcensem, inde ad Brabantiæ Ducem se recipiens, Lovanij commoratur. Hinc Brabantiæ Duci, quòd Robertum dedere Gallis recusaret: & Lovaniensibus quòd eum recepissent, bellum: quod demum connubio finitur, inter Ducis Brabantiæ filium, & filiam Philippi Regis. Robertus itaque relictis apud Gallos uxore & liberis, ad Anglos fugit, minitans se Regnum Philippo Valesio uti dedisset; ita erepturum. Argumenta Anglorum, contra Legem Salicam: quibus dum Robertus, Regis Philippi, feminis contra mares faventis, exemplo, accedit; ad invadendam Galliam Anglos accendit. Primùm itaque Angli in Flandria, (unde rursus Comes profugerat in Galliam) Cadsandiam Insulam expugnant. Inde Antuerpiam Eduardus appellit, cum numerosa classe: adscitóque in belli societatem Ludovico Bavaro Imperatore, à quo, quia Imperij Vicarius per Germaniam & Galliam, creatur, plures è Principibus ad se traxit. Eduardus è consilio Roberti Atrebatis, omisso, quod obsidere cœperat, Cameraco, Gallos copio-

so-

so exercitu, apud Peronam confidentes, petit: oblatóque prælio, quod Galli, omine leporis, quem præter castra sua decurrentem viderant; aliisque territi, congredi non auderent; dimissis Germanorum auxiliis, rediit in Brabantiam.

SED neque Carolus, longævus admodum Rex fuit, aut posteris beatior, quàm Ludovicus & Philippus. Etenim Anno M. CCC. XXVIII. decessit, uxore gravidâ relictâ: cujus perinde ventris procurationem sibi deberi, & nasciture prolis tutelam, si fors mascula fuisset; sin contra, Regnum ipsum, Eduardus Tertius Angliæ Rex, Isabellâ Caroli Regis sorore natus, obtendebat.

Anno 1328.

Verùm cùm puellam, Regina enixa esset; nequidquam contrà nitentibus Eduardi Regis Oratoribus, qui ei Regni Francici successionem, jure materno & cognationis vindicabant; Philippus Valesius, Caroli Pulchri patruelis, à Francis Rex salutatur sacratúrque. Ea in re, Robertus Atrebas, novo Regi Philippo, fidam operam facundiámque navavit, cujus eum (uti dicemus) postea pœnituit.

Atqui intereà Flandris, cum Comite suo Ludovico, super summa pecuniaria, quam ex formula nuper inita, Franciæ Regi annis viginti, in singulos, pendere debebant (quinquaginta millium aureorum), controversia haud levis fuit.

Cúmque in prælium, quo & Ludovicus captus eſt, & plura ſuis polliceri coactus, quàm jus fáſque ſinebant, erupiſſet; Comes ubi primùm liberum ei fuit, ad Philippum Regem, nobiliſſimo quoque eum ſecuto, confugit.

Rex, pro Ludovico contra Flandros movit, quos nihilominus haud leves cauſſæ, in Comitem ſuum incitaverant. Acceptâ in æde S. Dionyſij Flammulâ, (Vexillum id Regium eſt.) Occidentalem Flandriæ plagam, quòd hoſtem, qui apud Caſletum caſtra metatus erat, in patentes campos elicere non poſſet, igne ferróque latè devaſtavit: donec tandem, in reductos ad loca priſtina Francos, pulvere & ſudore laſſos, tanto impetu clamoréque Flandri irruerunt, ut Regem Philippum captum, unáque Flammulam habuerint; niſi ambos, bona fortuna texiſſet.

Qũapropter cùm Flandris, ſua audacia, cruenta funeſtáque fuiſſet; reſtitutus eſt Ludovicus Comes, admonente Rege, *Ita dominaretur, ut non iterum neceſſe Francis foret, eum armis domum reducere.*

Anno 1330.

Arteſiam à Philippo Pulchro, Mathildi, Roberti filiæ ad Cortracum cæſi, prætærito ejuſdem Roberti è Philippo nepote, attributam, quòd Repræſentatio, ut Iureconſulti loquuntur, in Arteſia, uti neque Salica, locum haberet; ſuprà me-

meminimus. Id Robertus Philippi filius, Robertíque quem dixi nepos, etsi Comitatum Bellomontanum, Regísque Philippi Valesij sororem, conjugem haberet; ægerrimè ferebat. Disceptationem itaque hoc Anno repetiit, quòd veteres tabulæ, quas, dum caussa priùs ageretur, latuisse diceret, nunc adinventæ forent; quibus caussam suam erigi affirmabat.

Has tabulas in judicio editas, falsas, & Adversarij arguebant, & Rex constare sibi cùm assereret; Robertum hortabatur, ut convellendæ rei judicatæ conatu abstineret. Robertus, cùm etiam falsi ab Rege insimularetur; adeo efferbuit, ut diceret se, *Quicumque tabulas confictas increpare auderet, in eum pugnaturum, ac Marte judice fidem facturum.* Æmil.

Quo feroci dicto, cùm se pariter percuti Rex sentiret; tantum animi certamen, contra Robertum suscepit; ut implacabile utrimque odium insecutum sit. Quare Robertus, cùm quidquid rerum suarum potuit, Burdegalam sub ditionem Anglorum misisset; ad Ioannem Namurci Comitem propinquum suum: móxque inde Anno sequente, metu ne Regi dederetur, in Brabantiam confugit, Lovanij tantisper commoratus.

Id ubi Rex Philippus accepit; missis ad Brabantiæ Ducem Legatis, Atrebatem, ut Regni Divæus.

Fran-

Francici perduellem, dedi expetiit. Non tantùm non paruit Dux, nullo equidem titulo Regi obnoxius; sed Atrebatem etiam habuit, quàm anteà, prolixiùs. Quare Rex, destinatis ad hostes Brabantiæ Ducis, multis auri talentis, bello eum aggredi obtinuit: ipséque Eduardus Dux Barri, peculiaribus litteris, Lovaniensibus, quòd Atrebatem, Vrbe suâ recepissent, bellum indixit.

Cùm Anno itaque proximo, federati Principes, Barrensis quidem, Galliæque Conestabilis, ex caussa offensi à Brabanto Regis sui: alij complures, quòd eorum juribus vim fecisset; expeditionem in Brabantiam, cujus jam fines attigerant molirentur: Brabantiæque econtrà Dux impavidus occurreret; manum quidem conserere hostis non est ausus, sed aliquantulam Brabantiæ partem, circa Hannutum vastavit.

Id enim adeo fecit; ut ejus premens vestigia Brabantiæ Dux, missis fecialibus increparet, ne more inertium hominum terras deprædaretur: si viri essent, collatis exercitibus decernerent. Brabantorum vires sæpiùs experti, non audebant. Itaque induciis primùm, ac deinde pace pactâ, filiam suam Rex Philippus, Ducis Brabantiæ filio despondit.

Secundùm hæc, Robertus Atrebas, relictâ uxore,

uxore, Franci Regis sorore, ut dixi, duobúsque ex ea filiis Ioanne & Carolo; ad Eduardum in Angliam transmisit: fax ingens belli, minitánsque se Regnum Valesio, uti dedisset, ita amoturum.

Quapropter fervescente Gallos inter Anglósque, de regnandi in Gallia jure, controversiâ; concedebat Eduardus, *Feminas quidem Regni capaces non esse, verùm sibi viro, jure cognationis asserebat, competere Regnum. Ius in Regno servatum, viam caussæ finalis attendisse, ne sub femininâ fragili gubernatione Regnum delaberetur: & propter hoc mulieris personam exclusisse, non verò personam masculi, per exclusam feminam descendentis.*

Walsingh.

Se Philippi Pulchri nepotem, filiâ ortum, potiorem esse qui ad solium Francicum vocetur: qui Avo, qui Avunculis succedat, quàm Philippum Valesium, qui à Philippi Pulchri patre oriundus, stirpe remotior Regnum invaserit, se & impuberem & absentem excluserit: ac tot retentis eversísque Aquitaniæ arcibus, ne pacem quidem Ambianensem, quam cum eo pluseulis anteà annis fecerat, sanctam velit. Se nihilominus tum, immaturâ improvidáque ætate, falli, circumscribique potuisse: nunc florentem annis, & usu rerum bellorúmque edoctum, jus suum persecuturum.

Æmil.

Hæc Eduardus, & sponte, & Atrebate auctore agitabat: prædicante, *Quando judice Philippo Valesio*

 in

in causa Comitatus Atrebatensis, victus à Mathilde discesserit; se judicium Valesij secuturum, ac Matronarum Matrisque Eduardi, jura, ut anteà appugnarit, defensurum. Quare & Eduardi esse, propositâ pari aleâ potiùs de rerum summa, quàm de beneficiariis in Aquitania Oppidulis, in quæ ferri videbatur, bellum capessere.

In hanc igitur rem, socij armorum, & amici undique comparati: cúmque Ludovicus Flandriæ Comes, novo suorum tumultu territus, in Franciam, cum uxore & filio se contulisset; ea saltem in Flandrico littore loca munivit, quibus occupatis, transitus in Galliam Anglis esset. Iacobo etenim Harteveldio auctore, cœperant Flandri, magis in Anglos, quàm Gallos propendere: expugnatâ jam præsertim ab Anglis Insula Cadsandia, ubi Guido frater nothus Comitis, locum egregiè propugnans, in hostium potestatem venit, Anno M. CCC. XXXVI.

An 1336.

Antuerpiam deinde Eduardus appulit, cum trecentis quinquaginta navibus, ut belli contra Gallos ineundi, rationes tractaret. Placuit in fedus Ludouicum Bavarum Imperatorem accersere: qui cùm Vicarium Imperij Eduardum, per Germaniam Galliámque creasset; Duci Brabantiæ, aliisque, occasionem dedit, partes Anglicas tutiùs amplectendi. Cameracum (ea Vrbs Imperij

rij erat) proximo anno, obsideri convenit: dum intereà hiemem Eduardus Lovanij in Arce egit, pecuniámque Antuerpiæ cudi jussit, imagine suâ & Imperatoris signatam. Mir.

Appetente æstate, maximo suorum & Germanorum exercitu, Cameracum profectus, excidium civibus minabatur, nisi sibi, sacri Imperij Vicario, jubenti, aperirent portas Vrbis, quæ sine controversia Imperij esset, in quam, extra fines Franciæ sitam, Philippo, Francísque jus nullum foret. An. 1339.

Cameracenses, tametsi clausi undique, sæpiúsque oppugnati, cùm firmum haberent fidúmque Franco præsidium, deditionem facere recusarunt.

Et quoniam media jam tum æstas erat, & munitissimæ Vrbis obsidio, si in hiemem usque extraheretur, ludificatura videbatur tam delectum exercitum; auctor erat, Atrebas, *Vt Canteracum omitteretur: ne videlicet morâ tædioq́, militum impetus languesceret: copiæ Schaldim traducerentur, Franciæq́ inferrentur, ut de cujus jure Imperíoque decertandum sit.* Æmil.

Hâc sententiâ acceptâ, castra mota, propiúsque accessum ad Francos, qui apud Peronam consederant, numero centum millia, seque tribus Regibus Bohemo, Scoto, Navarro: sex Ducibus, Comitibus viginti sex: Equitibus baltheo

 vir-

virtutis causâ donatis, quatuor millibus, efferebant. Sexaginta millia, Anglus numerabat: & excepto Regum numero, pari dignitate viribúsque ferox, imò Augusti nomine, superior erat.

Divæus. Cùm in mutuum propè conspectum exercitus venissent, dubitantibus Anglis quid agendum foret; Ioannes Brabantiæ Dux, prælio confligendum censuit. Missus ad Francos caduceator, tertiam quidem inde diem, certámini indictam attulit; verùm cùm neque illâ, neque posterâ, stantibus in ordinibus Anglis, hostes adessent; Rex Eduardus cum Brabantiæ Duce, Avennas se recepit: ubi dimissis Germanorum auxiliis, ambo Bruxellam redierunt.

Nam etsi Anglorum numeros, longè uti diximus, Franci superarent; venire nihilominus ad

Meyer. manus haud poterant: & quoniam leporem, præter castra sua decurrentem viderant; ipso omine & augurio terrebantur. Regem itaque suum Proceres, veteranísque Duces orabant, *Ne publicam*

Æmil. *salutem, fortunæ libidini, uniusq; prælij aleæ committeret. Si pugnâ vicisset; non eâ re Angliam Eduardo, non Germaniam Imperio, ademturum, aut sibi quæsiturum: sin quid (ut bellicæ res sunt) casus ferret, Franciam amissurum.*

Idem Roberti Regis Neapoli, Legati, qui in ca-

castris erant, orabant addunt nonnulli Robertum, Mathematicis artibus, compertum habuisse, fore ut Philippus Rex, ab Eduardo cladem acciperet, quantam hactenus numquam, Franci accepissent.

LIBER SECVNDVS.

BREVIARIVM.

FLANDROS, Eduardus in suas partes, adducere studet, evocato ad se Bruxellas Iacobo Harteveldio. Flandros, deterret pactum, quo, probante Pontifice tenebantur Gallis, ne quid contra eos agerent. Id, Harteveldij astutiâ elusum, suadentis Eduardo, ut se jure materno, Galliæ Regem appellaret. Pro Anglis itaque in Hannonia, contra Ioannem Normanniæ Ducem, sex Flandrorum millia Harteveldius adduxit, etsi nullo prælio discessum sit. Bellum navale inter Anglos & Gallos: in quo secundantibus Flandris, Angli quidem victores, sed vulneratus Eduardus: captus Hugo Gallorum navarchus, & suspensus. Tornacum obsessum. Induciæ. Britanniam Duce vacuam, dum præterito fratre, nepti defuncti, jure Repræsentationis, Philippus Rex adjudicat, contra quàm in Artesia fecerat; novum sibi hostem peperit: Ioannem Montefortium. Is Atrebatem imitatus ad Anglum confugit: postque initum cum eo pactum reversus, & Majestatis reus factus, intra Nannetes obsidetur & capitur. In ea obsidione, crudele & perfidum, Ioannis Normanniæ Ducis facinus. Ioannis capti conjux, bellum continuat, quod biennij induciæ sopiunt. Iis finitis, bello Robertus Atrebas præest: post mortem Roberti. Eduardus ipse, usque ad triennij rursus inducias. Per has; Majestatis quæstionibus & suppliciis, Rex Gallus vacat. Hos inter Gottofredus Haricuria postulatus, in Brabantiam, atque inde in Angliam fugit, fitque Militum magister alteráque fax belli, & secundus ab Atrebate exul. Gallicam severitatem aversatus Anglus, nuntiari Philippo Regi jubet, cùm Inducias ipse quæstionibus quas exercuerat, primus rupisset; à se pariter hostilia exspectaret. Magnâ itaque classe Normanniam tenuit. Eam dein emensus; cum Gallorum exercitu, magis quàm umquam hactenus numeroso, ad Cressiacum congres-

sus, victor fuit, magnâ & nobili Ducum strage. A prælio, Philippus Broyam fugiens, cùm Præfectus nocte quis adesset rogaret? respondit *Fortuna Franciæ*. Secundùm Cressiacam pugnam, Caletes capti, qui in Anglorum potestate, ducentis decem annis fuerunt. Subinde Ludovicus Bavarus Imperator obiit. Varij in Italia, etiam per ditiones Pontificias, tyranni. Is fructus mansionis Pontificis in Gallia: ubi nihilominus Avenionem, & Comitatium Venuxinum emit, Vendente Ioannâ Neapolitanâ, ejus pecuniæ nomine, quam Ioanna debebat. Per id tempus Delphinatus Philippo Regi acquisitus. Hinc, primogenitus Regis Gallorum, Delphinus. Moritur Philippus, Catholicus dictus, quod Ecclesiasticis, contra Politicam potestatem favisset.

NIHIL NON agebat Anglus, ut in partes suas, Flandros adduceret. Eam in rem, Iacobum Harteveldium Bruxellam accersit: qui licet genere haud illustri natus, omnia tunc in Flandria poterat, contra Comitem etiam corporis custodibus, plebeiorum præterea oculis & vigilantiâ tutus. Pollicebatur Anglus, se illis, ea tria oppida de Francis recuperaturum, quæ pignoris olim nomine, Francorum præsidiis, eatenùs tenebantur; si se federi suo adjungerent.

Æmil.

Nihil aliud Flandri verebantur, etsi à Gallis suapte indole semper alieni, ne suâmet ipsorum lege damnarentur, noxámque ingenti auri pondere luerent. Ita enim (ut quidem testatur Æmilius) nuper eos inter Gallósque convenerat, idque Pontifex ratum habuerat, ne quid umquàm contra Gallos molirentur.

Verùm ut ea omnis hæsitatio, tolli videretur; per-

persuasit Eduardo Harteveldius, ut se Regem non Angliæ modò, sed & materno jure Franciæ scriberet, ac Liliatis insignibus, deinceps uteretur.

Hoc commento, ab Iacobo fides elusa: conventúque Gandavi indicto, Flandri partes Eduardi, libentissimè suscepêre: polliciti etiam suis impensis, Insulam, Duacum & Orchiacum, Gallis erepturos.

Nec stetit intra formulam, Flandrorum fedus. Nam cum eo Anno ad rem nummariam, quâ laborabat, expediendam, Eduardus in Angliam, uxore Antuerpiæ relictâ, quæ ibi Leonellum Clarentiæ Ducem peperit, trajecisset: & Guilielmus Hannoniæ Comes, Eduardi socer, pariter cum eo in Angliam, ac deinde in Germaniam ad Cæsarem profectus, apertam Hanno- niam reliquisset; eam anno sequente devastante Ioanne Normanniæ Duce, Regis Philippi filio, & deinde Thuinum obsidente; inter alia auxilia, quæ Hannoniæ Comiti adducta sunt, cum sex Flandrorum millibus Iacobus Harteveldius repentè adfuit: quamquàm & hic, absque prælio discessum sit.

Froissard.

Intereà rediturum ex Anglia Eduardum, trecentarum navium classis, Francica, additis octoginta Britannicis, pro Slusa Anglicarum partium

op-

oppido, exspectabat. Sed Anglus, cúmque eo Robertus Atrebas, vento æstúque concitantibus naves suas, atque ex littore secundantibus Flandris, victores effecti, etsi Francorum maximam stragem ediderint; attamen haud impunè abierunt. Eduardi enim femur jaculo percussum: quod infortunium Hugo Francorum Navarchus, è summa turri mali suspensus, expiavit.

Inde Tornacum, ab Anglis obsideri cœptum: quod dum fortiter se defendit, accepto præsertim novo præsidij supplemento, inducias in annum, ut Froissardus: in triennium, ut Æmilius, socrus suæ, Philippi Regis sororis interventu, Eduardus pactus est.

An. 1341. Atqui hoc vulnere tantisper obducto, recens aliud in Britannia erupit. Etenim Britanniæ Duce absque liberis mortuo, inter fratrem ipsius, neptémque ex defuncto germano, controversiâ exortâ; secundum neptem, quæ Carolo Comiti Blesensi nupserat, Rex Philippus pronuntiavit.

Eâ sententiâ indignatus Ioannes Comes à Monteforti, defuncti frater, ut dixi, sed non eâdem è matre, quòd jure repræsentandi patris, vinceretur à nepte, in quo nuper Robertus Atrebas contra Mathildim succubuerat, uti armis occupare Britanniam, captis Nannetibus occe-

pe-

perat ; ita porrò asserere conatus est.

Eapropter in Angliam , quò Atrebas anteà pari dolore trajecerat, profectus, cum Eduardo Rege fedus percussit : eò acceptius, quò per Britanniam, longè facillimum in Galliam aditum sibi offerri, Anglus, haud immeritò existimabat.

Reversus, Majestatis accusatus est, quòd Britanniam Angli beneficium agnovisset. Dies illi dicta, sed quam fugâ prævertit. In eum itaque, cum exercitu missus Ioannes Normanniæ Dux, Nannetes , ibique Montefortium Comitem cepit.

Eâ obsidione , immane aliquid & sævum, Ioannes designavit. Ad Castellum, quod nomen habet Vallum Granarij, ducenti Britones, totidem Francos, ad pugnam provocaverant ; eâ lege, ut si Britones vincerent, Franci obsidionem Castelli solverent : si vincerentur, in potestate victorum forent. Acceptâ conditione, Franci vicerunt, Britonésque omnes prælio ceciderunt, demtis triginta, qui captivi abducti quidem sunt, sed Ioannis jussu ad Nannetes decollati, capitáque per murum projecta in urbem. Visa omnibus, fœda perfidáque crudelitas.

Meyer.

Capto interim Montefortio, ejus conjux, Anglorum auxiliis continuavit bellum, donec Cle-

 mens

mens Sextus Pontifex auctor fuit, ut induciæ in biennium fierent. Iis finitis redintegratum, ductore Roberto Atrebate: qui cùm mox ex vulnere obiisset; tanti viri cladem ulturus Eduardus, bellum Britannicum per se gessit, donec pactis iterum ad triennium induciis, sopitum est.

Hâc quiete, Majestatis quæstionibus exercendis, Rex Francus operam navavit. Erant præterito bello capti utrimque nonnulli, quos tum permutatione ultrò citróque factâ, redimere placuit. Hâc viâ, Clissonius captus ab Anglis, contra quemdam ejus gentis, redierat in Galliam. Et quia ipse potiùs dimissus fuerat, quàm qui simul captus, Henricus à Lyon; ab æmulis conficta suspicio est, de Clissonio, veluti partibus Anglorum addicto. Ea sic increvit, ut Clissionius Parisiis, supplicium capitis subierit.

Froissard.

Plures alij viri nobiles, ob ejuscemodi caussas, eodem affecti sunt. Gottofredus Haricuriæ Comitis frater, proditionis postulatus; sui copiam in judicio non fecit. Absens damnatus, cùm in Brabantiam confugisset; nequidquam apud Regem Francum, intercedente Duce, in Angliam navigavit: altera fax belli, secundúsque ab Atrebate exul, peregrinis armis patriam oppugnaturus, & Magister militum ab Anglo creatus. De

Froissard. Æmil. Meyer.

Bac-

Baccone & Perceio, Anglicarum partium viris, ſupplicium à Franco ſumtum.

Generoſior Anglus, cum Cliſſonio captum Henricum, nullo lytro dimiſit. Hoc injungens, *Vt quoniam memoratis ſuppliciis, exiſtimaret à Gallo ruptas inducias; nihil à ſe pariter, quàm hoſtilia omnia exſpeƈtaret.* Miſſis igitur in Aquitaniam copiis, bellum reaccendit: móxque cum Eduardo filio adoleſcentulo, ſecum florem robúrque totius Angliæ & Hiberniæ in armis ducens, plus mille navium claſſe, oram Normanniæ maritimam tenuit.

Eam inde oppidorum expugnatione emenſus, ingentíque editâ vaſtitate: mox contrà moventibus Gallis, & quas numquam hactenus vires adducentibus; ad Creſſiacum, in Pontivenſi Comitatu, perventum eſt, qui confeſſione etiam Francorum, Anglici juris erat, Iſabellæ Eduardi matri doti, à Francis datus.

Dimicatum ibi eſt, ad ſeptimum Kalendas Septembris, Anno M. CCC. XLVI. tantâ Francorum, & præſertim nobili Ducum ſtrage; quantâ à pluribus ſæculis, aliâ nullâ. Cenſis enim cæſorum capitibus, inventi ſunt undecim Principes, eoſque inter Ioannes Bohemiæ Rex, quamquàm cæcus: Rudolphus Dux Lotharingiæ, Ludovicus Comes Flandriæ, hinc dictus Creſſiacus:

An. 1346.

octoginta Barones: mille ducenti Equites, & triginta hominum millia.

Philippus Rex à Prælio fugiens, cum ad Broyam oppidum noctu devenisset; inclamante Præfecto, *Quis adesset?* miserabili voce respondit: *Fortuna Franciæ.*

Æmil. De Serr.

Ab hac victoria,& tridui,non ampliùs induciis, quibus cæsorum vulgus humatum est; Caletum Anglus obsedit, unde in Angliam commodissimus est trajectus. Tenuit ea obsidio, menses circiter undecim: donec fame exhausto præsidio & civibus, frustráque tentatis suppetiis, quas Flammulâ iterum erectâ, decem Equitum, & triginta Peditum millibus, ad obsessos inferre Rex Francus paraverat, deditionem fecit.

Gallis eductis, Anglorúmque coloniâ, in oppidum translatâ; mansit in horum potestate, annis ducentis decem: per quos (etsi cladem nonnumquàm, Angli tulerint) *Galliæ claves nihilominus ad Zonam se gestare*, Angliæ Reges dicere solebant.

Polyd. An.1347.

Subinde Nicolaus Gabrinus, seu quocumque alio nomine dictus (variant enim Scriptores) Romæ tyrannidem invasit. Vir ex infima plebe, sine tribu, sine nomine, nisi quod ipse assumserat: ingenio sollers, linguâ facundissimus, animum quoque supra genium illius sæculi, humanioribus litteris expoliverat. His

His dotibus instructus, sensim assurgere, popularem auram captare, criminari Senatum & Optimates, quasi sub tyrannide haberent Rempublicam, collationibus & tributis multitudinem conficerent. Stultissimâ deinde vanitate jactare, Imperium Orbis, Populi Romani esse, qui suo nomine & libertate, totam complecteretur Italiam. Non potuisse populo sine Comitiis, dominationem eripi, & à Pontifice in Germanos transferri. Si viri essent, repeterent à prædonibus Majestatem, & quasi postliminiò in Vrbem referrent. Burg.

His & similibus prodigiis, in Concionibus furens, ignaras plebis aures, adeo imbuerat, ut in admirationem simulatæ virtutis, summum illi in Vrbe Imperium deferretur.

Tantâ potestate multò væsanior, Senatorum alios trucidat, alios pellit, & apertâ tyrannide in omnes grassatur, Nobilitati potissimùm infensus. Nemo audebat obstare furenti: multitudo militum quos adhibebat ad corporis custodiam, parem omnibus metum incusserat.

Multæ quoque Civitates, & propemodùm tota Etruria cum illo hærebat: tantâ omnium veneratione, ut nihil nisi divino spiritu aggredi, crederetur. Nam & Pontifici diem dixerat, intra

quem ſe deberet Romam recipere: Ludovicum & Carolum Imperatores, ad ſe citari juſſerat, cum Septemviris, rationem reddituros, cur in faſtigium populi Romani, jus ſibi poteſtatémque arrogarent.

Cùm tot tantíſque impunè inſultaret, ludibriis faſcinata plebs, ſuos oculos ſenſim aperuit. Nobilitas quoque induit arma, diſcordia denique in Vrbe exorta eſt. Itaque tot malis circumventus fanaticus ille, inſciis omnibus, ſumto Monaſtico habitu, profugit ex Vrbe. Captus deinde à Carolo, inditis vinculis ad Pontificem perducitur.

Eodem Anno Ludovicus Bavarus Imperator, Furſtenveldium profectus erat, operam venationi daturus valetudinis cauſsâ. Hîc ægritudinis indicia præſentiens, maturiùs ſurrexit è menſa, quam hoſpitibus lautiſſimam inſtruxerat: proceſsítque in ſaltum, ut ventris tormina agitatione diſcuterentur. Ceterùm in perſequendo Vrſo, Apoplexia correptus, cùm decidiſſet ex equo, verſis ad Deum precibus repentè extinguitur.

Succeſſerat in Imperio Henrico Luxemburgenſi majore ſuffragiorum parte: quorum reliqua minor, in Fredericum Auſtriacum inclinavit. Hinc variè cùm ab æmulo, tùm à Pontifici-

bus

bus Ioanne Vigesimo-secundo, & Clemente Sexto agitatus, (ut dum inter se Germaniæ Principes colliderentur, immunis Italia foret) atque etiam Ludovicus, novo creato Pontifice schismatis auctor; uti non uno bello insignem victoriam adeptus est, ita pace discordiarũ plenus fuit.

Sub id tempus Matthæus Vice-comes, Mediolanensem: Passerinus Bonocossus, Mantuanum Dominatum occuparunt. Mastinus & Albertus Scaligeri, ab Eccelini Tyranni latrocinio, Veronensem tyrannidem, ad se traxerunt. Castrucius capitali supplicio exemtus à civibus, exacto Vgutione Tyranno, Lucensem Principatum tenuit. Villan.

In Pontificia quoque ditione, novi repentè Domini sunt exorti.. Galeottus Malatesta, Arimini: Franciscus Ordelaphus, Forolivij: Manfredus Faventiæ, Polentanus Ravennæ. Ferraria ab Estensibus occupata: Bononia, pulso Pontificis legato, in libertatem asserta. Tanti Gallicana mansio Pontifici stetit: nisi eam compensare voluerit, emtâ Anno sequente, à Ioanna Prima, Regina Neapoli & Provinciæ Comitissa, Avenione & Comitatu Venuxino, ejus pecuniæ nomine, quæ ingens à Siculis Regibus debebatur (tricies mille florenis aureis) neque annis aliquot exhibita fuerat. Tursell. Æmil.

Ete-

Etenim ejuſcemodi ſolatio, redimere pariter detrimenta ſua Gallus poteſt, cui per idem ferè tempus, Principatus Delphinatium, Imperij beneficium, emtione ceſſit, Humberto, dolore amiſſi unici filij, Ordinem D. Dominici ingreſſo. Inde Regis Galliæ primogenitus, *Delphini* titulum & inſignia habet.

Porrò Clemens Sextus Pontifex, rogatu populi Romani; Sæcularem Iubilæi Sollemnitatem ad quinquageſimum Annum revocavit, egítque Anno ejus ſæculi quinquageſimo. Ceterum eandem celebritatem deformavit lues, quâ non alia fedior ac funeſtior memoratur. E Schytia in Græciam tranſgreſſa, inde Illyricum emenſa Italiam pervaſit: trienniόque præcipuas funeribus exhauſit urbes, vix centeſimo quoque ſuperſtite. Diceres Italiam etiam ſanctiſſimo illo tempore, civilibus bellis deditam, pœnas luere temeritatis ſuæ. Ita lue ſequeſtrâ, ceſſatum ab armis eſt.

An. 1350.

Obiit Philippus Valeſius eodem Anno, cognomentum *Catholici* meritus, quòd contra Politicam poteſtatem, pro Eccleſiaſticis edixiſſet. Videndus Bertrandi Heduorum Epiſcopi Liber, *pro Eccleſiaſtica Iuriſdictione*, in Bibliotheca Veterum Patrum, contra Petrum Cunerium.

LI-

LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM.

REGNI sui initia, Ioannes Philippi filius, auspicatur induciis, cum Anglo pactis: sed corrumpit Rodulphi Equitum Magistri, supplicio. Eas inducias, Angli violant, captâ Arce Guinensi, corrupto pecuniâ, ejus Præfecto, Gallos videlicet imitati, qui idem anteà in Caleti Præfecto tentaverant. Carolum Hispanum, Rodulphi successorem, propter Comitatum Engolismensem, quem à Ioanne Rege Carolus acceperat, Rex Navarræ occidi jussit. Quamobrem citatus Navarrus; nisi Regis filio obside accepto, comparere noluit. Ob id graviùs quàm anteà Rex Navarro, etsi succenseret; ei nihilominus ad trium Reginarum preces, pepercit. Cùm verò rursus impegisset; Rex Navarrum è convivio Caroli Delphini Normanniæ Ducis, cum Ioanne Haricuriâ abreptum, carceri mancipat. Ioanne Haricuria necato, ad oppida occupanda, quæ in Normannia Navarrum spectabant, se accingit. Pro Navarro, contra Regem adfuere Gottofredus Haricuria, & Glocestriæ Dux. Eos contra profectum Regem ut abstraheret, Eduardus Walliæ Princeps Burdegalâ movit. In hunc, dum cum parte exercitus, Rex pariter proficiscitur, de pace agi cœpit: quæ cùm non succederet; commisso prælio, captóque Rege, & Philippo filio, Galli sternuntur: Burdegalâ in Angliam, captivus Rex, classe avehitur. Ordo Equitum Garterij in Anglia. Induciæ, ad biennium factæ, sed parvo Gallorũ fructu. Dum enim Philippus, Navarri Regis frater, per id tempus Normanniã vastaret; Navarrus ipse, carcere eductus, melius sibi potiúsque jus esse ad Regnum Galliæ, quàm iis, qui de eo decertabant, oratione ad Ordines Parisiis habitâ, contendit: quâ oratione Parisienses, aliique adeo permoti sunt, ut Navarro magis, quàm Delphino adhærerent. Quamobrem Delphino, bellum Navarrus indicit: quod Antistitum intercessione, sopitum est. Lutetia tunc primùm muris cincta, & portis clausa. Finitis biennij induciis; tentata cum Anglis pax: sed casso eventu: donec Eduardus, qui maximo cum exercitu in Galliam advenerat, apud Carnutum, horribili tempestate territus, votum faciendæ pacis, Deo edidit. Ea, Caleti facta, certis legibus. E captivitate redux Ioannes Rex, Philippum filium, Ducatu Burgundiæ, donat, ad se devoluto, Philippi morte hactenus Burgundiæ Ducis: cui, & in Comitatu Artesiæ, successit Margarita, Ludovici Cressiaci Flandriæ Comitis vidua. Hic est Philippus, Imperij Belgici auctor, ductâ uxore

Margaritâ Flandrensi: quam si Carolus Philippi frater, postque Ioannem Rex, duxisset; totum Galliæ Belgium accessisset. Bellum Britannicum, Rege Carolo renatum; finitur cæde Blesensis. Anglica pax rupta, quòd Aquitania tributo se gravari quereretur. Henricus Nothus, Hispaniæ Rex. Philippus Audax Burgundiæ Dux, ducit Margaritam Flandrensem, Philippi Burgundiæ Ducis viduam intactam. Eo connubio, Flandriæ restituta Insula, Orchiacum & Duacum. Ab Anglis, Aquitania deficit, contrà licet laborante Eduardo Rege. Moritur Eduardus Iunior, translato in Ducem Lancastriæ, belli Gallici Imperio. Expugnatâ Rupellâ, de induciis inter ambas Coronas, Brugis agitur: uti & de nuptiis Richardum inter Eduardi Iunioris filium, & Mariam filiam Regis Galliæ, annitente Gregorio Papa. Quæ cuncta, cùm successu carerent; tum eâ, tum aliâ de caussâ Pontifex Gregorius, è Gallia in Italiam Sedem reportavit. Moritur Eduardus Senior, Angliæ Rex, nuncupato Richardo, Eduardi Iunioris filio, successore. Aquitanorum major quàm antea, ab Anglis defectio. Scotos, Galli, in Anglos excitant. Morte Reginæ Navarræ, Ducatum Ebroicensem in Normannia, obtentu ætatis nepotum suorum, Rex Galliæ occupat: sed & Montempessulum. Hac de caussa, fedus inter Navarrum & Anglum: Gallum item & Hispanum. Hinc bellum Hispano & Navarro: quod nuptiis denique terminatur. Reditu Britanniæ Ducis ad suos: morbo item & morte Caroli Regis; Angli non-nihil erecti. Ludovicus Andegavensis, adoptatus à Ioanna Neapolitana, dum ad id Regnum aspirat; in Regis Caroli defuncti, pretiosa ornamenta, involat. Caroli Regis cognomine Sapientis, Sigillum.

FRANCIÆ Regnum, Philippi filius Ioannes iniit, hactenus Normanniæ Dux, vigesimâ-sextâ Septembris Remis coronatus. Vti biennij cum Anglis induciis, primordia sua componere visus est; ita eadem, supplicio Rodulphi Equitum Magistri, fedavit: qui apud Cadomum anteà in Normannia captus, & nunc domum ex Anglia regressus, indictâ caussâ, in ædi-

Meyer.

ædibus suis securi percussus est.

Priusquàm induciæ, quas dixi, finirentur, Angli Arcem Guinensem, pecuniâ corrupto Præfecto, ceperant. Eapropter expostulantibus Francis, Thracio commento responderunt: *Rerum coëmtione, religionem induciarum, non violari: quandoquidem per inducias, ipsi anteà Franci, Caleti Præfectum sollicitassent.* Polydor.

In Rodulphi Equitum Magistri locum, Carolus Hispanus venit, gener Comitis Blesensis, adeóque Regi Ioanni carus, ut ei Comitatum Engolismensem attribuerit. Hunc, quia Navarræ Rex, suum esse defendebat, & privatis odiis Hispanum prosequebatur, à quo capiti suo insidias factas credi voluit; eundem immissis percussoribus, cùm se ad quietem composuisset, occidit. Æmil.

Hoc facinore, cùm Francica Majestas, in Equitum Magistro læsa videretur; dies Navarro dicta: sed qui, nisi filio Regis obside accepto, comparere noluit. Quæ superbia, paullò minùs quàm præterita Hispani cædes, Regem offendit. Et licet condemnato Navarro, trium Reginarum preces, veniam impetraverint; attamen cùm malesartam Regis gratiam, novo pecuniarij subsidij, quod ab Ordinibus Regni, contra

Anglos in Aquitaniam & Artesiam, excursantes petebatur, impediendi studio lacerasset; dilatam potiùs quàm positam Regis iram, accendit.

Quid fit? Ioannes Navarrum, & Ioannem Haricuriam, è sollemni convivio Caroli Delphini, novi Normanniæ Ducis, Rotomagi abstrahi jussit. Inde mox Haricuria, consiliorum quæ dixi, Navarri socius, decollatus, ac deinde suspensus: Navarrus, Lutetiam captivus missus.

Cùm itaque Rex, oppida in Normannia, ad Haricuriam Navarrúmque, titulo Comitatus Ebroicensis spectantia, occupare frustrà satagit; adfuit repentè obsessis auxilio, Glocestriæ ex Anglia Dux. Huic adjuncti Philippus Navarri frater, & Gotofredus Haricuria (nuper desertis Anglorum partibus, à Philippo Valesio in gratiam receptus, & Ioannis Haricuriæ nunc decollati patruus) Francorum Regis, adversæque factionis fines, urere cœperunt.

An.1356. Eos contra cum exercitu, Rex profectus, facilè coërcuit: verùm cùm ad abstrahendas inde vires ipsius, Eduardus Princeps Walliæ Burdegalâ movisset, & Pictonum Biturigúmque ditiones, effusis vinis, frugibúsque combustis, popularetur; eódem copiarum suarum partem maximam,

Froissard. Æmil.

per

per Cenomanos, Turonésque transportare Rex Ioannes compulsus est.

Et quamquàm Eduardo sufficeret, id effecisse, certúmque exitium avertisse à Glocestriæ Duce, Philippo & Gotofredo; attamen interventu Pontificis Innocentij VI. agi de Pace cœpit. Quia duræ conditiones à Gallis ferebantur; frustrà id fuit. Ad manus itaque ventum est, dubióque Marte diu certatum. Nam etsi numero, inferiores Angli erant, superabant nihilominus loci naturâ, & sepimento castrorum.

In summa, Francorum eâ die temeritas, Regi in primis exitium attulit: captus est manu Dionysij Moerbecani Flandri, & cum eo Philippus filius Iunior: qui quòd à Patre tegendo, etsi vulneratus, divelli non posset; cognomentum ibi (ut propiùs vero est) *Audacis* obtinuit.

Æmil. Heuter.

Capti etiam Nobiles ad mille septingentos: septem circiter armatorum millia desiderata: ceteri dissipati in fugam, totam Franciam luctu implevêre.

Commissum est prælium XIII. Kal. Octobris, Anno M. CCC. LVI. pòst, neque pugna ulla, neque ignis, aut populatio fuit. Pacato agmine, Eduardus Regem Burdegalam duxit, inde in Angliam, magnâ classe, exploratísque omnibus

ſecum avexit, vere proximo.

In hujus Victoriæ memoriam, Ordinem Periſcelidis ab Eduardo Rege inſtitutum, nonnulli tradunt: quod à ſexennio factum alij volunt. Sunt numero ſex & viginti *Garterij Equites* (ſic enim appellantur) & alius in alius demortui locum, per electionem reliquorum cooptatur.

Polyd.

Horum Equitum Princeps Rex Anglus habetur: Inſigne eſt, Pallium Cæruleum, & Crus ſiniſtrum, parum infra genu, Corrigiâ fibulatâ, gemmis & auro ornatâ, cinctum: à qua nomen Ordini inditum, quòd **Garter**, Linguâ Anglicâ, id ligaculum ſignificet, quo mulieres tibiarum tegumenta ſibi ligant. Eadem Corrigia, ornatur hoc titulo, Gallicis verbis inſcripto: *Honi ſoit qui mal y penſe*: id eſt: *Vituperetur qui malè cogitat.*

Ordo eſt D. Georgio, ut bellatorum præſidi dicatus, cujus diem feſtum, Equites quotannis multis cæremoniis, in Templo ad Vindeſorium Caſtrum agunt, opiparóque deinde convivio. Quapropter Eduardus Rex, inſtituit ibidem celebre Sacerdotum collegium, qui res divinas curarent.

Habent Equites certas leges, quibus illud cumprimis eſt conſtitutum, ut ſe mutuò juvent defendántque, atque inter bellandum, numquã fugiant.

Cauſſa

Caussa instituendi Ordinis, incerta est. Fama tamen apud vulgus tenet, Eduardum aliquando è terra collegisse, Reginæ sive Amicæ tibiarum tegminis ligamen, quod fortè resolutum, ut fit, ceciderat: & nonnullis Heroibus id videntibus, ac jocosè cavillantibus dixisse: *Brevi futurum, ut ejusmodi cingulo, etiam ab illis summus haberetur honos.*

Itaque non multò pòst, istiusmodi Ordinem instituisse, ac eum addidisse titulum, quo testaretur ipsos Heroes, contrà quàm erat, de se judicium fecisse.

Fateor, his rerum angustiis, Numine divino Franciam tegente, Anglos Francósque inter, biennij inducias pactas esse; sed cùm iis non prohiberetur Anglus, aut Navarro opem ferre, aut in Britannia, contra partes Blesensis pugnare: ipséque Carolus Delphinus, ætate minor apud Franciæ Proceres, quàm animis esset; eæ induciæ, exiguam Francis quietem attulerunt.

Cùm igitur Philippus, Navarri Regis capti frater, auxiliaribus copiis auctus, Normanniam rapinis & incursionibus vexaret; Navarrus ipse è custodia ab hominibus suæ factionis eductus, móxque Lutetiam veniens, magis adhuc omnia turbavit. Occasionem ei dabant, & Regis Ioannis absentia, & induciæ Anglicanæ.

Qua-

Quapropter erecto in prato Clericorum theatro, Latinè (ut erat doctus & facundus) ad Ordines tres, Antistitum, Equitum & Litteratorum, Orationem habuit, præsente & audiente Carolo Delphino Normanniæ Duce, qui tum Regnum gubernabat.

Froissard. Æmil. Haillan. Multa de injuria, indignitate & contumelia conquestus, *Non tantummodò tutaturum se Regnum spopondit; sed id etiam meliori ad se jure dixit pertinere, quàm qui de eo armis decertarent. Se Ioannâ Ludovici Hutini filiâ natum, quæ, (si ad mulieres sceptra spectarent) prior vocanda fuerit quàm Isabella mater Eduardi, eadem & Hutini soror. Quòd si non ipsæ feminæ, sed earum filij reciperentur; se ante Caroli Pulchri mortem, filiâ proximioris Regis natum, esse Eduardo potiorem, qui avi sui filiâ Isabellâ dumtaxat sit ortus.*

An. 1358. Non displicuit populo, præsertim Parisiensi, oratio Navarri: ísque deinceps longè ei addictior, quàm Delphino fuit. Regni Metropolim multæ aliæ vrbes secutæ sunt: adeóque Navarrus, paullò pòst Delphino, sicque toti Regno bellum, multis sibi locis assertis, indixit.

Froissard. Æmil. Per id tempus cœpit primùm Lutetia muris cingi, portis fossísque muniri. Ipse Navarrus ad Fanum S. Dionysij duxerat, à Parisiensibus accitus. Confluentes Mátronæ & Sequanæ, in potestatem

ſtatem Delphinus redegit. Ad prælium omnia ſpectabant, niſi Antiſtitum interceſſione, mutuò collocuti Delphinus & Navarrus, repentè Pacem iniiſſent: ſed quam Navarri frater Philippus, adduci numquàm potuit, ut probaret. Itaque ad Anglorum munitiones maritimas ſe contulit.

Finitis mox Anglicanis induciis, de Pace ineunda, nonnihil Londini actum, inter Eduardum Eduardi Regis filium, & Ioannem Francorum Regem cum Iacobo Borbonio. Sed cùm Pacis formula, miſſa ad Delphinum, vehementer Francis proceribus, diſplicuiſſet, idque malè Regem Angliæ haberet; quantum potuit exercitum coëgit.

Froiſſard.

Caletum cum filiis quatuor appulſus, Remos quidem inde movit; ſed obſidione ſublatâ, quòd temporis militiſque facere jacturam nollet, in Burgundiam eum deportavit. Hujus excidium, (dum interim à reliqua parte exercitus, Gallia vaſtatur, ſive ab Anglis, ſive à Navarro rurſus in Delphinum concitato) Dux, argentario pretio redemit.

Quamobrem videns Delphinus, non poſſe diutiùs inter eos fluctus, Galliam ſubſiſtere; ſarciendæ Pacis telam reſumſit. Deliberatum eſt variè: neque poſſe placari Anglus videbatur, niſi ſupre-

mo in Galliam jure obtento, quod nuper videlicet in Scotiam assecutus fuerat, dum à se captum Davidem Regem, post decennium Scotis restituit.

Dum itaque consultatio protrahitur diceréṫque Eduardo Dux Glocestriæ: *Nudum relinquere solum Francis potes: ipsi verò malorum assuetudine indomiti, cæsisq; patribus subinde succrescentes, Te in rebus nullo exitu gerendis, omni vitâ tenebunt*; prope Carnutum subitò coorta tempestas, quæ & homines & equos prosterneret, ita Anglorum Regem commovit, ut votum faceret se frænatis incendiis evastationibúsque, terræ hominibus pacem daturum.

An. 1360. Mox Caleti expeditum negotium est, iis legibus, quibus cum sancto olim Rege, Angli pacti fuerant.

Æmil. *Vt Anglis redderetur Aquitania, unáque Vasconia, Pictones, Santones, Petrocorij, Lemovices, Cadurci, Engolismenses, Ruteni: eaq; omnia eo jure Anglus haberet, quo qui optimo: neque necesse foret umquam imperium ibi Francorum agnoscere.*

De Pontivensi Comitatu, nulla controversia fuit, quòd dos materna Anglo fuisset. Permissum & Caletum, aliáque complura.

Vt duo Eduardi Rex filiúsque, Regi Francorum remitterent, si quid juris in Andes, Turones, Cenomanos, Britan-

tanniam Normanniámque haberent. Si quod prætereà in Regnum Franciæ, summúmque dominatum extitisset; eo cederent.

Numerarentur etiam Eduardis, tricies centum Scutatorum millia.

Deducerentur utrimque exercitus, præsidia, milites.

Intereà darentur obsides duo filij Ioannis Regis, Duces Aurelianensis & Andegavensis, cum duobus aliis Ducibus Alenzonio Borbonióque. Comites & Barones circiter duodecim: denique primariæ Galliæ civitates, præstantissimos aliquot mitterent singulæ.

Hisce conditionibus, & obsidibus datis, post quartum quàm captus fuerat annum, Rex Ioannes Lutetiam rediit: móxque Præfectis Vrbium mandavit, quas Anglo cesserat, ut migrarent. Id tam ægrè, fateor, impetratum est, quàm alibi nuper Catholici hæreticis cesserunt.

Proximo Anno Philippus Burgundiæ Dux, idémque alterius Burgundiæ atque Artesiæ Comes, absque liberis moritur. In Ducatu successit Ioannes Franciæ Rex, ex Ioanna Odonis Ducis sorore, Philippi Ducis amita, natus. Burgundiæ atque Artesiæ Comitatum, Margarita Philippi Longi Franciæ Regis filia, Ludovici Cressiaci vidua, ac Ludovici Maleani mater, obtinuit.

Auctus Ducatu Burgundiæ Ioannes Rex, cum

 Phi-

Philippo Audaci filio juniori transcripsit, tabulis sextâ Septembris datis, Anno M. CCC. LXIII. Postularant enim à morte postremi Ducis, sæpiùs ab Rege Burgundi Principem, veriti ne libertate exuti, Regno unirentur. Iam & Philippum, Ioannes; singulari affectu prosequebatur, tum ob captivitatis societatem, tum quòd ceteris fratribus, prælio Pictavico fugientibus, Patris periculum, suo periculo, generosus adolescens, ad stuporem hostium texisset.

An. 1363. Heut.

Alij Ducatum Burgundiæ, solâ Patris promissione, Philippum habuisse scribunt, cúmque à Carolo fratre reapse adeptum, cùm defuncto Londini in Anglia Patri Ioanni, quò se lytri & liberandorum obsidum caussâ (raro fidei servatæ exemplo) contulerat, Rex coronatus eodem Anno, postridie Kalendas Iunij, successit.

Et quamquàm scribentibus nonnullis, Philippus eâ lege Dux Burgundiæ sit factus, ut si prolem Masculam non suscepisset, filiabus omni jure succedendi spoliatis, rediret Ducatus ad Francorum Regnum; ea tamen conditio, cum Margaritam Comitis Flandriæ filiam & heredem, Philippus pòst duceret, extincta est, fratríque Rex Carolus eo jure Burgundiæ Ducatum reliquit, quo illum Ioannes Pater anteà à Philippo

Heut. Bodin.

Du-

Duce acceperat, per matrem videlicet Ioannam.

Hic itaque Philippus (quamquam anteà *Sine Terra* sit dictus, pòst, Turonensium Dux) primus Imperij Belgici, post Soceri Ludovici Maleani Flandriæ Comitis mortem, fundator est: sed quod majoribus incrementis, filius in primis Ioannes cognomento Intrepidus, Philippus Bonus, Nepos, Carolus Pugnax Pronepos, posteà sive firmarunt sive auxerunt.

Quapropter Rex Carolus, etsi per id tempus Sapiens sit dictus, quòd consiliis ipse & ratione, domi gubernans omnia, eadem belli & foris agenda, fratribus reliquerit; fuere tamen, (eósque inter Ludovicus XI.) qui dicet cognomen suum, rebus gestis frequenter æquaverit, dicerent ei imparem fuisse, in contrahendis nuptiis: quia cùm optionem initio habuisset, sive filiam Ducis Borbonij formosissimam, sive Flandram pulchram quidem, sed multò minoris venustatis, uxorem ducendi, amores affectúsque suos, communi utilitati prætulerit: cùm Flandra, nobilissimis Comitatibus dotalibus, adeo adauxerit Maritum Ducem, ut soboles ejus formidolosa Regibus, ac propè exitio extiterit.

Scyssel. Æmil.

Hâc viâ, ad Gallicam Coronam, Provinciæ Belgicæ, facilè tunc accessissent, quarum haben-

darum cupiditate, toties posteà, atque etiamnùm Galli adeo flagrarunt; ut jura federáque omnia ruperint, ejus explendæ caussâ.

Hâc tempestate circiter, Ioannes Wytcleffus Anglus, hæreseon suarum virus, edere in lucem cœpit. Indignatus enim, quòd ad summos Sacerdotalis ordinis honores, aspirare non posset, imò à Præfectura Collegij Cantuariensis Oxonij, quam præter jus & fas invaserat, latâ Romæ sententiâ exclusus esset; factus est Romani Pontificis & Sacerdotum, ipse Sacerdos, hostis. Hoc ut tantò confidentiùs ageret, testimonia divina, perversè interpretatus est: ac Principibus Regíque ante omnes, in cunctos hominum ordines imperium tribuit.

Polyd.
Harpsf.

Vt igitur illo principio & proœmio, cetera firmiora & prona magis forent, captavit in primis imperitum vulgus: cúmque præter Latinas, de sua secta commentationes, alias vernaculo sermone publicasset, etiam cepit. Itaque perniciosis erroribus, Episcopis nequidquam obstantibus, frequentes discipulos nactus, Angliam corrupit. Ex his cùm plerique in Bohemiam, unde Oxonium venerant, rediissent, rudem illic populum, atque errandi prurigine erectum, facilè seduxerunt: duo demum Ioannes Hussius & Hiero-

ronymus Pragensis, cùm obstinati persisterent, in Concilio Constantiensi flammis exusti sunt, fecundâ errorũ & errantium segete, post se relictâ.

Post Caroli Regis initia, inter Carolum Blesensem, & Ioannem Montefortium, recruduit de Aremorica Britannia grave bellum: huic Anglis, illi Gallis, suppetias ferentibus: cui finem, cæsi in prælio Blesensis mors attulit.

Inde mox rupta cum Anglis Pax. Postquàm enim bello Hispanico, quo Petrum tyrannum restituit, fugato Henrico Notho, cui à Pontifice contra tyrannum nuper recutitum, & in odium Christianæ Religionis, uxoris Blanchæ è familia Borbonia, parricidam, adjudicatum Regni diadema fuerat; ærarium omne suum, in delectus faciendos, stipendiáque militum Eduardus exhausisset: ipséque tyrannus prout anteà convenerat, nullos sumtus repræsentaret, aut certè moraretur; corradendæ pecuniæ caussâ, Eduardus, Aquitaniæ Primoribus & Civitatibus, tributum indixit. Id plerisque haud gravatè suscipientibus (erat enim unius floreni tantummodò in singulas annuè familias, quinquennio duraturum); alij recusarunt: opprimíque se apud Regem Franciæ questi; perpulerunt, uti vadimonium Eduardo à Rege Carolo denuntiaretur.

Hen-

Froissard. Henricus intereà Nothus, Hispaniæ Rex, captum tyrannum, manu suâ obtruncat, & Regno deinde pacificè potitus, ad posteros illud transmisit.

An. 1368. Eduardus, denuntiatione acceptâ, *Venturum se Parisios ait, postquàm ita Rex jubeat: sed galeâ munitum, & stipatum sexaginta millibus.*

Ad bellum, præparata utrimque omnia, quando Anno sequente Philippus Audax Burgundiæ Dux, Margaritam Ludovici Flandriæ Comitis, de quo antè diximus filiam, quámque & Anglus filio suo ambiebat, matrimonio sibi copulavit, nuptiis, magnâ pompâ Gandavi celebratis.

Visum est divinum Numen voluisse, ut ad Belgicum Imperium, accederet utraque Burgundia: quia Margarita, quæ jam Philippo Valesio nupta est, vidua erat Philippi Burgundiæ Ducis

Heuter. & Comitis, decimo-quarto ætatis anno defuncti, cùm conjugem suam undecennem & intactam reliquisset.

Hoc connubio, redierunt ad Flandros tria Oppida, Insula, Orchiacum, Duacum, quæ olim Pulchro Regi oppignerata fuerant, donec ducenta aureorum millia (id erat lytrum Guidonis Comitis apud Francos, ut anteà diximus, capti) solvissent.

In-

Instauratum intereà, terrâ maríque Anglicum bellum, tantis rebellium Aquitanorum, & aliorum animis; ut ne eos quidem componere potuerit, Eduardus ſenior Rex Anglorum, datis litteris, quibus exactionem remittebat à filio Eduardo factam: unáque defectionem ad Gallos; ſi quiſque in Aquitaniam ad proprias ſedes, intra menſem reverteret.

Froiſſard. Æmil. Heuter.

Deficiebant non oppida tantùm, ſed integræ ditiones: & licet conſcriptis copiis, res ubique ſuas, in Aquitània videlicet, Picardia, mediiſque Galliæ Provinciis, conſervare ſategerit Anglus; attamen fruſtrà fuit: ſæpéque compulſus appetente præſertim hieme, domum reportare exercitum, ſolis incendiis & evaſtationibus victorem: quòd Galli prælia, conflictúſque decretorios, Rege jubente declinarent, qui dicebat, *Malle ſe inops Regnum poſſidere, quàm nullum.* Sanè inopiæ Regni, certiſſimum eâ tempeſtate ſignum erat ſcortea Moneta, cui modicum argenti erat infixum.

Comin.

Et quamquàm Princeps Eduardus, morbo, quem in expeditione Hiſpanica contraxerat, ita jam debilis evaſiſſet, ut Anglicum ei cælum neceſſarium videretur; tranſlato attamen in fratrem Lancaſtriæ Ducem belli imperio, irarum plena

omnia manserunt: & quia Petri tyranni filiam Constantiam, Lancastrius conjugem acceperat; ad Gallos Henricus Nothus, inito fœdere applicuit.

Froissard.

Atque hinc paullò pòst, expugnata Rupella: actum deinde de Induciis inter utramque coronam, Brugis Flandrorum: agitatum Matrimonium Walliæ Principis Richardi junioris Eduardi filij, & Mariæ filiæ Regis Galliarum, annitente Gregorio Vndecimo Pontifice; sed casso omnia eventu.

An. 1376.

Irritatus enim eâ re Pontifex, & Gallicas atque Italicas calamitates pertæsus, illis quòd mederi non posset, his quòd speraret; (etenim universæ pænè Tusciæ, Piceni, Flaminiæ, Æmiliæque civitates atque oppida à Pontifice defecerant) relictâ Avenione Romam rediit: postquàm septuaginta suprà annis, Sedes in Galliis fuisset.

Plat. Æmil.

Alij, migrationis aliam caussam ediderunt. Nam cùm interrogatus ab Gregorio quidam Episcopus, *Eccur sedem suam non inviseret?* respondisset, *Id eò fieri, quòd à Romani Pontificis exemplo, cuncti penderent: hunc unumquemque sibi proponere imitandum, qui cùm tamdiu Vrbem suam deseruerit, haud ægrè ferre debeat, id à minorum gentium Pontificibus actitari.* Quo perinde intrepido responso tamquàm cælitus

tus misso, existimarit Pontifex, nefarium à se scelus commissum iri, si diutiùs faceret, quod in alio damnasset.

Paullò pòst, obiit Eduardus junior eumdémque mox Pater secutus est, postquàm Richardum, è filio Eduardo nepotem, coram congregatis filiis & Proceribus, nullâ ei motâ à patruis clarissimis Ducibus controversiâ, Regni heredem, nuncupasset. Novi Regis, tenera adhuc ætas, quæ à patruorum uno Lancrastriæ Duce fulciebatur, cùm Anglico populo invisus hic esset: res Gallorum haud minimùm promovit. Cùm enim, quod in Aquitania reliquum Angli habebant, negligerent justo præsidio munire; tota ad Gallos defecit.

Iam & Scotos, ultionis cupidos veterum malorum, Galli in Anglos, adolescentiâ Regis, malè inter se cohærentes; facilè excitarunt.

Accessit mors Reginæ Navarræ, Gallorum Regis sororis: quâ morte, cùm ad filios Reginæ, qui in aula Gallica educabantur, nonnulla Normanniæ ditio pervenisset; eam Rex Gallus, donec adolescerent, occupavit: cúmque Regi Navarro infensus esset; inter alia Montem ei Pessulum eripuit. Ita ad fedus cum Anglo, Navarrus respexit. Ea de caussa hostem Hispanum nactus,

 qui

qui tum Gallicas partes ſequebatur; complura oppida, ultrò citróque capta & recepta ſunt, donec geminis hinc inde nuptiis, Hiſpanum inter & Navarrum, Pax fuit.

At Carolus Quartus Auguſtus, trigeſimo-ſecundo Imperij Anno moriens, Wenceſlaum filium ſucceſſorem habuit. Vir Muſarum fautor, (quippe Pragenſis Academiæ conditor) & pace magis quàm bello clarus. Ambitionem ſimultatéſque Electorum ac Principum ſuſtulit, Sanctione illâ quam *Auream Bullam*, vocat poſteritas. Ditionem Luxemburgenſem, cui frater Wenceſlaus præerat; in Ducatum provexit. Ceterùm Wenceſlaus Caroli filius, ob inertiam, inane Cæſaris nomen geſſit, etiam fedati ſacri Fontis, dum baptizaretur omine dehoneſtatus.

Funcc.

In Britones intereà ſuos, Duce Britanniæ, cum Anglicis auxiliis, poſtquàm aliquanto tempore partim in Flandria, partim in Anglia ſubſtitiſſet, reducto; res Anglicæ tantiſper erigi cœperunt, Rege præſertim Carolo, infirmâ & morbis confectâ valetudine, unde mox commendatâ fratribus prole Regnóque, deceſſit Anno M.CCC.LXXX.

An. 1380.

Id ubi Ludovicus accepit, Dux Andium, involavit in ornamenta mortui Regis, gemmas, & quidquid in aula reperit pretioſarum rerum. Iter enim

Froiſſard.

enim Neapolitanum animo agitabat, imò & Diadema, à Ioanna Regina anno præterito adoptatus: quod ei tamen, suffocatâ Ioannâ Carolus Dyrrachinus, Vrbani Sexti beneficio Rex institutus, præripuit. Collenut.

Iustitiæ manum, qua cum depingi olim Francorum Reges solebant, Carolus Sapiens in Sigillum transtulit. Ea ad instar Sceptri fabricata, cùm ostenderetur aliquando Carolo V. Imperatori, inter alia Regni Franciæ cimelia, diceretúrque exsculpta è cornu Monocerotis: *Præclarè id quidem*, respondit Imperator, *quia manum Iustitiæ, decet esse puram & innoxiam, absque veneno.* Fauchet.

Præter-propter hoc tempus, Bertholdus Niger Machinator Germanus, tormenti bellici genus Bombardæ, (ab sonitu & ardore factum nomen) excogitaverat, anceps humanis rebus inventum. Hoc novo præsidio freti Veneti, quos Petrus Auria Ligusticæ classis Dux, eatenus non unâ clade subegerat, hosti occurrerunt: perculsósque improviso malo Ligures, neque minori terrore, quàm strage affectos; cùm intra Fossam Clodiam obsedissent; eam, fame domiti à victoribus Venetis, conditionem acceperunt, quam victis anteà Ligures ostenderant. Bõbardæ. Sabell.

Et quamquàm illo tormenti genere, tum pri-

mùm usi sint Veneti; Lovanienses attamen, qui olim inter Brabantos, potentiâ & opibus excelluerunt, Bombardas triginta duas, **Donderbussen** ab horrendo fragore vulgò appellatas, Anno M. CCC. LVI. ære publico comparasse ad usum belli, Divæus testatur, *Comment. M. S. Rerum Lovaniensium.*

Divæus.

LIBER QVARTVS.

BREVIARIVM.

CAROLO Sexto adolescente, Proceres regnum tantisper gubernant. Bellum in Flandria protrahitur, inter Comitem & populum: ubi supra ducenta hominum millia cæsi. Comes tantùm-non captus Brugis, atque Insulas inde retractus; per generum Audacem, Gallica auxilia petit & impetrat. Prælium Rosæbecanum, in quo Flandri sternuntur. Cortracum, à Gallis incensum, in cladis præteritæ vindictam: cujus memoriam refricabant, septingenta paria calcarium deauratorum, Gallis olim detracta, atque in Ecclesia suspensa. Dum Flandri in Flandria; etiam Parisiis Galli tumultuantur. Hos, Carolus domum reversus; punit, & multat tributo imposito, & ademtis Privilegiis. Schisma in Ecclesia, à Ioanna Neapolitana suscitatum. Pontifices Vrbanus Sextus, & Clemens Septimus: hic Avenione sedit, & partium suarum habuit Regem Galliæ, Hispaniæ, Scotiæ: Ludovicum item Andegavensem, quem Regem Neapolis Clemens creavit. Hoc Schisma, Concilio Constantiensi, post quadraginta annos finitum. Flandricum bellum, induciis, (quibus & Gandenses comprehensi sunt) inter Gallos & Anglos extinguitur. Comitis Flandriæ morte, Philippus in omnes ipsius ditiones succedit: qui deinde per nuptias Liberorum, quæ Ioannæ Ducissæ Brabantiæ consilio contractæ sunt; Belgicum Imperium dilatat. Ducis Bavariæ filiam, Carolus Gallorum Rex, uxorem ducit. Iis solemniis, occupato Audace, Gandenses Dammum capiunt. Hanc ob rem, nova Gallorum in Flandriam expeditio: Dammum præterea, frustrà obsessum, pòst egres-

egresso præsidio & civibus combustum. Slusa, commutatione Bethuniæ, Flandriæ accedit: & Gandenses in gratiam Philippus recipit, Ioannæ Brabantiæ Ducissæ precibus flexus. Tumultus in Arvenis & Lemovicibus, à Duce Biturigum compressi. Gallorum copiæ in Scotiam missæ, ut Anglos inde premerent; exiguo cum fructu redeunt Classis Gallica, maximis impensis Slusæ contra Anglos comparata; sine restaurandi ærarij denique instructa cernitur. Caroli Regis profusas donationes, rationum ministri cassas faciunt. Anglorum in Hispaniam expeditio, reddita à Gallis infructuosa: eorum enim vires quomodolibet Galli accidebant. Dux Britanniæ, Gallorum Regi reconciliatus, cum iterum offendit: qua de caussa, cùm expeditionem in Britanniam Rex susciperet; in amentiam incidit. Ea, cùm sæpe rediret; Regni administratio patruis iterum commissa est, rejecto Ludovico Aurelianensi Regis fratre. Hæc caussa odiorum fuit, inter Aurelianensem, & Burgundum. Burgundus, cum Clementinarum partium esset; in easdem Flandros adducere conatus est, qui Vrbanum, Comite suo præeunte sequebantur, pronuper defuncto. Induciæ triginta Annorum cum Anglis, eorúmque Regi Richardo tradita Isabella, Gallorum Regis filia. Actum à Gallis de Schismate tollendo: sed quos Benedictus (qui cedere nolebat) Ecclesiasticis decimis, ad bellum Turcicum collatis, placavit. Philippus Burgundus Ioannem filium, præfecit Gallicis copiis, quas cum Sigismundo Hungariæ Rege, aliísque, destinat ad recuperandam Bulgariam. Victoriam, prælio ad Nicopolin inito, Gallorum festinatio prodegit; ubi inter alios captus Ioannes Burgundi filius, ex concilio Phisiognomi, dimittitur: Sigismundo Constantinopolin fugiente. Triennio pòst Baiazethes à Tamerlane captus, alliso ad caveam ferream, quâ detinebatur, capite, expirat. Richardus Angliæ Regnum, in Henricum transfert. Eá occasione Galli, ruptis induciis, Aquitaniam, nequidquam sibi vindicare satagunt. Ludovicus Aurelianus, Philippum Burgundum infestat: cúmque ad prælium omnia spectarent; studio quidem Biturigis Pax fuit, sed non diuturna, Alternante enim Regis sanitate & insaniâ, atque ob id Regni inter Burgundum & Aurelianum præfecturâ; Burgundus, postquàm Antonio filio, Ducatum Brabantiæ procurasset, obiit Hallis Hannoniæ.

DVODECIM annorum Carolus VI. erat, cum Patris in solio collocatus est. Et quamquàm à defuncto Rege designati forent,

rent, qui donec Rex novus adolesceret, Regnum gubernarent; ea tamen cura Duci Andium cessit, Procerum judicio: Duce Biturigum Ioanne; Lugdunensem Provinciam, Languedociam & Guasconiam: Philippo Audace Normanniam cum Picardia: Duce Borbonio, vicinas Borboniis ditiones: hoc Avunculo, illis Patruis Regis, moderantibus.

Protrahebatur intereà ortum in Flandria bellum, imò meliùs diffidentibus invicem Comite populóque, seditio civilis: quæ à parvis initiis orta, præeuntibus potissimùm Gandensibus, septennio duravit, hominúmque suprà ducenta millia hausit. Caussa fuit ærarij inopia, quod cùm Ludovicus Comes sæpiùs decoxisset, Flandríque restaurassent; auctoribus demùm Gandensibus, id ultrà facere recusabant.

Meyer. Æmil.

Eò res evasit, ut Ludovicus tantúmnon Brugis captus fuerit: cúmque omnem propè Flandriam Teutonicam, Gandenses, duce Philippo Harteveldio, (Iacobi, de quo suprà, filio) Insulas retracto Comite, occupassent; ad Francorum auxilia, quæ per generum Audacem haud difficulter obtinuit, confugere coactus est.

Erat tum in Gallia ab Anglis, tantilla quies: cujus beneficio Rex Carolus, Principibus numerís-

rísque totius Galliæ ſtipatus, in Flandriam contendit, commiſſóque ad Rosæbecam prælio, memorabilem Flandrorum ſtragem edidit. An. 1382.

Inde in Galliam transferens victorem exercitum, cùm hiemis tempeſtas eſſet, ignem Cortraco, non tam quòd Gandenſium partes ſequeretur, quàm acceptæ olim ſub Philippo Pulchro, cladis memor, injici juſſit: ubi nimirùm propendebant in Templo, ſeptingenta deauratorum calcarium paria, equeſtris Ordinis viris, qui ad pagum Groningam ceciderant detracta, æternum victoriæ tantæ trophæum. Hoc fuit Caroli VI. tyrocinium militiæ, qui bello Flandrico, primùm arma induerat. Maſſæus. Heuter.

Atqui intereà dum civici, Comitem inter populúmque tumultus in Flandria fervebant; ex cauſſis iiſdem, putà magnitudine exactionum & varietate, pluribus locis in Francia, ſed Pariſiis potiſſimùm cives pariter tumultuabantur. Ob id enim in primis, ſuppetias Comiti Flandriæ, Rex Gallus tulerat, ne videlicet Flandrorum exemplo ſucceſſúque, Gallicani populi, contra Regem Rectoréſque ſuos, colla ſurrigerent.

Atque hinc ægrè admodùm Rex tulit, quòd Pariſios revertenti, armati cives, ad millia viginti, obviàm profecti ſint: qui interrogati, *Cur* Froiſſard. Æmil.

ita facere voluissent? Licet responderent, *Id eo consilio fieri, ut oculis suis perspiceret, quantas repentè è sola Lutetia copias, habere Rex posset;* cùm tamen aliud constaret ex litteris, quas ad Flandriæ conjuratos scriptas, Cortraci repererat; omnes universim increpari vehementer jussit; trecentísque supplicio capitis affectis, reliqua plebs, & ingenti tributo, & privilegiis multata est, quæ trigesimo demùm pòst anno, Ioannis Intrepidi curâ recepit.

Pauculis ante hæc annis, mortuo Gregorio XI. ortum erat operâ Ioannæ Neapolitanæ fedum Schisma: quæ Vrbanum VI. Gregorij successorem verita, Gallicanarum partium Cardinalibus, animos fecit, ut illatam prioribus Comitiis sibi vim caussati, Clementem VII. novum Pontificem facerent. Hic Avenionem secessit: Galliámque apicis, & splendoris apud se Pontificij cupidam, ceteris Monarchis & Principibus, Vrbano ferè adhærentibus; in partes suas adduxit.

Accessêre mox iisdem, Gallorum per id tempus federati, Hispaniæ Scotiæque Reges: cúmque Ludovicum Andegavensium Comitem, à Ioanna nuper adoptatum, contra Carolum Dyrrachinum, Clemens, Neapolitanum Regem creasset: isque pluris eum titulum faceret, quàm Rectoris, quem tantummodò in Gallia gerebat;

Collenut.

&

& Regnum Neapolitanum copioſo exercitu ingreſſus eſt: & inchoatum Schiſma fovit tenuítque, ut quadraginta poſt hæc annis, celebratâ Conſtantienſi Synodo, finem dumtaxat acceperit: etſi Ludovicus commiſſo & amiſſo contra Dyrrachinum prælio ſaucius, dum vulnera in oppidò Vigiliarum curat, (incertum morbo an mœrore) exſpirarit, Anno M. CCC. LXXXIV. An. 1384.

Adhuc interim tumultuantibus Flandris, qui ab Anglis auxilia contra Comitem ſuum Dominúmque popoſcerant; Gallicum contra hos bellum in Flandria repetitum eſt: ſed mox pactis induciis, quibus & Gandenſes comprehenſi ſunt, ſopitum. Ea res, Comitem vindictæ cupidum, adeò affecit, ut morbum inde mortémque conciverit.

Aliam mortis cauſſam Meyerus edidit: per- Meyer. cuſſúmque à Ioanne Duce Biturigum, cùm Comitatum Bolonienſem, quem Ioannes adierat, *Flandriæ beneficium* eſſe; Comes Ludovicus aſſeruiſſet.

Vt ut eſt, in omnes ditiones ipſius, unáque Comitatum Arteſiæ, quem paullò antè matre defunctâ Comes adeptus erat; Philippus Audax uxorio nomine ſucceſſit: potentiſsimus jam, latéque imperans Dominus ac Princeps. Quam-

obrem prolaturus in posteris suis, longiùs Imperium, Ioanni filiorum natu maximo, matrimonium conciliat cum Margarita Alberti Bavari Comitis Hannoniæ & Hollandiæ, &c. filia: filiámque suam Margaritam collocat vicissim Guilielmo, primogenito Alberti.

Consilio Ioannæ, Ducissæ Brabantiæ, viduæ Wenceslai, quæ & uxoris Audacis matertera erat, & nullam è Wenceslao prolem habuerat, connubia ista pacta sunt, nuptiæque Cameraci celebratæ, Carolo Rege Galliarum præsente, Anno M. CCC. LXXXV.

An. 1385.

Paullò pôst & Carolus uxorem duxit è Germania, patris Sapientis consilium secutus, Stephani Ducis Bavariæ filiam.

Iis solemniis occupato Audace, Gandenses Dammum ceperunt. Veritus ne & Slusam opprimerent, magno utique Brugarum incommodo & compendio Anglorum; tertiam in Flandros Gallorum expeditionem accivit. Totis copiis, Dammum, sed frustrà, Rex obsedit. Cùm enim de subsidio Anglorũ, quos è Scotia Galli infestabant, desperarent intra Dammum obsessi; convasatis rebus, collectísque præsidiariis & civibus, Gandavum innoxij redierunt. Desolato exhaustóque sic oppido, ignis à Gallis injectus, & fini-

tima

tima loca, incendiis passim, stuprísque mulieres fedatæ.

Per id tempus, Bethuniæ commutatione, initâ cum Guilielmo Namurcensis Comitis filio, Slusa Flandriæ accessit: móxque secuta pax cum Gandensibus, quos in fidem accepit Audax, clementi deinceps imperio habiturus. Memorabile est, quòd cùm præteritorum veniam, orare supplici ritu nollent; præiverint Ioanna matertera, Margaritæ conjux & nurus, ad genua Audaci accidentes, in conventu Procerum Tornaci, quarum gratiæ, data Gandensium pax est. Haræus.

In Arvernis intereà, Lemovicibus & Pictonibus, perditissimus quisque conjuratione factâ; duce quodam Petro Bruerio, in nobilitatem & Sacerdotes, arma ceperat. Eos Dux Biturigum congredi ausos, devicit: atque in alios ferro, in alios reste animadvertit. Æmil.

Rediit etiam è Scotia in continentem, exercitus, quem ut inde Anglos premeret, Galliæ Rex anteà miserat. Sanè enim fatebatur maris Præfectus, qui Gallicanos numeros in Scotiam deportaverat, Gallorum eódem adventum, primùm omnibus pergratum fuisse: sed deinde Regi, mox & Proceribus, postremò omnibus æquè mortalibus invisum. Id se comperisse indicio mu-

lieris in Aula gratiosæ, qua cum nimirùm consuetudinem stupri habuerat: ideóque Scotorum contra Gallos insidias, abitu è Regno prævertisse. Quapropter ut tam suam, quam suorum, qui ubicúmque fuerint, diu continere se minimè possunt, culpam tegeret; visus est docere, faciliùs domi quàm foris vinci Anglos posse, quia aliquot de iis oppida ceperat, dum sub initium in Scotiam venisset.

Slusam itaque cum Audace Rex profectus, copias navésque, ex omni Gallia Flandriáque contraxit. Stabant in ora maritima, mille ducentæ naues, rebus omnibus instructæ & ornatæ, in quas nimirùm trecentæ Florenorum myriades, impensæ fuerant. Sed cùm vela vetis facturæ non viderentur, nisi de consilio Ducis Biturigum: isque tantummodò ad initium hiberni temporis, quo solet esse navigatio periculosa rescriberet; patuit demum, non tam hostis caussâ, quàm vel reparandi ærarij, quod erat exhaustum: vel avertendi ab Hispania Anglici belli, eos apparatus collectos fuisse.

Harpsfel.

Æmil. Heuter.

Etenim Rex Gallus, uti erat profusissimus; ita neque modicâ vi auri contentus, aut modum ullum largitionibus figere poterat. Inde fiebat ut & auctores summarum, cum rationes in fiscum re-

referrentur; tabellis quibus continebantur nomina datáque munera, subscriberent: *Et immodicè datum, & repetatur.*

Iam & Anglica in Hispaniam expeditio, Duce Lancastrio, nequidquam sufflaminantibus Gallis suscepta, eorum saltem industriâ, inutilis evasit: cùm & equos, pabulum in oppida congestum destitueret, & hominibus infestus aër, morbos mortémque adferret.

Et quamquàm aperto contra Anglos Marte & cædibus, Galli abstinerent; studium attamen quomodocúmque nocendi, haud omissum est. Anno 1388.

Audace Auctore, Britanniæ Dux, Anglorum hactenus amicus, federi renuntiavit: & pollicitus, se Magistro Equitum Clissonio, castella quæ occuparat, atque aurum quod extorserat, repositurum; in gratiam à Rege acceptus est. Non diu serenitas ista duravit. Geldrico enim bello composito, pactísque ad triennium cum Anglis, corúmque federatis, induciis: imò jam ipso Rege Carolo, à patruorum tutela, ætatis accessione libero; eum inter Ducémque Britanniæ, veteres inimicitiæ recruduerunt.

Craonius enim, qui Clissonium læserat, cùm in Britanniam profugisset, neque eum Regi tradere, Dux aut vellet aut posset; grandi conscripto exer-

exercitu, in Britones movit. Ea in expeditione cùm Cenomanos attigisset, dubiam hactenus valetudinem circumferens; ardore solis icto capite, in amentiam Rex incidit. Dei, ob schisma, vindictam, plerique interpretati sunt.

Hoc infortunio dimissus exercitus est: cúmque ex intervallo rediret; rerum potestas patruis commissa, Ioanni Biturigum & Philippo Burgundionum Ducibus, Ludovico Regis fratre, Aurelianorum tum, anteà Turonensium Duce, rejecto.

Atque hoc implacabilis, Burgundionem inter & Aurelianensem, & utriusque stirpem, odij initium fuit: quod in Principum virorum cædes, & atrocia populorum bella erupit.

Haud minus memorabile extitit infortunium nuper Caroli Secundi Navarræ Regis, quàm hoc Caroli Sexti Gallorum. Navarrus enim, populi pariter hirudo & vorago nummorum, cùm esset effeto tantúmnon corpore, idque ad excitandam libidinem, aquâ, quæ ardens vocatur, perfudisset, ambustus est. Inductus enim insutúsque linteis, eâ aquâ imbutis, cùm qui insuerat, candelam accensam, filo ex acu exurendo admovisset; flamma protenus fusa per lintea, Regem intrò latentem, ita affecit, ut post biduum, miro popularium gaudio obierit. Co-

Æmil.

Coloniâ Agrippinâ profecti ad Vrbanum Sextum, quatuor Ordinum mendicantium Monachi, pro impetranda Academiæ erectione, voti compotes effecti sunt; iisdem legibus & privilegiis, quibus tum Parisina florebat. Anno itaque sequente, pridie Epiphaniæ initium docendi factum ab Esaiæ Prophetæ Cap. 60. *Surge illuminare Hierusalem.*

Academia Coloniensis. Middend.

Philippus intereà Burgundus nihil non egerat, ut Flandros suos ab Vrbani partibus, ad Clementinas, quas Galli, ut dixi, sequebantur, transferret. Iam enim ab initio Ludovicus Comes, Burgundi socer, Vrbanum coluerat, habuerátque veluti legitimum Pontificem; quòd Cardinalis Gebennensis, qui tum Clemens Pontifex dicebatur, statim post Vrbani electionem, ad se scripsisset, *Vrbanum justè legitiméque electum.* Ea de caussa, noluerat umquàm Ludovicus ab Vrbano desciscere, quòd præteritis Litteris, luculentum contra se testimonium, Clemens tulisset.

Froissard. Æmil.

Et multos quidem, ac nobiles præsertim, in suam factionem Burgundus adduxerat, ob quod Clementini alij, alij Vrbanistæ dicebantur: fiebántque secessiones populares, non secus atque olim inter Iudæos & Samaritas; verúmtamen in Vrbani veneratione, nihil minas, vimque Burgun-

Histor. Leod.

gundi veriti, Gandenses in primis constantissimè manserunt. Adeò tum vacillabat, *Eum qui Dominus Regionis est, pariter & Religionis esse.*

Complures itaque Ecclesiastici, qui Sacerdotia Brugis adepti fuerant; maluerunt iis desertis, voluntarium sibi, Coloniam Agrippinam aut Leodium profecti, exilium indicere; quàm apud Schismatis fautores remanere. Idem imitati Laici sunt. Alij instante sollemnitate Paschali, magno numero Brugis Gandavum commeabant, Confessionis ibi & Communionis explendæ caussâ: erántque Dominicis Festísque diebus, vacua Brugis Templa, quòd nullum Sacrorum commercium, populus Brugensis, cum Clementinis Sacerdotibus habere vellet.

Meyer.

An. 1393. Eoúsque enim ejusmodi partium, Burgundo auctore, studium, apud Flandros pleróśque increvit, ut si Clementem Papam, ex animi sententia profiteri nollent; id oris saltem verborúmque sono facerent. Consensisse Slusanos, Iprenses, Flandriámque occiduam aiunt: dubios aliquando hæsisse Brugenses, rotundè recusasse Gandenses: sic ut concitato, eam ab caussam Gandavi, motu, eum sedarit Ioannes Wildius, facundus tum Orator, producto in forum Christi Corpore, thematéque assumto: *Hic est Deus, Deus noster.*

Pa-

Pactis inde Gallos Anglósque inter, annorum triginta induciis, traditáque Richardo Anglorum Regi, Caroli Gallorum filiâ Isabellâ, mortuóque Clemente Pseudopontifice; sedulò Lutetiæ actum est, de sancienda Ecclesiæ unione. Formidabat haud immeritò Rex Gallus, amentiâ, quam diximus, veluti flagello se moneri, laceratæ pridem Ecclesiæ. Rogatus eapropter qui Clementi successerat, Benedictus, ut concordiæ caussâ Pontificatu cederet; Ecclesiarum per Gallias decimarum subsidio ad bellum Turcicum, quod Hungariæ Rex, contra Baiazethem, pluribus jam annis Constantinopolin obsidentem, moliebatur, Regem Galliæ delinivit.

Conatu igitur illo tantisper seposito, ad Bulgariam recuperandam, cum Sigismundo Hungariæ Rege, convenerunt, ejus, & Germaniæ, Bohemiæ, Austriæ, Galliæque vires, explebántque centum millium exercitum. Gallis, Ioannem filium annorum tum vigintiquinque Audax præfecit, pro auctoritate quam sub Rege phrenetico gerebat. An.1396.

Apud Nicopolin commisso prælio, Francorum arrogantia, atque eam propter nimius pugnandi fervor, priusquàm ritè essent ordinatæ acies, victoriam prodegit. Multi occisi & capti,

hósque inter Ioannes Burgundì filius, qui ducentis Aureorum millibus redemti sunt.

Sigismundus, navi transmisso Danubio Constantinopolin effugit, domúmque post cladem acceptam, decimo octavo mense rediit. Sexcenti nobiles, aliorúmque militum captorum vulgus, vestibus ad indusium nudati, in oculis Baiazethis, curvis Turcarum gladiis, in partes secti sunt.

Scribunt nonnulli, Ioanni Burgundo, vitam concessam, quòd familiaris Baiazethis physiognomus, ex eorum genere, qui è faciei corporísque lineamentis, divinare de animo & indole solent, liberum & incolumem dimitti suaserit: *Quia domum reversus, majora excitaret bella, plusq; effunderet Christiani sanguinis; quàm vel credi, vel sperari posset.* Adfuit conjecturæ veritas, quando ob cædem Ludovici Aurelianorum Ducis, fratris Caroli VI. Gallorum Regis, cujus auctor Ioannes fuit; plus decies centena hominum millia perierunt.

Sleidan.

Massæus.

Hic est Baiazethes, quem triennio pòst, ad Stellam montem, ubi olim Pompeius devicit Mithridatem, Thamerlanes superavit, & cepit: atque tantisper humaniter habuit; donec insolenti responso victoris animum offendisset. Cùm enim dixisset, *Se, si Thamerlanem cepisset, caveæ ferreæ inclusurum*; ipse caveæ inclusus, in ea per annos

Chalcon. Leoncl.

qua-

quatuor detentus eſt, niſi quod ſubinde laxaretur, ut equum conſcenſuro Thamerlani, ſcabellum, dorſo faceret. Mortem demum obiit, capite ad clathros alliſo, cùm contumeliam uxori illatam, quòd ferè ſeminuda miniſtrare cogeretur, ferre non poſſet.

An. 1399.

Eodem Anno, Richardus Angliæ Rex, ingratus ſuis, domíque improlis ac perinde cedere coactus, in Henricum patruelem, diadema ſceptrúmque tranſtulit. Hac de cauſſa Galli inducias, quas nuper pacti fuerant, exſpiraſſe rati: aut turbarum Anglicarum, occaſione uſi, cum Richardi infortunium, Aquitani non obſcurè deplorarent, Ludovicus Dux Borboniæ Agennas venit, atque crebris nuntiis ac pollicitationibus, vicinas Aquitaniæ civitates, ad defectionem ſollicitare cepit. Aquitani, quibus præ Anglorum imperio, miti tunc & moderato, non placebat cum graviſſimis exactionibus, Gallicum jugum; veteres Dominos mutare noluerunt.

Polydor.

An. 1400.

Aderat jam Sæcularis Iubilei celebritas, quæ à Bonifacio Nono agitata eſt, Anno poſt Chriſtum natum M. CCCC. Is Pontifex fuit, qui conſilio ætatem ſuperans (triginta quippe annos habebat, cùm Petri Cathedram aſcendit) tandem Pontificiam reſtituit Majeſtatem. Namque Sancti

cti Angeli Arce communitâ, populo Romano frænos injecit, primúſque Pontificum Romanos Magiſtratus, ad arbitrium ſuum creavit.

Platina. Annatarum, uti appellant, uſum, beneficiis Eccleſiaſticis primus impoſuit: ita ſcilicet ut qui beneficium conſequeretur; dimidium annui proventus, Fiſco Apoſtolico perſolveret. Alij hoc inventum Ioanni vigeſimo-ſecundo adſcribunt, quod, præter Anglos, omnes admiſere.

Anno eodem Germaniæ Proceres, Wenceſlao Æn. Sil. Imperium abrogarunt, quod ei adoleſcentulo, Pater ab Electoribus mercatus fuerat. Erat voluptatum ſequax, laboris fugiens, vini quàm Regni curioſior: neque præterita corrigere, neque Naucl. futura præcavere doctus. Si à vino & ebrietate abſtineret, haud imprudens: at mero madens, furoris & amentiæ intolerabilis erat.

Electorum ſuffragiis Robertus ſucceſſit Comes Palatinus.

Pòſt deinde Ludovicus Aurelianus, tum ſuápte ambitioſus, tum incenſus à Valentina conjuge, Ioannis Galeatij Mediolanenſium Ducis filia, patruo ſuo Audaci, per Galliæ Regis Caroli intemperias, Regni Præfecto, modis omnibus negotium faceſſit. Ad hoc impetrat à Rege Bohemiæ, ditionis Luxemburgenſis adminiſtrationem

nem, sedúsque init cum Duce Geldriæ.

Gelder, cum quingentis equitibus, Parisios movet, eódemque Audax. Stabant in acie nepos patruúsque, & indubiè commisissent; nisi castigatâ nepotis temeritate, Biturix Audacis frater, aliíque intercessissent. Ita sine prælio Pax facta, sed minimè diuturna fuit.

Anno quippe sequente, cùm ad sanæ mentis lucem Rex Carolus rediisset; constituit Ludovicum fratrem, Regni Vicarium. Eâ potestate fretus, mox novam pecuniæ collationem adeo indicit, ut ne Ecclesiæ quidem ministros, immunes esse siverit. Meyer.

Inter hos ortâ exinde controversiâ, aliis detrectantibus onus, aliis subire paratis; in pristinum mentis errorem Rex præcipitatus est. Hâc occasione, Aurelianum Regni procuratione, Magnates submoverunt, eamque rursus Burgundioni reddiderunt.

Paullò pòst reverso ad mentem Rege, uterque præfuit, Burgundus & Aurelianus: sed mox relapso, neuter.

Ita alternante Regni præfecturâ, & durantibus utrimque odiis, Burgundus è Picardia in Brabantiam venit, obiitq; Hallis Hannoniæ M.CCCC.IV. postquàm filium Antonium à Ioanna adopta- An.1404.

ta-

tatum; datáque Ordinibus Riensi ditione cujus Metropolis Antuerpia est; Ducem Brabantiæ fecisset.

LIBER QVINTVS.

BREVIARIUM.

IOANNES Burgundus, in patris Philippi animos & iras, non secus atque Dynastias succedens; prohibet in iisdem pecuniam colligi, quam Aurelianus indixerat: quo auctore, Slusam Angli oppugnant. Sed cùm nihil effecissent, cum præda renavigant. Ioannes Parisios proficiscitur, ut & clientelam profiteatur, & Regem è potestate Aureliani vindicet. Eódem Ioannes Bavarus Leodiensis Episcopus, cum exercitu movet, ad Aurelianum depellendum. Pace factâ; Aurelianus in Aquitania Burdegalam obsidet, Burgundus Caletes. Atqui Aurelianus, cum Anglis desertâ Burdegalâ pactus; in caussa est cur & Burgundus, Caletensem obsidionem tollere debeat. Id Burgundum pessimè habuit: & nisi alterutro sublato, videtur non futura Pax. Sicarium itaque, quem ad inferendam Burgundo mortem, Aurelianus conduxerat, cùm duplicatâ mercede Burgundus corrupisset; occiditur Aurelianus. Neque se cædis auctorem diffitetur Burgundus, qui Parisiis profugiens, uno hiemali die, unico equo vectus Atrebatum appulit. Inde Insulas contractis Flandriæ Ordinibus, cædem approbat, ejusque caussas Gandavi publicè edit. Parisios profectus, idem agit coram Senatu, & peragit. Inde pro Ioanne Bavaro, contra Leodienses movens, cum sedecim millibus, millia eorum quinquaginta profligat: quamobrem *Intrepidi* cognomen, ab Anglis accepit, qui & Patrem ejus, *Audacem* vocitaverant. Hinc facta pax cum Aurelianis: & Valentina, Ludovici occisi uxor defuncta. Intrepidus etiam, bello Britannico composito, solus Regni Præfecturam capessit. In ea, dum vindictam ab Aurelianis poscit, pacem violat: quæ mox Regis operâ coaluit. Pacem iterum Aureliani rumpunt: contra quos, ut se Burgundus armet; reditus suos oppignerare cœpit. Burgundo, tres Aureliani filij, bellum indicunt. Ad prælium paratis omnibus, Flandri dimissionem petiere: quamobrem offensus Burgundus, milite extraneo, & conductitio deinceps utitur: quo cum Parisios pergens, effecit, ut Aureliani Re-

Regni hostes declararentur. Hi, perinde Anglorum auxiliis fulti, qui à Burgundo desciverant, Regem, tanquàm ad regendum ineptum, moliuntur in ordinem redigere. Quod dum Burgundus negat se passurum, Biturigas obsidet, sed non occupat, impediente Delphino. Nova inter Aurelianos & Burgundum, pax. Aurelianorum consilio, Delphinus Regni administrationem adit. Factio Capitiorum Alborum Parisiis. Novi belli metus, novâ rursus pace compositus, at minimè diuturnâ, propter Delphini ab Intrepido alienum animum: ex quo factum, ut Regni hostis declararetur, & paullò pòst Atrebatum obsideretur: ubi nova iterum Pax facta. Henricus Angliæ Rex, capto in Normannia Harfleo, singulare certamen Delphino offert: quod Delphinus periculi metuens, detrectat. Prælium apud Azincuriam, in quo Galli, decuplo licet Anglis plures, magnam Nobilitatis stragem tulere. Sigismundus Imperator, itinere in Angliam suscepto, laborat in concilianda pace inter ambas Coronas. Frustrà. Signetum in Gallia, conscenso Regali solio, Equitem creat. Delphinorum in Gallia, obitus, procurante Ludovico Andegavensi: qua re offensus Burgundus, Parisios tentat, sed impedit Armigniacus. Itaque Reginam, quam Aureliani Turonis detinebant, liberat: quæ assumtâ Regni curâ, Ambiani Concilium instituit, juris dicundi caussâ. Martinus quintus è Synodo Constantiensi, conatur in Gallia pacem efficere, sed obstat Armigniacus: qui deinde Parisiis occiditur. Reginam Intrepidus, Parisios reducit, tanto Regis gaudio, ut ei curam Regni committeret, Delphino licet & Aurelianis frendentibus, qui in ipsius necem conjurant. Contra quam vim muniente se Intrepido, & ob id Rotomagum deseri mandante; tota Normannia Anglis cessit: cum quibus de Pace Rex Pontosæ agens nihil obtinet. Itaque Delphinus, factâ, iterùmque renovatâ cum Intrepido pace; eum obtentu sistendi Anglorum progressus, accersens Monterigolum, ibidem fœdè mactari jubet.

PATRIS animos irásque, uti Dynastias, Ioannes filius excepit, quia defunctum maritum, brevi intervallo, Margarita secuta est. Conatus ipsius omnes, Aurelianus, & ipse Aureliani oppugnabat. Tantùm intererat, quòd Ioannes Regiæ publicæque utilitati studeret, Aurelianus

privatis commodis & cupiditatibus. Inde obtinuit à Rege, ut per omnem Galliam ditionésque beneficiarias, novam pecuniæ taxam indiceret. Id esse supervacaneum, Burgundus quia dicebat docebátque; vetuit in Burgundia, Flandria, Artesia, quidquam colligi.

Ruptis intereà Anglicanis induciis, quòd postremo Flandri bello à Francis stetissent; Slusam Angli oppugnant, Aureliano incentore. Repulsi, auctóque intus in oppido, Burgundi sollertiâ, præsidio, oram Flandriæ maritimam evastant, & cum præda renavigant.

Ita Burgundus Parisios profectus, ut & Clientelaris officij sacramentum præstaret (quod cum duobus fratribus fecit, hoc Niverniæ, illo Rethellæ Comite) & Regem, Regiámque familiam, è manibus Aureliani eriperet.

Mox eódem Ioannes Leodiensis Episcopus, cum exercitu movit, ut vi armatâ Aurelianus, qui & militem conscripserat, Parisiis pelleretur. Explicatâ ùtrimque acie, inscriptísque vexillis, eo scito, quo pars altera alteram provocabat, cùm jam propè concurrerent, Procerum industriâ Pax facta est: & Regis jussu Aurelianus, in Aquitaniam, Burgundus in Picardiam, contra Anglos eduxit. Hic, Caletes: Burdegalam, ille ob-

obſedit. Sed cùm obſidionem Burdegalenſem, clàm inito cum Anglis, uti aiebant, fœdere, Aurelianus ſolviſſet; effecit in primis, ut unitis jam Anglorum viribus, difficiliùs expugnari Caletes poſſent: imò jubente Rege, à longiori Burgundus obſidione ceſſaret.

Vt erat magnanimus, hanc fraudem & indignè Burgundus tulit, & reconciliatæ nuper gratiæ rupturam interpretatus eſt. Videbatur niſi alterutro ſublato, tam pertinaces inimicitias, ſopitum numquàm iri.

Aurelianus itaque ſicarium conduxit, ad necem Burgundo inferendam. Quod cùm Burgundus reſciſſet: *Perde illum*, inquit, *qui te miſit, & duplicabo mercedem tuam.* Dictum, factum. Aurelianus enim dum è Reginæ ædibus, horâ ad veſperum ſeptimâ, ad Regis palatium evocatus, pergit in equo; immiſſis percuſſoribus dejectus, gladiiſque confoſſus, interiit, nono Kal. Decembris M. CCCC. VII.

Hiſtor. Leodien.

An. 1407.

Facinoris patrati, auctorem ſe eſſe, adeo Burgundus non tacuit; ut poſtquàm funus, unà cum ceteris Primoribus planxiſſet: pannum lugubrum, è capulo defluentem, in ſepulturæ pompa tenuiſſet: imò veluti quæſitor vindéxque parricidij, magnâ confidentiâ aſſediſſet; id ſponte

dixerit, patruo Biturgium, & cognato Andium Ducibus, caufsâ additâ: *Quòd Aurelianus populum iniquâ tyrannide premeret: Regis, ejúsque Liberorum, & suam denique mortem meditatus esset, Regni totius occupandi caussâ.*

Mox urbe egressus, unico jumento & die, Atrebatum evasit, anníque sequentis initio Insulas veniens; congregatis ibidem Ditionum suarum Ordinibus, cædem approbat: cujus deinde caussas, scripto libello Gandavi edidit.

Idem coram Rege facturus, Parisios proficiscitur: cúmque in furorem lapsus iterum Rex esset, auditus à Senatu ita caussam egit, ut peregerit, atque *Aurelianus jure cæsus sit dictus*. Hanc enim sententiam, Rex sibi redditus, propriâ subscriptione firmavit.

Heuter.

Contractis repente copiis, in Leodienses, qui Antistiti suo Ioanni Bavaro, Burgundi sororio, quòd, uti promiserat, Sacris haud initiaretur, surrogarant Henricum Perwesium, eduxit: ac sedecim millibus, contra quinquaginta millia, prælio victor, cùm Antistitem restituisset; ita gloriâ nominis Europam implevit, ut Angli, qui Philippo olim, *Audacis* nomen dederant, Ioannem filium, *Intrepidum* vocarent: quod ei cognomen perpetuò mansit, & Leodiensibus, Burgundici nominis odium insevit.

Ob

Ob eam victoriam, cùm vindicandæ cædis, in asseclis Aureliani, studium deferbuisset: jamque eos inter atque Intrepidum, operâ Guilielmi Hannoniæ & Hollandiæ Comitis, conciliata Pax esset; obiit Valentina cæsi Ducis vidua, mulier ferox: ipseque Intrepidus bello Britannico præfectus, cùm & id sine sanguine composuisset; solus, permittente Rege, & applaudente populo, Regni procurationem assumsit.

In ea, dum vindictam ab hostibus partim exigit, partim pro inquiete Gallica, quam animo gerebat, meditatur; factam nuper pacem violare visus est. Eapropter accensi rursum cum Carolo Aureliano, Procerum multorum animi: & ne viderentur socios deserere; copias conscripserunt. Idem Intrepidus fecit. Verùm Regis industriâ Pax coaluit, cùm polliceretur assumere Rectores qui neutrius partis essent: Delphini verò tutelam, Biturigi, Intrepidóque committeret. An. 1410.

Sartam sic utcúmque Pacem, Aureliani illicò ruperunt, ob duorum captivitatem, quos ad Biturigem Intrepidus miserat. Eos, cùm rogati ab Intrepido, jussíque à Rege, liberati restituere nollent; hoc, nequidquam vetante, arma utrimque expedita sunt, etsi pronior in Burgundicas, partes, quàm Aurelianenses Rex esset, persuasus

cæſum fratrem, ſibi phreneſin quâ laborabat, aconito accerſiſſe.

Iam & præſagiebat Burgundus, utráque parte incolumi, ſolidam numquàm pacem fore: ideóque quantùm poterat, in ærarij curam incumbebat. Hâc fine cœpit tum primùm, reditus ſuos oppignerare, cuique liberum facere Dominia, ſive Toparchias emendi: quod ſolis hactenus Nobilibus licuerat.

Heuter. Et quia querebantur Aureliani, Regem in aliorũ magis, quàm ſuam factionẽ propendere; ſcriptis miſsíſque per Fecialem, acerbis ad Intrepidum litteris, tres fratres, Ludovici interfecti filij, bellum ei denuntiaverunt: ad quas per eundem, & eâdem acerbitate, Intrepidus reſpondit.

Expedita utrimque federa & arma: capta, receptáque oppida: eo majore hoſtium damno, quò magis Rex, Regiáque Pariſienſis urbs, Intrepido favebant. Propè erat, ut ad Mondiderium de ſumma rei certaretur; niſi Flandri, qui exercitus Intrepidi præcipua pars erant, petitâ obſtinatè dimiſſione, & minati nî fieret, unicum ſe Intrepidi filium, quem Gandavi habebant, *In partes ſectu-rum*; prælium detrectaſſent. Ea res, plauſum hoſtibus fecit, contrà frendente Intrepido: ſed qui hoc exemplo doctus, cœpit externo milite, aut con-

conductitio uti: quod deinde Belgarum Principes, secuti sunt.

Ac licet absente tantisper Intrepido, Aureliani Lutetiam, in eaque Regem & Delphinum, suos facere conarentur; ille tamen & patriæ Nobilitate, & externo milite, Anglicísque auxiliis succinctus, Lutetiam properè perrexit: eo successu, ut Aureliani, Regis, Senatúsque sententiâ, hostes Regni dicerentur, urbísque Episcopus sacro eos fulmine feriret.

Quapropter maxima populi ovatione, Lutetiæ Intrepidus exceptus est, hostésque mox oppidis expulit, quæ priùs occupaverant.

Hinc Aureliani, Anglorum fedus, auxiliáque captarunt, & recepti sunt. Fama quippe erat, Anglorum Regem ægriusculè tulisse, quòd suppetias à se missas, haud diutiùs Intrepidus tenuisset: quem idcirco levitatis animi arguerat: etsi verosimiliùs sit, eas Anglum sponte abstraxisse, quia Henrico filio, diuturnâ nuptiarum tergiversatione, filiam Intrepidus negare videbatur.

Polydor.

Heuter.

Vt ut est, Aureliani novis Anglorum viribus, & pristinis suis elati; sperabant non tantummodò evertere, quæ hactenus Parisiis contra se acta erant; sed & Regem, tamquàm rebus gerendis minùs idoneum, in ordinem redigere. Id, se num-

quam

quam permissuros, Regni Proceres, quos fusis lacrymis Rex obtestabatur, polliciti sunt.

Cúmque Aureliani militem in oppidis præsidij caussa collocassent; primum eorum præcipuúmq; Biturigas, Rege atque Delphino præsente, Intrepidus obsedit. Id proculdubio cessisset, nisi vetuisset Delphinus, nonneminis suggestionibus factus alienior ab Intrepido, verberari. Quod cùm eum non lateret; Rhodiorum Equitum Præfecti, & Mareschalli Sabaudiæ, qui tum in castris erant, operâ, rursus Pax fuit: quæ ut firmiùs sinceriúsque coalesceret; placuit ut simul unâ mensâ Aurelianus Intrepidúsque comederent, soli confabularentur, equitarent, eodémque cubiculo dormirent. Frustrà omnia.

Quantò enim pluribus cærimoniis, laboratum est ut Pax solida permaneret; tantò majori mox fragore rupta est. Querebantur Aureliani, plus auctoritatis & fidei, apud Regem Intrepido, partibúsque ejus esse, quam sibi. Contrà causabatur Intrepidus, Pace invicem factâ, non dimitti Anglica auxilia; sed amicos suos, ab Regni hostibus oppugnari.

Cúmque intereà maniaco Rege, Delphinus rerum administrationem, veluti per ætatem jam idoneus, ad se Aurelianorum consilio traxisset;

con-

concitato clàm populo Parisiensi Intrepidus sic egit, ut & vitâ nonnulli multarentur: alij, si consultum securitati suæ vellent, Albos pileos gestare cogerentur: eo quippe signo populi factio innotuit. Cúmque id Rex, Delphinus, Intrepidus aliíque gestarent; (uti & aliàs factum Parisiis fuerat in populari tumultu, Rege Ioanne apud Anglos capto, & Gandavi nuper) eò ventum est ut nihilnon à Rege populus extorqueret. Ad cædes & sanguinem omnia spectabant; nisi Rhodiorum qui suprà Magister, è tanto seditionis proximæ nubilo, Pacis iterum sudum extulisset.

Delphino autem, uti diximus, nuper ab Intrepido, alieno reddito, jamque ad Regni præfecturam posito; cùm illius clientes immitiùs luerent; putavit neque sibi diutiùs in Francia fore securo. In Flandros itaque suos, Intrepidus revertit. Eâ tum occasione Aureliani in hostes vertunt, quidquid anteà contra se Rex jusserat. Persuadent & eidem, exercitum contra Intrepidum educere, quem jam hostem declaraverat.

Et quoniam Flandri, Regis clientes per id tempus, Intrepido auxilia ferre detrectabant; occupat Rex Compendium, Suessiones, Laudunum, ipsúmque Atrebatum arctissimè claudit. Periclitari poterat; nisi Antonius Brabantiæ

An.1414.

 Dux

Dux, & Margarita Hannoniæ Comitiſſa, Intrepidi frater & ſoror, in caſtra profecti; novam iterum Pacem, ſummo labore exſculpſiſſent.

Henricus intereà quintus, Henrico patri in Angliæ Regno adepto, & repetendo Gallico, ſucceſſit. Hoc, cùm per Legatos fruſtrà faceret, per arma tentavit: tantúmque detrimenti Gallis intulit, quantum nemo hactenus. Poſt detectam adverſus ſe conſpirationem, quam Galli fabricaverant, ejúſqne auctores ſupplicio affectos; claſſe in Normanniam advectus, Harfleum in primis expugnavit. Inde bellum in compendum mittere cogitans, ac militis utrimque ſtragem redimere; Delphino ſingulare certamen obtulit. Ambo erant animis & ætate florentes: ſed Delphinus periculi metuens fugiénſque, quamquàm Henricus ſi vinceret, polliceretur, donec Pater Carolus ſupereſſet, non ſe eum Regno deturbaturum; in certamen, venire non eſt auſus.

Polydor.

Harpsfel.

Ex quo videſis Gallicum robur, plerúmque jactantiâ niti, non pectore. Nam cùm ad primum expeditionis Anglicæ nuntium, Delphinus irridens, dolium pilarum luſoriarum Henrico Regi miſiſſet, *Vt ſe potiùs earum exercitatione oblectaret, quàm Regni Gallici occupandi ſtudio*; ludum nihilominus militarem cum eo, jam recuſat.

Capto

Capto Harfleo, cùm tempestas autumnalis appeteret; vix aliquid præter adeunda hiberna, videbatur restare: sed ut id absque dedecore fieret; placuit non Oceano, sed terrâ, per mediam Galliam Caletum usque, Anglo exercitum transferre. Id dum facit, & plurimùm suis molestiæ ab egestate atque inedia: & hostibus gaudij, optimæque spei plurimùm, Rex Henricus attulit.

Galli etenim, non tantummodò promittebant sibi, certissimam de hoste victoriam; sed omne regnum Angliæ, suum fore sperabant. Deliberabant quo curru carpentóque, captum Regem introducturi Parisios essent, vicinósque undique invitabant ad id spectaculum. Quid? Ad Henricum Regem nuntios destinarunt, quæsitum, *Quanto se redimere vellet?* Respondit, *Sperare se, ut post pauculas horas, debeant Franci, potiùs de redimiis cogitare.*

Polydor.

Ad octavum etenim Kalendas Novembris, in campis Blangianis, apud Azincuriam, cùm Angli, Gallis decuplo pauciores essent; ita dimicatum est, ut præter nobilissimos Gallorum captos, Carolum videlicet Aurelianorum Ducem, Ioannem Engolesmæ Comitem, fratres, aliósque, cæsi sint Antonius Brabantiæ Dux, ejúsque frater Philippus Niverniæ Comes, Eduardus Dux

Anno 1415.

Meyer.

 Barri,

Barri, Comes Alenzonius, aliique ad decem millia. Prælio, uti non interfuit Intrepidus; ita neque filium Philippum adesse voluit: ne per Aurelianos, periculum ei aliquod crearetur, quod reápse subiisse Intrepidi fratres, propè certum est.

Secundum hanc cladem, Sigismundus Imperator, qui Roberto successerat, itinere in Angliam suscepto, Pacem inter utrumque Regem componere conatus est: sed cujus successum, dum Harfleum recuperare Galli student, turbarunt.

Polydor.

Vti tamen Henricum Anglorum Regem, adeo sibi Sigismundus devinxit, ut præter arctissimum fedus, quod inter se pacti sunt, Henricus ei gladium, condito post triennium testamento, legaverit, unionibus ornatum, pretij quingentarum bessium; ita dum per Gallias transiit, conscenso Parisiis regali solio, caussam dicentes audivit, Signetúmque equestri dignitate decoravit, quæ ad gerendum munus quod habebat, putabatur haud immeritò ei deesse: magno sanè juris Imperij in Galliam, argumento.

Harpsf.

Monstrel.

Ad cumulum malorum, quæ tum maxima Galliæ incumbebant, partim ab hoste externo, partim à tumultuante, ob novas indies exactiones, populo, Procerúmque malesartam inter se gratiam; accessit, unius post alterum Delphini,

mors:

mors: quorum Ludovicus natu major, filiam Intrepidi conjugem habebat, Ioannes, Neptem Iacobam. Et quoniam filiorum Caroli Gallorum Regis, natu minimus unicúsque jam Carolus, filiam Ludovici Andium Ducis uxorem duxerat; hunc Ludovicum procurasse mortem duorum Delphinorum, vulgò creditum est: ut ope opibúsque generi, Regnum Neapolitanum, adoptatus à Ioanna Secunda, Ladislai Regis sorore, tantò sibi faciliùs asserere posset.

Cùm igitur Intrepidus, exercitum collegisset; hostili pariter in Ludovicum animo effectus est, his de caussis quas dixi: quódque collocatam sibi filiam Intrepidi Catharinam, repulisset. Agebatur de Vrbe Parisiensi, in potestatem redigenda: idque proculdubio effecisset Intrepidus; nisi Armigniacus, partium Aurelianarum Princeps, derelictâ Anglis in prædam Normanniâ, prævenisset.

In Turones itaque contendit, Reginam liberaturus: quam gazis suis rebúsque spoliatam, nuper istuc Aureliani miserant, detinebántque. Et quia jam pleraque præcipuáque oppida, Intrepido se dediderant; eadem illi, Reginæque jam liberæ, Regni administrationem committunt. Erigitur Ambiani Concilium, instituitur & Prætor

& Cancellarius, sculpitur sigillum cum imagine Reginæ demissis brachiis, & quod Parisiis solebat, inde jus petitur. Mira rerum omnium totâ Galliâ confusio, ut taceam de cædibus, quæ innumeræ patrabantur.

Nuper Constantiæ Pontifex electus, Martinus V. exauctorato Ioanne XXIII. & Gregorio XII. sicque extincto schismate, quod per tot annos Ecclesiam divexarat; muneris sui existimavit esse, Galliæ pacem, saltem indigenas inter Principes, procurare. Id jam per Legatos obtinuerat, nisi obstitisset unus Armigniacus : qui perinde mortalium omnium in se odium : & quia partium Princeps erat; in Aurelianos concitavit.

Heuter.

Quamobrem cùm Parisios denique Burgundi occupassent, eísque se conjunxisset populus ardens furénsque; inter innumeras barbarásque cædes, aliáque immanitatis exempla, Armigniacus ipse tandem luit : vixque sepulturam occisus, raptus & laceratus invenit. Potuit in sociis habere solatium, quos eadem calamitas involvit.

Dum hæc aguntur, Divione, ubi tum Intrepidus erat, Trecasses ad Reginam venit: acceptísque in fidem per quæ transibat oppidis, præter omnem Picardiam, quæ priùs accesserat; Parisios cum ea intravit. Quo populi plausu gaudióque,

que, haud facilè dixerim. Ipse Rex uxore receptâ, gratias Intrepido egit: próque arbitratu suo regni statum componere permisit. Cui tum rei, solus obluctabatur Delphinus, adeo ab Aurelianis incensus, ut ne precibus quidem aut minis, potuerit ad meliora reduci. Compendium itaque occupavit: & quamquàm ei conjugem restitui Intrepidus jusserit, & Parisienses, rursus ad seditionem spectantes compresserit; nihil attamen profecit. Solâ Intrepidi morte, in quam perinde cæsorum nuper filij & propinqui conjurarant; res componi posse videbantur.

Cõntrà; se armare Intrepidus quoque cœpit: & quia Rothomagum nuper suum fecerat, atque immisso præsidio munierat; scribit mandátque Præfecto, ut quàm possit optimis legibus transigat cum Anglis: quod cùm deditâ urbe facit, tota hosti Normannia cessit. Iam enim anteà Angli, Cadomum, Bellocasses, Lexovios, Argentonium, Alenzonium, Constantiam, Falesiam, Fanum Landi, aliaque complura oppida arcésque nemine ad obsessos auxilia ferente, occupaverant. Numquàm magis Francorum inquies, in propria viscera sævijt.

Et quamquàm Galliæ Rex, Reginâ Intrepidóque præsentibus, in colloquium cum Rege

An-

Polydor. Heuter. An. 1419.

Anglo, Pontosæ venerit, nuptum offerens, ineundæ Pacis gratiâ, Catharinam, Regiam ac longè formosissimam Virginem; quia tamen Aremoricas omnes Galliæ Provincias, hisce nuptiis, dotem sibi constitui, idque summo jure Anglus petebat, (prosperis nempè successibus inflatus) frustrà id fuit.

Anglo itaque Rothomagum abeunte; Delphinus ad veteratorias conversus artes, misit ad Intrepidum, qui valefactis injuriis, earúmque perpetuâ memoriâ, pacem offerret. Contrahitur veteribus legibus Pax, omnibúsque Divini humaníque juris formulis, sancitur, ad quârtum Idus Iulij. Coràm enim aderant Delphinus & Intrepidus, osculabantur invicem, jurabant contactu Sacrorum Voluminum, animíque sententiam, sumtâ Eucharistiâ firmabant. Verùmtamen aut injuratam nunc mentem, aut pejeratam posteà, Delphinus habuit.

Licet enim ad finem dicti mensis, eadem Pax repetita sit; accersens nihilominus Delphinus è Tricassibus Monterigolum (oppidum est ad Iconæ Sequanæque confluentes) Intrepidum, per litteras, suâ manu conscriptas, *Vt simul agerent de repellendis Anglis*; advenientem cum paucis Nobilibus die decimo Septembris, sibíque loquentem

tem, mactari jussit, securi ad id factâ, quam genuflexo Taneguius in faciem impegit, mentúmque præcidit. Ictum alij secuti, ventrem ei effluentibus intestinis, pectúsque confoderunt: stricto ense adstante Delphino. Secundùm hæc vulnera, etsi Delphinus diceret, *Satis esse*; post præcisos attamen, annulorum caussâ digitos, torque & tunicâ spoliatus, in proprio sanguine pedibus raptus, semel iterúmque volutatus est, ne quid animi post animam superesse, oculis suis inspectans Delphinus cerneret.

LIBER SEXTVS.

BREVIARIVM.

PHILIPPVS Intrepidi filius, ut Patris cædem ulciscatur; pacem cum Anglis facit. Anglorum Regi desponsa Catharina filia Regis Galliæ, cum dote Regni Galliæ, excluso ob parricidium Delphino. In Delphinum, arma conversa: qui & citatus Parisios ad caussam dicendam, cùm non pareret, proscribitur. Dejectus etiam ab Anglorum Rege, Carnutensi obsidione, cùm præter Biturigas nihilum propè haberet; *Rex Biturigum* dictus est. Et quamquàm difficile non fuisset eum etiam Biturigibus exuere; attamen amborum Regum Angliæ & Galliæ morte (licet illius filius, proclamatus esset Galliæ Rex) res Delphini erigi cœperunt. Præterquàm enim Anglorum Rex, de filio apud Vindesorium nato, malè ominatus esset; Humfredus Glocestriæ Dux, apud Burgundum graviter offendit, quòd Iacobam Bavaram Ioanni Duci Brabantiæ nuptam, sibi copulasset. Iam & Parisienses, malebant Delphino, quàm Anglis subesse. Ad Delphinum quoque defecit Richemontij Comes, & Britanniæ Dux. Hos secuti Cenomani, à Talboto reducuntur. Visa denique lassari Anglorum felicitas apud Aureliam, unde per Puellam Ioannam, dejecti sunt: quæ & Delphinum, ad

sacra Regni Remis accipienda, perduxit; pluribus, in Campania & Picardia occupatis oppidis: at demum apud Compendium, quod Burgundi obsidebant, capta, ab Anglis ignis supplicio est affecta. Angli, ad res suas in Gallia fulciendas, eódem adducunt, Regem suum Henricum adhuc puerum: cui Lutetiam venienti, tota Regni Curia obviàm processit, eúmque adoravit. Paullò pòst coronatus Henricus, pro tribunali Parisiis sedet, & jus dicit, unum in capite diadema gestans, alterum ad latus positum habens: cum Legis Salicæ manifesta ruptura. Philippus Burgundus, prima Ordinis Aurei velleris à se instituti Comitia Insulis celebrat. Pacem cum Leodiensibus facit, qui Burgundionibus ob præteritam cladem infensi, Comitatum Namurcensem, depopulati fuerant, ad Philippum pertinentem. Gandensium etiam tumultu composito, Philippus cum Iacoba Bavara, super Hannonia & Hollandia, *&c.* transigit, eique maritum reddit. Anglos interea Gallósque invicem decertantes, Eugenius Pontifex pacificare studet. Rex Henricus in Angliam redit. Simultates inter Burgundum & Bedfordiensem, defunctâ Annâ, hujus conjuge, & illius sorore. Burgundus, Borbonium domat, Gallis federatum, quocum Pacem mox facit. Hanc, secuta Pax Atrebatensis, cum Carolo Gallorum Rege, maximâ Anglorum indignatione. Atrebatensis Pacis Leges.

AD cædis paternæ vindictam, Philippus conversus, qui tum vigesimum-quartum ætatis annum agebat; confirmatis per litteras suorum in Gallia animis, inducias primùm, ac deinde pacem cum Anglis fecit.

An. 1420. Horum Regi Henrico, Catharina desponsa est, cum dote Francici regni: excluso adeò ob parricidium Delphino; ut si absque liberis Henricus obiisset, illud sanguini propinquiori cederet. Caroli intereà quoad vixerit, Vicarius, Henricus dictus est, Franciæque Regens.

Cúmque hâc Pace, solus Rex, Burgundus, qui-

quíque partium ejus erant, comprehenderentur, nefásque esset ab ea desciscere; in Delphinum mox, & factionis ipsius oppida, vis omnis & arma incubuerunt. Expugnati Senones, Monterigoli recenti cæde funesti, Meloduni, aliíque, supplicio reservatis, qui mortis Intrepidi conscij fuerant. Parisienses, Philippi consilio sponte accesserunt: eodémque ad Marmoream mensam, citatus Delphinus, ut parricidij caussam diceret, cùm non parêret, bonis, juribúsque fisco addictis, perpetuo exilio multatus est.

Anno sequente, cùm Catharinam in Anglia, Regali diademate cinxisset; novis adductis viribus, Carnutensi obsidione, Delphinum Henricus dejecit: eodémque tempore, asseclas ipsius in Picardia, satis supérque idoneâ clade, Philippus fregit.

Et quia Delphino, undecúmque depulso, nullus erat Biturigibus tutior angulus; tum nunc, tum & aliàs eódem retractus, cùm post Patris obitum, nullam præter eam Provinciam haberet; *Biturigum Rex* appellatus est.

Non fuisset difficile, junctis præsertim Anglorum, Burgundionum, & aliquantis Galliæ, quæ hos sequebatur, viribus, Delphinum, omnibus exutum, in ordinem redigere; nisi fecisset ge-

gemina amborum Regum mors : quam apud Vincentiarum nemus Henricus primùm, mox Parisiis Carolus obiit.

Etsi enim mortuo Henrico, fedus à Burgundo & Anglis, contra Delphinum repetitum sit : imò sepulto jam Carolo, Henricus Sextus adhuc infans, Anglorum & Francorum Rex, præconis voce proclamatus, ad sonitum concinentium tubarum : in ejus denique nomen Ordines omnes, commissâ tantisper Duci Bedfordiensi, Regni procuratione, jurarint; evênit nihilominus, sive fato novi Regis, sive veteris Francorum Regni, ut quantùm Henrici immatura mors, spei Galliæ potiundæ Anglis ademit; tantùm recuperandæ libertatis, Gallis adjecerit.

Sanè enim Henricus Angliæ Rex, ubi accepit Catharinam conjugem, quam domi prægnantem reliquerat, apud Vindesoriam arcem, filium enixam; malè de eo ominatus est, quasi ille locus nascenti puero fatalis foret.

Polydor.
Harpsfel.

Iam & Humfredus Glocestriæ Dux, puerique Regis patruus & tutor, Iacobam Bavaram Ioannis Brabantiæ Ducis uxorem feminam inquietam, sibi copulare ausus, Philippum Burgundum offendit : vel eò maximè, quòd harum ergò nuptiarum, in Hannonia mox, indéque in Hollandia,

dia, bellum sit ortum, quod utrúmque Burgundum, tum patruelis sui Ioannis, tum proprio nomine attinebat.

Accessit & Parisiensium conjuratio, qui cùm Anglorum imperio inviti parêrent, absente Bedfordio, Carolum, portas aperire pacti advocarunt: cúmque successu stratagema caruisset; exitium auctoribus attulit.

Ad Carolum quoque defecit Richemontij Comes, Burgundi sororius: huncque paullò pòst secutus Ioannes frater Dux Britanniæ: etsi intereà Angli, non exiguam cladem, Gallis præsertim nobilibus, ad Crevantum, & Vernolium potissimùm intulissent, Philippi Flandriæ Comitis & Flandrorum ope.

Marcan. Seyssel. An. 1425

Britannorum defectionem, imitati Cenomani, urbe pariter suâ Francos receperant. Sed malecautos Talbotus aggressus, eâ portâ, quam reliquam Angli custodiebant; hostium strage intùs editâ, urbem recuperavit.

Hoc Anno Ioannes Quartus Brabantiæ Limburgiæque Dux, Religionis & optimatum Artium amantissimus Princeps, Vrbis Lovaniensis Ducatus Brabantiæ primariæ, solitudinem ab intestinis sub Wenceslao seditionibus, & ob eas dilapsis in Angliam & aliò mercimoniis, miseratus; ad

Academia Lovaniensis. Vernul.

ad erigendam inibi Academiam, animum applicuit. Erant & alia quæ Principem hùc impellebant, atque in primis consilium Engelberti Nassovij, magnæ tum in Brabantia atque apud Ducem auctoritatis.

Missi itaque ad Martinum Quintum eâ tempestate Pontificem Legati, cum Ducis, Ordinum Brabantiæ, & Senatus Populíque Lovaniensis precibus, facultatem obtinuere, omne Artium & Scientiarum genus, Lovanij publicè docendi prælegendíque, unâ tunc exceptâ Theologiâ, cujus mox doctrinam Eugenius Quartus indulsit.

Et licet præteritis incommodis, nondum omninò Anglos, perpetuus victoriarum cursus defecisset; visa nihilominus lassari eorum felicitas, apud Aureliam: quam urbem ad ripam Ligeris, obsidere, atque ad extrema redigere ausi; didicerunt, haud fas esse quemquam bella gerere invitis fatis.

Etenim Ioanna Darcquia, virgo in agro Tullensi, patre agricolâ ovium custos, cum oblatâ Carolo operâ, primùm ad obsessos commeatum intulisset; mox aucto præsidio, in Anglos erumpens, obsidionem tollere coëgit.

Inde Carolum tenuibus adhuc rebus, Espallij

in Arvernis Regem appellatum, ad ſacra Regni ritè capienda Remos perduxit: expugnatis intereà, aut in deditionem acceptis, Campaniæ & Picardiæ præcipuis oppidis, ipſóque Talboto capto, Anglorum eâ tempeſtate celebri longè, fortiſſimóque duce. Satiùs Angli feciſſent, ſi Aurelianos, ſe ſuamque urbem, in fidem Philippi Burgundi, Angliæ tum, uti diximus, federati, dedere paratos ſuſcepiſſent: ſed quia id armorum ſuorum exiſtimationem, minùs decere cenſebant, quod deinde ſors obtulit, ferre debuerunt.

An.1419.

Polydor.

Etſi verò puella Aurelianenſis, ſive bono ſive malo genio freta (multa enim probroſa in illam jactata ſunt) Gallorum per id tempus adverſus Anglos Amazon, fortis & invicta fuit; minùs ei tamen contra Burgundos, audacia ſucceſſit. Hos perinde, dum Compendio pellere nititur, militum civiúmque ad quos per obſidionem penetraverat, auxilio; veſtis, quam ſuper arma gerebat, indicio agnita, capta, & Anglis tradita, poſt longam quæſtionem, Epiſcopi Bellovacenſis ſententiâ damnata, viva ab eis Rhotomagi cõbuſta eſt.

Atqui intereà (quod Puella non fecerat) virorum robore Compendij obſidio ſolvitur, dum Burgundus, morte Philippi patruelis, Dux Brabantiæ inauguratus, res adhuc ibi ſuas obibat. In

Ca-

Catalaunis item, victi cum Burgundionibus Angli, aliquammultis partim cæsis, partim captis.

Ita retrò sublabentibus Anglorum in Gallia rebus, cùm mandato Henrici Regis defuncti, Normanniam saltem, vetustissimum Anglorum peculium, Bedfordiensis in tuto, uti putabat, collocasset; optimum ratus est, si ad cetera restauranda, novum Regem, novis Anglorum viribus, quantis poterat stipatum, in continentem adduceret.

Appulso Rothomagum Henrico, qui tum decem habebat ætatis annos, subque exitum mensis Novembris Anni M. CCCC. XXXI. Lutetiam petenti, obviâ processerunt, Morerius urbis Præfectus, cum lectissimis quibúsque civibus: Præses Morvillerius habitu Regio, ceteríque Consiliarij purpurâ & cocco vestiti. Pone sequebantur, Libellorum Supplicum & Rationum magistri, Comites ærarij, aliíque à secretis, qui cùm suo quisque ordine, proni in terram Regem adorassent; mercatorum Præpositus, & cum eo Scabini, cæruleum Conopeum, Liliis aureis conspersum, attulêre: idque capiti Regis impositum, totâ urbe sustinuerunt.

An. 1431.

Monstrel.

Palatium ante omnia Rex adiit, in quo sacra Lipsana oblata veneratus, ad hospitium Tornellarum

larum divertit. Postero die, ad saltum Vicennarum profectus est: ubi cùm hæsisset, in diem usque decimum-quartum mensis Decembris, Parisios rediit: & decimo-septimo, in æde Parisiensi primaria Deiparæ sacra, à Cardinali Vincestrio sacratus est.

Belle for.

Inde Palatium ingressus, Regiæ dignitatis possessionem cepit: ibique valvis apertis pro tribunali sedens, caussas, querelásque subditorum audivit, & regni juribus perfunctus est, Regióque sigillo Diplomata munita. Aiunt & cùm inauguraretur, geminum Diadema adfuisse, alterum Regio capiti impositum, alterum sepositum ad latus: claro equidem indicio, duobus eum Regnis præesse.

Et quamquàm hæc eódem manifestè spectarent, nullóque alio fine gererentur, quàm ut confirmaret in Gallia Anglos suos, Francorúmque animos, aut metu aut gratiâ, quæ tum plurima Henrico puero inerat, in officio contineret; libet attamen quærere, ubi tum fuerit Legis Salicæ sacrarium, quo non feminæ tantùm Regiæ stirpis, sed mares etiam ab ejusmodi feminis orti, Sceptro Gallico arcentur? Consenuerat nimirùm, Claudianum illud tonitru: neque solùm in Henrico, quem tractamus; verùm & in ejus patre:

 qui

qui si defuncto nuper Carolo supervixisset; extra controversiam futurus Rex erat, uti salutatus fuerat.

Intereà pridie Kalendas Decembris, prima Ordinis Aurei Velleris, à se nuper instituti Brugis, cùm Elizabetham Portugalliæ Regis filiam, tertio sibi matrimonio copularet, Philippus Burgundus Insulis Comitia celebravit. In eum Ordinem, primùm adlecti sunt Proceres numero viginti-quatuor, quos Aureo torque Philippus donavit, Ignilibus silici allisis, unde scintillæ dissiliunt, (quod patris ejus Ioannis Intrepidi, Symbolum fuerat) contexto, & infrà dependente Colchico Vellere: qui numerus temporis lapsu, in duplum, & quod superat, excrevit. Caussam instituti Ordinis, continent hi versus, è Philippi Epitaphio facti:

Tuta à Nobilibus quò Ecclesia firmior esset,
Nobilis inventus Velleris Ordo mihi est.

Histor. Leodien.

Mox etiam, agente Roberto Episcopo Coloniense, Philippum inter & Leodienses Pax inita: qui odio Burgundionum, ob cladem quam à Ioanne Intrepido sustinuerant, Gallorúmque suasu atque impulsu Comitatum Namurcensem, coacto subitario exercitu depopulati fuerant: captam Polvachiam, quæ plerísque Castrum Smaragdi

Polvachia.

ragdi vocabatur, incenderant, unáque trecentas Villas, triginta-tres Arces, & novemdecim Molendina; Oppidum, denique Bovinienſe obſederant.

Scripti ſignatíque Pacis articuli, decima-quintâ Decembris: *Vt videlicet ipſe Princeps Leodienſis, viginti, è tribus Patriæ Ordinibus comitatus, altero genu flexo, ſubditorum nomine, veniam à Duce peteret.*

2. Duci in expeditione contra Pragenſes, ſemeſtri ſpatio Leodienſes militarent, & cum iis Princeps ipſe, trecentis armatis ſtipatus.

3. Pro refrigerio animarum, qui occubuerant, Sacellum erigerent, in eoque quotidianum Miſſæ Sacrificium, fieri curarent.

4. Turrim Montis Superbiæ cis Dionantum, numquàm reſtaurandam, vetuſq; cum Bovinienſibus diſcordiæ ſeminarium, demolirentur.

5. Poſtremò in damnorum illatorum reparationem, centum millia Nobilium Anglorum, pretio-tenus intra biennium penderent.

Anno ſequente, Gandenſium tumultu compoſito, qui materiam, pecuniariam, auream videlicet argenteámque, quaſi plus æquo metalli haberet, admiſtum, cauſſati, in ſeditionem propè eruperant; Philippus Burgundus, in Hollandos profectus, prælióque apud Wiringam ſuperatâ Ia- Meyer.

cobâ amitinâ suâ, ita cum ea transegit: *Vt illa plenum Dominium; hic verò sibi Hollandiæ tutelam servaret. Ipsa sine consensu Philippi, matrimonio se non daret; absque prole defunctæ, heres idem ex asse esset.*

Ita publica quies, per aliquot tempus emicuit, quæ in nova tandem dissidia erupit. Quippe Iacoba libidinis impatiens, iterum se amoribus mancipaverat, & Franconi Borsaliæ & Veræ Comarcho, à quo beneficiis pecuniáque, cùm maximè egeret, adjuta fuerat, fidem conjugalem pollicita, licentiùs miscebatur.

Sicuti autem amor & ignis, difficulter admodùm occultantur; ita tandem Philippus indignitate facti, non parum commotus, cuncta rescivit: & de improviso Borsalium, Rupelmondam in carcerem ablegavit; atque occidi jussit. Et nisi Castelli Præfectus, à sanguine tanti viri abhorruisset, & callidè supplicium sumtum simulasset; actum proculdubio de Borsalij vita fuisset.

Marchant

Philippus, homo minimè cruentus (uti etiam plerúmque repentina & sanguinaria consilia, pœnitentia sequitur) etiam illacrymasse posteà extremo huic, uti credebat, supplicio fertur. Quem animi dolorem, ubi in vivis eum adhuc esse cognovit, summa lætitia secuta.

Quin eò Philippus abiit facilitatis, ut Matrimo-

mo-

monium Borsalij cum Iacoba, certis conditionibus ratum haberet. Pactum initum: *Vt in universum suo jure illa cederet: Borsalius Comitatũ Osterbandiæ in Hannonia, cujus tum Bouchinium primarium Oppidum erat, sibi vindicaret. Adhæc Dominiũ Zutbevelandiæ, Tholæ, Brielæ, Vornæ in Batavis, cum quibusdam vectigalibus portoriisque. Si liberis augeretur, in Imperio avito succederent: sin secus, cunctæ regiones, ad Philippi Burgundi proximos heredes, devolverentur.*

Atque ita Iacobâ sine prole mortuâ, ad Domum Burgundicam Hannonia, Hollandia, Zelandia, Westfrisia pervenit: eâ vivente, Borsalius splendore Aurei Velleris auctus, atque in flagrante apud Philippum & Carolum gratia, qui semper eum Patruum nuncupavit.

Hæc & alia, Imperij Belgici per id tempus incrementa sunt, per Philippum facta: qui & antequàm Dux Brabantiæ renunciaretur; Comitatum Namurcensem, Bethuniámque, à Ioanne Comite, qui & captus erat, & legitimo carebat herede, certâ pecuniæ summâ comparaverat, relicto ei quoad viveret titulo & usufructu.

Interim Galli & Angli, capiebant & recipiebant ultrò citróque Oppida, illatis pariter acceptísque damnis & cladibus, & quæ sequi rabidum indomitúmque Martem solent; cùm Eugenius Ponti- An. 1433.

tifex, Nicolaum Cardinalem S. Crucis in Galliam misit, pacem si potuerit, compositurum. Id, licet omni explicatâ suadâ, cùm frustrà conatus Cardinalis esset; obtinuit ut Induciæ in sexennium fierent. Non tot mensibus, quot in annos pactæ fuerant, integræ steterunt. Miles quippe, stipendiis utrimque assuetus, cùm per Inducias ea cessarent; cœpit invicem concutere & cædere. Ita ventum ad pristina, libero præsertim Talboto, qui commutatione cum Deloro pariter ab Anglis capto, dimissus est.

Eodem ferè tempore Henricus Rex, in Angliam rediit: defunctáque Anna, Burgundi soror Bedfordiensi nupta, absque liberis; proniorem in Gallos, Burgundum fecit. Accessit & aulici, Burgundum inter & Bedfordiensem, supercilij momentum: qui cùm Audomaropolin convenissent, ut de reçulis quibusdam agerent, (quas expedire anteà solebat Anna) cùm neuter alterum prior adire vellet; ex amicis, hostes tantúmnon abierunt.

Inde contra Borbonium Gallis federatum, Burgundus movit: sicque Francos Burgundiâ pepulit, ut nihil ibi reliquum haberent. Porrò haud contentus vindicasse sua; mox ubi res Brabanticas composuit, novis auctus numeris, talionem à Bor-

Marcan.

à Borbonio reposcit. Parum abfuit, quin omni cum ditione exueret.

Cúmque è Normannia Angli, non minùs Gallos infestarent, uti eosdem in Picardia, Legatus Burgundi Ioannes Luxemburgus; dum Borbonij uxor, conjugi suo, à fratre Burgundo pacem Nivernię impetrat; gradum ad eam fecit, quæ eodem hoc anno, Atrebati est inita. An.1435.

Nam cùm Nivernię tum adhuc Philippus esset; eódem adducti Caroli Regis Legati, dixerunt: *Haud æquum videri, ut pro culpa unius, populus omnis lueret: è quo facilè nunc hominum trecenta millia, Intrepidi manibus, data victimæ fuissent. Eapropter, magis attenderet tot innocentium cædes, quàm culpam unius: quæ, si justè omnia dispicerentur; magis imputanda sit adolescentiæ, cereæ in vitium flecti, & cinctæ ab incentoribus; quàm decretæ malitiæ.* Heuter.

Hæc & alia complura, cùm non absque fructu Burgundo dicerentur, cui tum videlicet cognomentum Boni, fata destinabant; in pacis agitationem consensit. Convenêre Atrebatum, non tantummodò Regis Caroli & Burgundi, sed Anglorum etiam, Burgundo invitante Legati: imò & alij, à totius propè Europæ Regibus & Principibus, sponte missi. Numquàm majus aut studium pacis, aut Procerum splendor fuit. Sed

An-

Angli, in figendis legibus, cùm nullâ re cedere vellent, jusque Majestatis in Galliæ Regnum præfractè vindicarent; visi æquò duriores.

Quamobrem ne toto pacis optatæ desiderio, Orbis terrarum frustraretur; iis profectis, Burgundum, in Ecclesia S. Vedasti preces fundentem, Legati Gallorum adeunt: genuáque flexi, orant obsecrantque, *Vt sedecenni, & improvidæ Regis ætati, eóque circumduci facilis, cùm facinus committeret, cædem Paternam condonet. Iam minorum numero, boni malique discretionem adeptum: neq; parricidij sui umquàm, nisi cum gemitu suspirióque (quod facit indies) recordari. Non ideò deprecari debitum meritúmque pensum; sed id offerre, quod præstare, Regno & honore incolumi, posßit.*

Vim precum, & humi strata Legatorum genua, & oculi madentes lacrymis augebant: jam præsertim cùm & ipsa Boni conjux, supplicantibus & lacrymantibus, sese miscuisset.

Itaque nec Bonus lacrymas tenuit, sive necis Paternæ memoriâ, sive miseratione communium malorum: cùm levatis è terra, Conjuge, Regiísque Legatis, *Solo se teneri jurejurãdo dixit, quò minus quod petebatur impleret. Fas quippe sibi non esse, absq; Anglis pacem facere.*

Iusjurandum, cùm Cardinalis S. Crucis ab Eugenio Papa missus, in se sumeret, vinculo Bonum

num solvit: idque prodigio (si qua fides Annalibus) panis nigrefacti, iterúmque candefacti, cùm malè benéque precatus ei esset, coram omnibus probavit.

Heuter.

Quamobrem hisce inter alias legibus, Pax facta est. *Ut Comitatus Masconensis, Fani S. Gangonis, sive Gangulphi, Auxerræ ad Sequanam, & Castellania Barrensis, Philippo ejusq; posteris, nullo sexus discrimine: Itemq; Civitates Perona, Mondiderium & Roia, cum omnibus appendicibus, eidem Philippo, ejusq; heredibus in recta linea maribus tantùm, cedant, jure perpetuo, possidenda.*

Marcan.

Iura prætereà & emolumenta regia, Civitatum Lingonum, Heduorum & Catalaunensium; Ducibus Burgundiæ accedant.

Ut Rex Ioanni, Philippi filio Comiti Stampensi, Stampas & Guiennam, per Ioannem Burgundiæ Ducem, à Duce Biturigum emtas, restituat, & securè possidere patiatur.

Ut oppida utriq; Somonæ fluminis ripæ injecta, SS. Quintini & Richarij fana; prætereà Corbeia, Ambianum, Abbævilla cum Comitatu Pontiaco, Dorlanum, Crevecœurium, Alluesium, Mortagna, Philippo à Rege tradantur, donec ea per Regem Franciæ, ejusve successores, quadringentis aureorum Liliorum millibus, redimantur, &c.

Pacis enim Atrebatensis capita, suprà triginta sunt: quibus etiam animæ defuncti consultum:

compensata damna annulorum, torquis ingentis pretij, quæ jacenti ablata fuerant: tum quæ illata Nobilibus, apud fedissimam cædem, præsentibus: cautum denique, ut Rege solo, hâc pace comprehenso, ceteri complices, parricidij rei sint, & suppliciorum quæ sequi solent, si teneri queant: sin autem; perpetuo exilio multati habeantur. Exstant in Appendice Concilij Basileensis apud Binium. *Tomo* IV. *p.* I.

Pacem in Cruce, quam Cardinales tenebant, Philippus juravit suo nomine: Regis, Borbonius, Richemontiúsque: moxque totâ Galliâ publicata, mortalibus omnibus gaudium uti attulit; ita mirificè Anglorum animos offendit. Præterquàm enim Philippum, hanc ob rem, *Perjurum & Proditorem* dicerent, in eúmque per litteras, omnes propè Europæos Principes, frustrà licet (cùm interceptæ litteræ forent) concitare molirentur; ejus subditos, toto suo Regno, nonnullis etiam interfectis pepulerunt.

LIBER SEPTIMVS.

BREVIARIVM.

BVRGVNDICIS auxiliis, Galli fanum Dionysij de Anglis recuperant, & alia pleráque tum ipsam Lutetiam Parisiorum. Obsidet

fidet quoque Burgundus Caletes, sed deserere cogitur ob Gandensium pervicaciam. Ludovici Delphini, cum Margarita Stuarta connubium: sed & in patrem conspiratio, quam Burgundus extinguit. Carolus Rex Parisios ingreditur, unde abfuerat annis novemdecim. Catharinam filiam, Philippi Burgundi filio Carolo, nuptum dat. Carolesij Comitatus. Burgundus Carolum Aurelianensem, à captivitate Anglica liberat, eumdémque nepte suâ, & Aureo Vellere donat. Simultates ab incentoribus seri cœptæ, inter Carolum Regem & Burgundum. Henricus Anglus, qui nuper Galliæ Regno excidit, Humfredo Duce Glocestriæ, morte violentâ sublato, gradum sibi pariter ad amittendum Angliæ Regnum facit, quod, demum accidit: sicque impletum Henrici quinti vaticinium. Burgundus, Ducatu Luxemburgensi augetur, cedente Elizabethâ Antonij Brabanti, & Ioannis Bavari viduâ. Casleto præterea, ejúsque ditione. Constantinopolitani Imperij, eversio: quam ad Taurinum, Christiani ulciscuntur. Constantinopolitanum excidium, Litteras Græcas, in Occidentem adduxit. Ars Typographica, opportunè tum reperta. Curiæ Civicæ, Bruxellæ, Lovanij splendidè erectæ. Ludovicus Delphinus, è Delphinatu ob patris iram profugus, in Belgium ad Philippum venit. Honorificè exceptus, & sollicitè ac liberaliter habitus. Caroli Regis, præsagum responsum, ad Burgundi Legatos. Brugensium de Ludovici adventu in Belgium, haud recta opinio. Mariam Caroli Burgundi filiam, Ludovicus Bruxellæ è sacro fonte suscipit. Ducit & ipse Carolinam Ducis Sabaudiæ filiam. Pax Gallica, adventu Ludovici in Belgium, nutat: verùm Burgundi fortunam, Superi texerunt. Ædes D. Petri Lovanij combusta, & elegantiùs reædificata. Pius Secundus Pontifex, in abolenda Pragmatica sanctione, laborat. Ludovico Delphino, nascitur apud Genapiam, magnâ Philippi lætitiâ Ioachimus: quem Carolus è fonte levat. Nata ibi etiam Anna. Ludovicus utrum Litterarum peritus, vel imperitus & operam dederit eis apud Genapiam? Non videri: sed turbando potius, quod demum fecit, Regno. Philippi Burgundi infirmitas: & Caroli Regis, à filio sibi metuentis, obitus. Quo nuntio, lætus Ludovicus, patri justa persolvit: & deducente Burgundo, Remis coronatur.

ATQVI intereà cùm fanum Dionysij Angli occupassent, quod nihilominùs anno sequente, Burgundionum ope, tersi hanc

minimè præstare Philippus teneretur, recuperatum est) Galli expugnato Ponte Meduntæ, Rothomagum à Lutetia resciderunt. Auxit & Anglorum dolorem, Ducis Bedfordij mors, aliaque in Normannia Campaniáque, amissorum oppidorum detrimenta, imò ipsius Lutetiæ Parisiorum: quæ, uti libenter Burgundis deditionem fecit; ita cum plausu vidit apud se erigi, Ducis Philippi militare vexillum. Sic enim convenerat Pace Atrebatensi, ut quamquàm, Regi Gallisque Burgundi mererent, non mutarent attamen belli signa.

Marcan. Obsidet etiam Philippus Caletum, Artesiæ feudum, Flandrorum inter alios, quadraginta millibus instructus. Hîc ei contigit, quod olim Intrepido apud Mondiderium: ut mirum sit, tam facilè oblitum fuisse propositi paterni. Nam cùm portum Caletensem, Hollandi, loco haud opportuno, demersis navibus, claudere non possent; Gandenses in seditionem versi, cæmentario quodam auctore, nequidquàm obsecrante contrà Principe, discedunt, impedimentis etiam apud castra dimissis. Alij mox secuti: tanto Principis cordolio, ut vis animi, in morbum erumperet. Atqui hanc Flandrorum proterviam, cùm Bonus haud posset, hostis ultus est, latè per Flandriam populatus.

Sub

Sub id tempus Carolus Rex, Ludovico filio tredecenni, quem tum unicum habebat, matrimonium cum Margarita Stuarta Regis Scotiæ filia, pridem ei desponsata conciliavit. Id Gallicas fulcire res poterat, nisi mox Rex Scotiæ Iacobus, patrui conjuratione & fuisset interemtus, & ipse Ludovicus Delphinus, juvenis naturâ immanis, moribúsque acerbis. Buchan.

Cupidus enim ante tempus sui juris esse, cùm aliquot nuper turbinibus, in Patrem conspiraverat, conatus etiam collecto exercitu, & adducendo in factionem Philippo Duce Burgundiæ, adimere ei Regnum, sibíque vindicare. Philippus, facinus indignum detestatus, conjuratos ratione & auctoritate, ab incepto deterruit, & supplicantibus, veniam ab Carolo impetravit: nisi quòd nothus Borbonius, auctor consilij creditus, & ob id culeo insutus, apud Barrum, in profluentem demersus est. Atque hoc, primum fuerat inquietis Ludovici rudimentum, qui tum annos ætatis undecim circiter habebat. Vt haud mirum sit, si majore posteà natu, majora versatilis ingenij, monumenta designarit. Æneas Syl. Comin.

Dum hæc aguntur, Philippus iterum, intestinis suorum tumultibus, agitatus est. Brugenses inaudito facinore, dum per mediam illorum civi-

tatem iter molitur; præcipuâ Nobilitate occisâ, vix à Comite manus abstinuere, nisi ruptis portarum obicibus, fugâ evasisset. Conati videlicet in Philippo sunt, quod posteà Maximiliano fecerunt.

An. 1437.

Eam injuriam concoquere, generosus ejus spiritus nequivit, tametsi Boni cognomentum meritò obtinuit, Civium magis Pater quam Princeps. Lentâ obsidione urbem, mercaturâ eâ tempestate florentissimam, ad incitas ferè redegit. Ipsum facinus, Principes conjurationis octodecim, suo sanguine expiarunt. Ceteri cives ingenti ære, vitam & gratiam redemerunt.

Intereà Lutetiam Rex Carolus cum filio Ludovico, Proceribúsque repetiit, quam nunc annis undeviginti non viderat. Magno uti par erat, honore exceptus, filiam inde suam Catharinam decennem Virginem, Carolo Charolesij Comiti desponsam, Cameracum misit: sed quæ pauculis pòst mensibus aut annis (variant enim Auctores) exspiravit.

Charolesium.

Charolesium, quod & *Quadrilesium*, & *Carcella*, & *Cariala*, & *Quadrila*; pars fuit Ducatus Burgundiæ: estque Comitatus ex Castellaniis Montis S. Vincentij, Sine-Vineis, Salvamenti, Dundani, Arcusij, &c. conflatus. Illud Hugo IV. Dux Burgun-

Vred.

gundiæ Anno 1272. testamento legavit Beatrici, filiæ Ioannis Burgundi, ex Agnete, filia Archembaldi, Domina de Bourbon, nepti suæ, Roberto Claromontano, filio S. Ludovici, nuptæ: unde natus Ioannes Claromontanus, frater Ludovici primi Ducis Bourbonij, ex Ioanna Argeria, procreavit alteram Beatricem, quæ Charolesium in dotem attulit Ioanni primo Comiti Armeniaco, à quo Philippus Audax eundem Comitatum emit, ac Philippo nepoti dedit, à se de sacro Fonte suscepto: hic Carolo filio, pariter dum baptizatus est.

Decessit & Sigismundus Augustus, è familia Luxemburgica quartus & postremus, Anno Imperij sui vigesimo-septimo. Vti staturâ & sapientiâ; ita belli, sed pacis studiis præcipuè clarus. Plat. Francorum, Anglorum & Arragonum Reges, quemque domi suæ adeundo, ipsumque in Italia Pontificem convenit, Paci Orbis & concordiæ Ecclesiæ sanciendæ. Itaque Concilij Constantiensis auctor fuit, in quo & nocte Natalis Domini, faciente Ioanne Papa Vigesimo-tertio, Evangelium uti Diaconus cecinit, *Exiit Edictum à Cæsare Augusto, &c.* & Orationem Latinam habuit, omni Religiosâ pietate, & Christiana religione plenam: quam auribus suis Ioannes Ger- Funec. Conc. Const.

son,

ſon, non ſine pia compunctione, ſe lætum audi-viſſe narrat.

Interfuit deinde, cum ornamentis & inſignibus Regalibus (uti & in Baſileenſi Concilio) diverſis Seſſionibus: ac demum Martinum Papam quintum noviter electum, à dextro, & Fridericus Marchio Brandeburgenſis à ſiniſtro, per equi frænum, ab Eccleſia Conſtantienſi, ad Cœnobium S. Auguſtini, pompâ ſpectabili deduxit.

Bohemiam, quam morte Wenceſlai fratris adierat, turbatiſſimam, præſertim ab Huſſitis hæreticis habuit: quorum Dux Ioannes Ziſca, manu & conſilio promtus, omni prælio (ſuprà viginti fuere) victor & indomitus fuit. Bohemos itaque, quos homines non poterant, Deus ſubegit: quia ſibi relicti, mutuis ſeditionibus confecti ſunt.

Goltz.

Ziſca interim, Vrbem in præaltis rupibus, loco naturâ munitiſſimo condidit, cui Thaboris indidit, nomen, unde Thaboritæ ſunt dicti. Moriens ſuis edixiſſe fertur, ut cadaveri ſuo detractâ cute, tympanum ex ea facerent: cujus percuſſi ſonitus, in præliis terrorem hoſtibus adferret.

Æn. Sil.

Albertus inde Secundus, Dux Auſtriæ, Sigiſmundi gener hereſque Regnorum, Cæſar creatus, id etſi toto haud biennio tenuit; ab eo tamen Au-

ſtria-

ſtriacæ gentis Principes, Romani Imperij faſtigium Majeſtatémque, quaſi per manus traditam, in hæc uſque tempora non interruptâ ſerie, per Annos jam ſuprà ducentos, cum ſumma rerum geſtarum gloria, ac Reipublicæ Chriſtianæ commodo, feliciter tuentur.

Eodem Anno Ioannes Palæologus Græcus Imperator, cum Patriarcha Conſtantinopolitano, magnóque Orientis Antiſtitum numero, Ferrariam ad Eugeniū venit: & Baſileenſis Conventus, monſtrum quod parturiebat, maturavit. Eugenio Pontificatus abrogatus, & Amadeo Sabaudiæ Duci, (is cum paucis familiaribus ſtudio ſanctioris vitæ ſeceſſerat) delatus.

Acta. Conc. Flor.

Subinde Florentino Concilio, Græci, Palæologo præſente, convicti tandem, ad Latinæ Eccleſiæ religionem, Romaníque Pontificis auctoritatem, ſummâ omnium gentium lætitiâ & gratulatione rediere. Mox Armenij Indíque, Concilij auctoritatem ſecuti, in lætitiæ cumulum acceſſere.

Permiſſum Græcis, ut ſuo ritu, in Baptiſmo uterentur: fermentatum Panem conſecrarent: uxores ante Sacerdotium ductas, haberent. Ita peracto Florentino Concilio, & abeuntibus Græcis, Eugenius Baſileenſem Conventum diſſipa-

Platina. vit, Equitatu in eum, per Francorum Regem Carolum, Ludovico Delphino ducente, immisso.

Mox Philippus Burgundus, Carolum Aurelianorum Ducem, Ludovici, jussu Intrepidi occisi filium, in prælio apud Azincuriam, à vigintiquinque nunc annis captum in Anglia; numeratis è proprio ducentis aureorum Liliorum millibus, redêmit: datáque in uxorem nepte, atque Aureo Vellere cinctum; arctissimo sibi demùm amicitiæ nexu devinxit. Fuerat is, captivorum apud Anglos ultimus, Carolo videlicet Comite Vgellensi, à biennio libertati restituto, contra Comitem Somersethi; quem Bourbonius, Vgellensis frater, pariter detinebat: ut si quid expiandæ cædi, ab Intrepido commissæ restaret; id hujus filius, in alterius filio liberando, dissolveret.

An. 1440. Marcan.

Eâ tempestate circiter Fredericus Austrius Imperator, Coronâ argenteâ Aquisgrani redimitus, per Burgundiam in propria rediens, variis à Philippo Bono, Vesontione lætitiæ generibus, excipitur, magnísque muneribus ornatur: cedens omni jure quod Imperij nomine in Brabantiam, Hollandiam, Zelandiam ac Frisiam habebat.

Heuter.

Et quamquàm res Gallorum, majora indies incrementa caperent, Anglorúmque deficerent, non pace tantummodò, sed & ope Burgundionum

num; habebat tamen in aula Caroli Dux Philippus æmulos suos, occultósque hostes, qui cædibus & rapinis assueti, maluissent bella pristina, quàm nuperam pacem servari. Inde fuit, quod præstitæ semel fidei, Regem monuerit Philippus: qui tum quidem obstacula temporis caussatus, animum ceteróquin promtum paratúmque ostendit.

Meyer.

Cúmque per id tempus, haud negligeretur occasio, transigendi cum Anglo; ita tamen, magis suorum quàm suópte consilio se gessit Henricus, qui Margaritam, Renati Andegavensium Ducis filiam, ruptâ fide quam Comitis Arminiaci filiæ dederat, uxorem duxit; ut quod in amittendo Franciæ Regno infortunium passus est, id ei futurum pariter in Anglia, fata præsagirent. Humfredo etenim Glocestriæ Duce, qui jam per annos vigintiquinque, rerum in Anglia habenas tenuerat, & Andegavenses nuptias dissuaserat, sive æmulatione Reginæ regnandi avidæ, sive Procerum odio & vindictâ, strangulato: finitis adhæc, quæ sæpiùs repetitæ fuerant, aut fractis induciis; intra proximum quinquennium Normanniâ & Aquitaniâ, (etsi hanc Talboto duce frustrà recuperare tentarint) Angli depulsi sunt: ortáque domi Principum factione, (cujus auctor

An. 1444

Polyd.

 erat

erat Richardus Eboracensis) Henricus superatus: ac deinde Richardo victo & interemto restitutus, auspiciis Margaritæ conjugis: iterumque cum ea fugatus è regno, iterumque redditus; ad extremum ab Eduardo pugnâ victus, unà cum filio, interemtus est.

Ita impletum patris Henrici V. vaticinium, qui ad nuntium nati sibi ad Vindesorium filij, dixerat: *Hic Vindesoriensis, omnia infeliciter amittet, quæcumq; ego Monumethensis, feliciter acquisivi.* Optare videlicet Angli poterant, pacis Atrebatensis occasionem redire, quâ, offerentibus Gallis, licuit eis, sub pactis legibus Normanniam & Aquitaniam possidere, si Franciæ regni titulo, abstinere voluissent.

Harpsf.

Omne sub regno graviore regnum est:

Seneca.

non fecerunt.

Burgundus intereà, invocatus ab Elizabethâ Goritia Antonij Brabanti, & Ioannis Bavari viduâ, & ob id amita matertera que sua, quòd à subditis injuriâ molestiáque afficeretur: Luxemburgum, contra Saxonem, armis occupavit. Et quoniam Ducatus iste, à Wenceslao Imperatore & Sigismundo, Elizabethæ avunculis, assignatus eidem pro dote fuerat, donec centum viginti florenorum millia, numerarentur; annuâ jam

Ducatus Luxemb.

pen-

pensione contenta, jus Burgundo suum, cessit: frustrà repugnante Brunsvicensi, qui tum posteà pecuniis placatus est. Cornelium itaque nothum suum, Burgundus Luxemburgo Præfectum imposuit: moxque adeptus est Casletum in Flandria, annexámque ditionem universam, transactione cum Renato Lotharingiæ Duce, qui tum pridem prælio Barrensi captus, in ære Philippi Ducis erat.

Casletana ditio.

Marcan.

Secutus est Annus M. CCCC. L. Iubilei celebritate insignis. Tanta affluxit multitudo peregrinorum, ut occursante fortè mulâ, in ponte Adriani, cùm è Vaticano semel visâ Salvatoris Imagine, ad Vrbem redirent, ducenta hominum corpora, mutuâ collisione, obtererētur, absque eis qui decidentes à pontis lateribus, flumine hausti sunt.

An. 1450.

Platina.

Ad eadem Sollemnia, Iacobus Archiepiscopus Trevirensis, cum Metensi Antistite Conrado, ac centum & quadraginta equitibus profectus; inter alia quibus à Nicolao Papa V. prolixè affectus est, erigendæ Treviris Academiæ, in quâ omnium facultatum Magistri & Doctores haberentur, præmium habuit.

Trithem.

Academia Trevirensis.

Sequenti Anno, munivit Vrbem Pontifex, milite simul & turribus, quòd venturum Fredericum intellexerat, tum Coronæ, tum Nuptia-

rum causâ. Desponderat enim sibi Imperator Eleonoram Eduardi Lusitani filiam, Alphonsi Neapolitani agnatam: quam Senis offendit, jam ex Hispania advectam. Benedixit Nicolaus nuptiis, amboſque Augustalibus exornavit, Ladislao Hungariæ & Bohemiæ Rege, atque Alberto Austriæ Archiduce Frederici germano, præsentibus.

Platina.

Pòst Imperator Româ Neapolin divertit, ubi nuptiis cum Eleonora celebratis, Regeque Arragonum Alphonso salutato; ad propria remeavit.

Trithem.

Mox Christianorum in Græcia res, & reliquias Orientalis Imperij, Mahumetus Secundus, Amurathi filius, Turcarum Imperator, gravissimè concussit. Obsessam oppugnatamque quadringentorum millium exercitu, quinquagintaquatuor continuis diebus Constantinopolin, (cujus ambitum centum & undecim stadiorum, prodit Laonicus) cepit, 4. Kalendas Iunij, festis videlicet Pentecostalibus Spiritui sancto sacris, quando jam plus duodecies, suam in eum fidem, Græci fefellerant.

Constantini Palæologi Imperatoris, occisi in mœnibus, præcisum caput, hastæ impositum, Turcis ubique spectaculum fuit: Nobiles innumeri, & Ecclesiastici ad nongentos, qui in Ecclesia S. Sophiæ Divinis officiis, diu noctúque per agen-

agendis merebant; mactati, membratímque secti: excoriati Monachi, violatæ cæsæque Virgines & Matronæ: dejecta Altaria, Crucifixi imagines stercore lotióque fedatæ: humani sanguinis rivis, plateatim fluentibus.

Hanc cladem, Anno hujus sæculi quinquagesimo-secundo, non ut alij tertio, Maffæus adscribit, quæ Ducem Burgundiæ adeo affecit, ut ad Imperatorem Fredericum profectus ipse sit, de bello contra Turcas acturus. Id testatur Æneas Sylvius, qui & Imperatori aderat, cum cladis nuntium acciperet. Et quamvis eam, pauculis pòst annis, ad Taurinum Christiani sint ulti, divinâ potiùs quam humanâ ope, prostratis quadraginta Turcarum millibus; non ultrà tamen Constantinopolin redierunt. Quapropter sicuti Romanum in Occidente Imperium, quod Augusto Cæsari initia sua debebat, in Augustulo, uti suprà meminimus extinctum est; ita Constantinopolitanum, auspiciis Constantini Magni in Oriente excitatum, in altero & ultimo Constantino defecit.

An. 1452. In Chron.

Epistol. 127.

Crediderim iratum Numen, castigasse toties repetitam in Spiritum Sanctũ hæresin: quam etsi Imperator Ioannes Palæologus in Synodo Florentina ejurasset, Constantinus tamen, Marco

Ephe-

Ephesino auctore revocaverat: & dissidia, quibus invicem Græci collidebantur, unico Orientali Imperio, in tria regna secto.

Vtut est, triste & deplorandum excidium, eátenus tolerabile visum, quòd per id Græcæ Litteræ in Occidente revixerint, auctoribus Lascare, Chrysolorâ, Chalcondyla, Bessarione, Trapezuntio, Argyropylo, Marullo, Græcis doctissimisque viris, ex Oriente in Occidentem delatis: sicque repeti quadámtenus potuerit Horatianum illud:

Lib. 2. Epist. 1.

Græcia capta, ferum victorem cepit, & Artes
Intulit agresti Latio.

ubi videlicet anteà valebat id Iuvenalis:

Sat. 3.

Iamq; vetus Græcos servabat cista Libellos,
Et divina opici rodebant carmina mures.

Nam posteáquam Despotes Imperatoris frater, Romam, cum gentis ejus reliquiis confugisset; *Vix credibile est, quàm multi nostrorum pœnè Græci effecti sint quasi in Attica vel Achaia consueti, facultatemq; compererint, Græca volumina pertractandi*, inquit Angelus Decembrius.

Lib. 1. Polit. Litt. part. 8.

Restitutis perinde eâ tẽpestate Græcis Litteris, Latinis verò detersâ barbarie affatim florentibus; commodùm accidit, ut magnorum ingeniorum commendandis tum æternitati fetibus, Ars Ty-

po-

pographica crebesceret, nuper reperta & inchoata, sive Argentorati sive Moguntiæ: reclamantibus tamen Batavis, qui Harlemio famam eam vindicant.

Ars Typographica. Naud. Boxhorn. S.

Imprimit illa die, quantùm non scribitur Anno.

An. 1455.

Anno M. CCCC. LV. perfecta Curia Civica Bruxellæ, fastigióque turris imposita Archangeli Michaëlis statua versatilis, pedes alta duodecim: quarto nimirùm & quinquagesimo anno, postquàm totius ædificij posita fundamenta fuerant. Exstruebatur eodem tempore Curia Lovaniensis, è secto lapide, figuris & emblematis variè ornata: elegantiæ atque opulentiæ ejus tum Oppidi insigne monumentum, annorum spatio septemdecim perfectum.

Curiæ Bruxellensis & Lovaniensis. Gramm.

Porrò Ludovicus Delphinus, decennio circiter in Delphinatu egerat, populúmque uti vectigalibus & exactionibus oppresserat, ita Ecclesiæ Romanæ in vicino rebus plurimùm incommodaverat; cum elatâ pridem uxore viduus, tantam, nescio qua de caussa, Patris indignationem (nisi quòd ferebatur concubinam ipsius, Agnetem, toxico sustulisse) incurrit; ut misso Dommartini Comite, cum instructa militum manu, nolentem volentem, ad se adduci jusserit. Quod ubi Ludovicus accepit; celeribus equis in Bur-

Meyer. Æn. Sylv.

gundiam, inde in Brabantiam, stipatus custodibus, ad Philippum (etsi olim Patris hostem) evasit.

Summo honore ab eo exceptus, domicilióque, quod apud Genapiam (olim Lothariam) elegerat, & tribus aureorum millibus in menses singulos donatus est. Mox ad Carolum Regem, Legatos Philippus misit, qui significarent gratissimum sibi fuisse Regij juvenis adventum: seque eum, quo par erat cultu & cura, Patris ergò habiturum.

Marcan.

Neque stetit intra formulam humanitas. Nam cùm per id tempus venatum, unà cum Carolo Philippi filio, Ludovicus exiisset: separatíque, ut fit, ab invicem, ille quidem ad vesperam Bruxellas rediisset, hic ignarus viæ erraret; Philippus sollicitè filio mandat, cum tædis & facibus recurrere ad silvam, neque redire, nisi reperto Delphino. Fecit: & octavo à Bruxella milliari, domũ reduxit.

Rex interim filij rebellis Delphinatum, occupavit: cúmque ad Legationem pristinam, nihil respondisset; recentibus qui missi fuerant, dixit: *Videret utiq; Philippus, ne lupum aleret, qui oves ejus aliquando devoraret.* Vox plena mysterij.

Meyer.

Neque defuerunt, Brugis præsertim, ubi cum Philippo Delphinus fuerat splendidissimo apparatu exceptus: plurimúmque delectatus opulen-

tis

opulentis ludis atque ſpectaculis, nec non annuis Encœnorum feriis, omniáque tacitè admiratus; qui contemplati hominis ingenium dubitarent; *An non eſſet callidè à Patre miſſus, tamquam opum rerumq́; Philippi avidus explorator*: ut propterea doluerint, vitæ periculum, quod ſcaphâ piſcatoriâ, ludendo in aquis, tantum-non adierat evaſiſſe.

Atqui filiam, quæ Bruxellæ Carolo Comiti Quadrilegij, ex Iſabella conjuge, magnâ omnium lætitiâ nata erat; apud Baptiſmi fontem tenuit, Mariámque, ex nomine Reginæ matris ſuæ, nominavit. An. 1457.

Ipſe etiam, Carolinam Ducis Sabaudiæ filiam, pridem ſponſione addictam, at nunc Namurcum accerſitam; feſtis ſibi nuptiis copulavit: quibus Philippus Dux haud interfuit: fortè quòd eas Rege Carolo, ut ferebatur inſcio, contraheret.

Quidquid ſit, Anglis è Gallia exactis, adventúque Ludovici in Belgium; nupera Pax nutare videbatur: quam licet Burgundus non eſſet ſuapte rupturus, finitimis attamen oppidis præſidia diſponebat, contra copias Regis, quas clarum erat moveri: ſpecie quidem recepti Delphini; at reverà expetendæ à ſe ultionis. Sed præter occulta conſilia, nihil foras erupit: etſi quoad vixit, bellum magis quàm pacem velle, Carolus, liquidò

visus sit. Veteris odij fermentum, nondum erat excoctum, ideóque fœdera potissimùm pacémque eorum ambiebat, puta Ladislai Austriaci Hungariæ Regis, & Henrici Anglorum; quos sciebat Burgundiæ Duci esse infensos: hunc quidem ob pacem Atrebatensem: illum ob Ducatum Luxemburgensem.

Pax interim felicitásque Burgundi, curæ Superis fuit, ut ne Delphini quidem, consilia audire voluerit, se contra patrem seu verè, seu simulatè, concitantis. Quapropter vidit æmulos suos, aut præproperè vitâ defungi, ut Ladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem, qui duodevigesimo anno ætatis obiit, veneno ab Amasia Bohemica, per manubrium cultri, quo pomum diſciderat, tinctus, quòd Magdalenæ Gallicæ nuptias affectaret: aut intestinis tumultibus exerceri, ut Henricum Regem Anglorum, cui pax tandem Gallica exitio fuit, cùm in eo Angli culparent, *Quòd Aquitaniam & Normanniam, ex pacto cessisset.*

Comin.

Conflagravit hâc circiter tempestate, Ædes D. Petri Lovanij, cœpítque mox erigi nova, admirabili artificio ac symmetriâ, si attentè tota spectetur intùs: si foris, imperfecta vestibulo, turriúmque casu deformis.

Ædes D. Petri Lovanij.

Callisto III. Pontifici, successit Pius II. qui quan-

quantùm Gallis anteà, in Pragmatica ſanctione condenda faverat; tantùm nunc in abolenda conari cœpit, ſed exiguo aut nullo ſucceſſu. Perierat antiqua Gallorum, erga Sedem Apoſtolicam obſervantia: jamque inops & tenue regnum, atque unius propè ſæculi bellicis ſumtibus exhauſtum, avaritiæ ſtudebat: aut certè indignabatur Romam mitti, quod ſolebat Avenione detineri, & inde reciproco fluxu, totam quàm lata eſt Galliam inundare.

Quod enim è Beneficiis ſive Sacerdotiis Eccleſiaſticis, Ioannes Vigeſimus-ſecundus, aut Bonifacius Nonus, Curiæ Romanæ vindicaverant: eorumdem Exſpectationes & Reſervationes: ſimul quæ pro Palliis & Inveſtituris exigebantur, à Concilio Baſileenſi, reciſa cuncta peculiaribus Decretis fuerant, è quibus Carolus Rex, publicè mox jus dici imperaverat, conditâ Sanctione, cui Pragmaticæ nomen.

Concil. Baſ. ſſ. 12. 21. & 31. Ganguin.

Ludovico Delphino in Brabantis apud Genapiam, natus eſt è Carolina Sabauda filius, cui Ioachimi nomen inditum, ſuſcipiente è ſacro fonte Comite Quadrileſij: quem Ludovicus pater, Regiam exinde ſibi majeſtatem vindicans, mox Normanniæ regulum dixit. Et quamquàm brevis admodùm ævi, paucorum videlicet die-

An. 1459.

Belcar.

rum puer iste fuerit; editi nihilominus in lucem nuntio, adeo Philippus exhilaratus est, ut bajulum donaverit nummis aureis mille, quos Leones appellant. Erat enim princeps, absque fuco magnanimus, quique Delphinum, veluti futurum aliquando Dominum suum, sincero cultu prosequebatur: ut numquàm eum accesserit conveneritve, nisi poplite flexo, capitéque aperto. Iam cùm unà equitarent sive incederent; ponè sequebatur potiùs, quàm se ejus lateri adjungeret: magno sanè generosæ mentis indicio.

Marcan.

Opinor eodem loco, natam esse Delphino filiam Annam: cúmque ibi otio abundaret; sunt qui putent studio litterarum & historiæ, uti & anteà in Delphinatu fecerat, operam dedisse: neque tam fuisse imperitum aut amusum, quàm vulgo audiat. Genebrardus alióquin, *Virum ferocem, versatili ingenio, osorem litterarum*, appellat, *quiq; nollet filium suum Carolum, plus discere Latinæ linguæ, quam illa quinq; verba:*

Naud.

In Chron.

Qui nescit dissimulare, nescit regnare.

Idem testatur Pap. Massonus, aliique complures: adeo ut *Ludovici consilium* (cùm nimirum ad Regnum pervenisset) *malè interpretati nobiles Franci, nullum litterarum genus non contemserint.*

Lupan.

Quod profectò nemini mirum videri debet, quandoquidem, *Com-*

—— *Componitur orbis*, Claud.

Regis ad exemplum:

Faciliúsque sit errare naturam, quàm vt dissimilem sui Princeps, possit formare Rempublicam, aiebat Theodoricus Rex apud Cassiodorum. Epist. 12. lib. 3. var.

Verùm hisce non obstantibus, cuidam viro docto, aliter, ut dixi, visum est, huncque esse planum in Ludovico errorem, quales olim de veteribus Francorum, in Gallia Regibus, excogitatæ plures fabulæ sunt, & mera commenta. Naud.

Nam quòd filium Carolum, noluerit studio litterarum tradere; non harum odium, sed illius imbecillitas fuit, quem pronâ jam, atque in senium præcipite ætate genuerat: ut nimirum à chartis eum librisque arcuerit, *Volens providere*, teste Ganguino, *Caroli infirmitati, cui infantiam non satis firmam esse conspiciebat.* Vti enim anteà Ganguinus dixerat: *Teneris atq; imbecillibus membris adeo Carolus fuit, ut sedulò duci illum, & gestari molliter, priusquàm solidè incederet, oportuerit.* Lib. 11. Histor.

Quare si solida virorum corpora, Minerva, *à minuendis viribus* dicta, ac litterarum studia, lassare & attenuare solent, consumtis videlicet spiritibus, pravisque humoribus congestis; quid de teneris dicemus, & è fragili potiùs ovo, quàm robustâ matre natis?

Por-

Porrò autem non fuiſſe eam mentem omnis Gallicanæ Nobilitatis, ut per id tempus genus omne Litterarum contemſerit ; conſtat ex aliquammulto virorum nobilium numero, qui præterpropter floruerunt, rerum peritiâ elegantiâque conſpicui.

Deniqúe cùm perſpicaci bonóque ingenio præditus fuerit Ludovicus, *Quémque uno ore omnes ſentiebant Principem eſſe nullius animi præſtantiæ inopem : quinimò ad fortunæ dignitatem, eâ eſſe magnitudine animi, ingeniíque ſplendore ; ut reliquos omnes ejus ætatis Principes longiſſimè antecelleret*, inquit Philelphus : habuerítque à pueritia, in Latinis opinor Litteris, Ioannē de Arconvalle Magiſtrum: imò clarè teſtetur Clemangis Archidiaconus Baiocēſis, vir eâ tempeſtate eruditus, Ludovicum à ſe flagitaſſe, *Quædam Moralis Doctrinæ rudimenta, quibus veluti quibuſdam gradibus, ad apprehendendam virtutem niti poſſet* : apud Genapiam verò delectatus fuerit Ioanne Collemanno celebri tum Aſtronomo Geographóque, à quo fuerit eas diſciplinas edoctus : poſtremò Regiam Bibliothecam provexerit, Librorúmque habitus æſtimator ſit, imò & unius auctor ad Carolum filium, cui titulus : *Le Roſier des Guerres* ; quid ſupereſt, quàm ut Latinè ſciverit : Ethica atque Politica ſit edoctus : deniqúe calluerit eas artes, agen-

Epiſt. 35. lib. 17.

Epiſt. 56.

La Croix. Savaron.

agendo utiquè & audiendo, quæ Principem rectorémque populi decent, & quas exposcit Ægidius Romanus eo Opere quod in gratiâ Philippi Pulchri elucubravit, ab annis propè quadringentis?

Part. 2. lib. 2. de Regim. Princ. c. 8.

Et quamquàm nolim oppedere, hujus ita sentientis sive scribentis ingenio: minùs adhuc cuicumque scientiæ Ludovici, quam in omnibus venerari, atque in Principibus potissimùm colere par est: cùm tamen vix ab eo aliquid, præter fraudes & dolos, callida consilia & perjuria, cædes & aconita, jurium alienorum eversiones atque insidias, toto quo regnavit tempore profectum sit; existimo longè probabiliora dicturos, qui quoad in Delphinatu & Brabantia, otio libero & securo gavisus est, hæc quæ posteà patravit designasse potiùs, quàm qui operam Litteris studiísque honestis dedisse dixerint. Iam tum enim ejus sententiæ fuisse, *Neminem in Gallia Regem regnare posse, donec tot in ea minores reguli forent, puta Duces & Comites*, Meyerus testatur.

Annal. lib. 17.

Quapropter existimo, meditari exinde cœpisse, quomodo eminentia papaverum capita decuteret, id est emblemate Tarquinij Superbi, Principes tolleret, cùm ad Regnum ipse pervenisset. Neque admodùm refert, quod per id tempus

 Ioan-

Ioannem Collemannum Aſtronomum, in pretio habuerit; quandoquidem teſtetur Seiſſellius, aſſeclas tum Ludovici, adeo Caroli patris mortem deſideraſſe, ut in eam, partim auguriis & divinationibus, partim aſtrologicis commentis, imò excantamentis, inquiſierint.

Vit. Lud. XI.

Germaniæ illuſtrandæ, in qua verſatus pridem fuerat, ſummopere deditus Pius II. Academiam ſcientiarum omnium Baſileæ erexit: quam mox ſecutæ haud magno annorum interſtitio, ſub aliis Pontificibus Friburgenſis Briſgoiæ, ad Annum 1467. Tubingenſis, 1477. Ingolſtadienſis, 1479. circiter: Moguntina, 1482. ut conſtet eâ tempeſtate Germaniam clariſſimis virtute & doctrina viris vehemẽter efflorüiſſe: præſertim cùm jam antè Viennæ ad annum 1237. Heydelbergæ, 1346. Erfordiæ, 1391. ſed & alibi, uti oſtendimus, Studia pariter œcumenica frequentari cœpta ſint.

Middenl.

Sub id tempus Dux Philippus, neſcio quo morbo tentatus, paſſi capillitij jacturam facere debuit, ex præſcripto Medicorum. Eam ob rem ludibrio muſſitanter habitus, edixit nobilibus omnibus, Comam demetere. Vno die quingenti, Bruxellæ paruerunt, aliis mox alibi ſecutis, etſi non duraturâ praxi.

Marcan.

Pejor

Pejor fuit animi corporíſque infirmitas, quæ Carolum Regem anno ſequente prehendit, victimámque nil miſerantis Orci fecit. Ladiſlai Hungariæ Regis nuper defuncti, mortem, graviter tulerat, quòd & eum ſibi generum, traditâ in Matrimonium filiâ Magdalenâ, facturus erat, ſi vixiſſet; & hoſtem Philippo, nomine Ducatus Luxemburgenſis, quem ad ſe Elizabethâ mortuâ pertinere, Ladiſlaus obtendebat. An. 1461.

Acceſſit ad eum mœrorem, perpetuus à filio Ludovico metus: quem ſibi aconita miſturum, non obſcuris indiciis adeò formidabat, ut omni ciborum genere abſtineret. Eapropter Medicum ſuum Adamum Fumeum (quem à morte patris Ludovicus liberavit, & honoribus auxit) carceribus concluſit: idémque de chirurgo feciſſet; niſi is fugâ quam Valencenas cepit, ſibi conſuluiſſet. Cùm igitur veneni formidine, omni cibo ſibi interdixiſſet; evênit ut & ſtomachus corrueret, & edendi viæ clauderentur. Belcar. Comin.

Accepto de morte patris nuntio, tantùm abeſt ut Ludovicus dolorem hauſerit, quin potiùs teſtatus ſit gaudium: ibique loci Deiparæ ædiculam erigendam voverit, ubi patrem obiiſſe cognovit. Et quoniam præterito Ludovico, alterum filium Regem nuncupare Carolus voluerat, niſi Meyer. Belcar.

Pius Pontifex improbasset; mox ad iter se Ludovicus accinxit: factísque Avennæ tenuibus defuncto exequiis; Laudunum, Remósque contendit. Minimi luctus indicium in Ludovico fuit, quòd eâdem adhuc die, quâ parentaverat, pullam deposuerit: veste, pileóque bicolore assumto, venatum excurrerit.

Meyer.

Remos, comitante Philippo & Carolo Burgundis,& magnâ Nobilitatis Belgicæ parte pervenit: ibique sollemni cærimoniâ inunctus est, feriis Assumtæ Deiparæ. Epulo finito, Philippus novo Regi advolutus, & obtestatus per Christi mortem & crucem, *Vt ne meminisset auctorum, qui Patrem inter & illum, dissensionem severant: neve veteres ministros, nisi fors suspectæ fidei loco moveret*; sacramentum clientelare dixit, nomine Dynastiarum quas intra Galliam tenebat. Ita Carolo filio in Burgundiam abeunte; ipse Parisiis, ubi pretiosâ veste, opiparâ mensâ, amplis donariis, copioso satellitio, magnificentiam plusquàm Regalem ostendit, in Flandriam & Brabantiam rediit.

Belcar.

LIBER OCTAVVS.

Breviarivm.

Lvdovici Vndecimi Regis, immitia erga Remenses initia, & ingratitudo erga Burgundum. Patris Caroli ministros exauctorat, contrà quàm Burgundo promiserat: sed continuat cum Leodien-

diensibus fedus, adversus Burgundum initum. Cessisset etiam Pio Pontifici Pragmaticam sanctionem, nisi intercessisset Academia Parisiensis, injectâ ad Concilium appellatione. Carolum Burgundum, Normanniæ Præfectum creat: móxque non soluto stipendio, deponit. Venenarij, qui Caroli vitam petebant, supplicio Ripelmondæ affecti. Ludovicus à Philippo Burgundo, oppida ad Somonam redimit: quâ re offensus Carolus, à Patre, in Batavos secedit. Studet Ludovicus dejiciendæ Domui Burgundicæ. Toparchæ Chimacensis responsum, super Philippo Burgundo, datum Ludovico. Philippus Ludovico satisfacit, Duacum, Orchiacum & Insulas repetenti. Fedus Boni publici adversus Ludovicum. Ejus caussa, & origo. Ludovicus, Carolo & Philippo Burgundis, insidiatur. Caroli Burgundi responsum, Ludovici Legatis repositum. Pij Pontificis morte, frænata in Turcas expeditio. Carolus, Philippi patris ægritudine, regimen Provinciarum adeptus, suspectos sibi nonnullos, mulctat: quam severitatem Philippus corrigit, etsi indignante filio. Proceres nonnulli Belgarum, à Burgundo ad Ludovicum deficiunt. Carolo cum exercitu contra Ludovicum movente, Ludovicus Leodienses in Philippum incitat. Prælium Montishericij, in quo fugiente Ludovico, victor Carolus. Franciscus Sfortia, Ludovico consulit, ut factâ pace, cum omnibus Boni publici sociis; singulos deinde adortus, sternat. Id consilium dum Ludovicus amplectitur; Leodienses, pace exclusos, deserit: qui clade acceptâ, demum accesserunt. Hanc Pacem Dionantenses ausi violare, excidium sibi accersiverunt. Ejus rei, Historia. Philippus datâ Leodiensibus Pace, moritur Brugis. Honestæ ejus amœnitatis exemplum.

CALENTIBUS adhuc Ludovici consecrationis aris & focis, Remenses onera quædã & vectigalia, præteritis bellis imposita, deprecati fuerant. Non tantùm pollicitus est Ludovicus, id se præstiturum; sed & gratias egit, quòd istius rei monuissent. Omnia læta in Philippi ditionibus se vidisse, populum videlicet & urbes: contrà in Gallia, senio & squallore confecta esse

Meyer.

omnia. Eapropter induxiſſe animum, ad omnem Galliam, pari libertate donandam, opibúſque quæ apud populum ſequi inde ſolent.

Cives optimâ ſpe alacres ac læti, nihil-non ſibi de Ludovico Rege pollicebantur: eò magis quòd eorum votis & exhauſto Regno, Philippus comprecator & commiſerator acceſſiſſet: etſi non deerant alij, qui propiùs eum, jámque olim in Delphinatu norant: hæcque omnia non ab Rege, ſed ab vulpe dici, uti docuit eventus. Quippe cùm ſub proximum Octobrem, regio verbo confiſi Remenſes, publicanis vectigal denegaſſent, duriúſque etiam inſtantes pulſaſſent; miſſus ad eos armatorum exercitus, vehementer afflixit, pluribus exilio, bonis, membris, vitaque multatis.

Porrò etſi Philippum, tanto in honore viſus ſit habuiſſe, ut Patris eum nomine compellaret: ſúbque ipſa coronationis ſollemnia faſſus ſit, *Muneris eſſe Philippi quòd regnaret*, eíque perinde profecturo ſummas egerit gratias; iſta tamen fuiſſe verborum officia, vel inde mox patuit, quòd nemo-unus fuerit è familia Philippi, qui quod à Rege petiverat obtinuerit: ut idcirco inhibuerit, ne quis ultrà quidquam poſtularet.

Iam neque opere complevit, quod de Regiis mi-

ministris, Philippus commendaverat. Cancellarium enim, (ut de iis taceam, quos præclarissimos, eósque inter Guidonem Papam, in Delphinatu bonis & exilio multavit) virum laudatissimum, mox officio movit: idémque de Concilij Præside fecit, quod Parlamentum appellant, aliísque propè quingentis, togâ partim, partim sago claris: adeo ut crebrâ illâ frequentíque mutatione ministrorum, nil aliud voluerit facere videri, quàm Patris defuncti acta rescindere: hoc unum si excipias, quòd initum anteà cum Leodiensibus contra Burgundos fedus continuaverit, etsi se minimè, facturum Philippo promisisset, imò morte suâ propriâ, domiturum eorum rebellionem.

Matth. Comin.

Quapropter hoc Ludovici studio, cuncta Patris instituta frangentis, motus Pontifex Pius, Pragmaticæ sanctionis nuntium, & ipse obtinere conatus est. Iam erat voti compos, quòd speraret hoc pacto Ludovicus, Pium suarum, contra Burgundionem, partium facere; nisi Academia Parisiensis obstitisset: quæ quòd sciret Pragmaticæ sanctionis articulos, tantum sibi Ecclesiæque Gallicanæ commodum adferre, quantum Romanæ Curiæ detrimentum dabat; à Regis & Pontificis machinatione, proximam Eccle-

Meyer.

clesiæ Synodum appellavit.

Per id tempus Mahumetus, everso nunc Orientali Imperio, Turcarum Augustus, Trapezunte pariter omnique Chalcide potitus, Davidem Comnenum Trapezuntium Imperatorem, cum omni Nobilitate Byzantium, veluti in triumpho duxerat, & mox capite plexerat: ut videlicet unus Rex Barbarus, per Latinorum Principum discordiam, duo Græcorum Imperia invaderet.

Matthias Hungariæ Rex erat, Ioanne Huniade, Turcarum nuper, & potissimùm ad Taurinum unico fulmine & terrore genitus, & ipse Turcicis victoriis, nitens. Hic vel in primis à Pio Pontifice, qui Pontificatum à pij belli cogitationibus, ordiri cœperat, socius ejusdem assumtus. Non alia res magis animos hominum movit, quàm fama Pontificis ad sacrum bellum ituri. Id perinde agebatur, ut & Philippus Burgundus, huic se expeditioni adjungeret.

Intereà è Burgundis, ad Regem in Turonibus, cùm Carolus rediisset; ab eo Normanniæ præfectus creatus est, promisso in annos, triginta sex millium stipendio: quod ei præmium, cum præfectura, paullò pòst qui dederat adêmit, etsi nihil amplius novẽ millibus, umquàm solvisset. At-

Marcan.

Comin.

Atqui Carolus in Belgas adductus, vix restitutam Patri valetudinem, gavisus gratulatúsque fuerat; cùm repentè didicit venenarios duos, in vitam suam conspirasse. Supplicio affecti Ripelmondæ, etsi constaret Ludovicum, de Caroli fortuna genethliacos consuluisse; neminem Gallorum complicem prodiderunt. Erant nihilominus in aula Philippi, quos vehementer Carolus habebat suspectos.

Horum enim operâ contigit, ut anno sequente, cùm Ludovico magis quàm Philippo studerent; hic Oppida ad utrámque Somonæ ripam sita, quæ ex formula Pacis Atrebatensis pignori Philippus tenebat, quadringentorum Aureorum millibus, Ludovico cesserit: priusquàm videlicet ceteris, memoratæ Pacis articulis, Ludovicus satisfecisset.

Anno 1463.

Belcar.

Quamobrem adeo Carolus, Philippo patri succensuit; ut præterquàm ab eo Gorichemium secederet, nihil de auctorum certa perfidia dubitaret. Prodere quippe jam se cœperat, ingrati Regis, erga Burgundos odium; quod ut fulcire solidiùs posset, inducias quas Philippus, cum Eduardo Anglorum Rege pactus fuerat, rumpi voluit; sed irrito conatu. Totus in hoc erat, ut si extinguere Burgundos haud posset; eos attenua-

ret: cùm videretur, nisi eorum interitu, periturum Galliæ Regnum.

Has ob caussas, cùm ad Ludovicum Philippus, Toparcham Chimacensem misisset, isque liberè & viriliter pro Philippo loqueretur; interrogavit Ludovicus: *Nùm puriore metallo, quàm ceteri Principes, Philippus exsculptus esset?* Cui Chimacensis: *Omninò*, inquit. *Nisi enim puriore constitisset, numquàm Te quinquennio, contra patrem alere & tegere, potuisset.* Quo spiculo conticuit Rex, neque ultrà Chimacensem admisit.

Repetebat & illa tria Flandriæ Oppida, Insulam, Duacum & Orchiacum, quæ etsi Regi Philippo Pulchro olim oppignerata fuerant, reddita nihilominus erant, nuptiis Philippi Audacis & Margaritæ Maleanæ, donec aliquis masculinæ stirpis in Flandria superesset: eo extincto, trium Oppidorum nomine ad Gallos rediturorum, assignari Flandriæ debebant, decem Aureorum millia annui proventus. Quo perinde responso, Regiam petacitatem, Philippus repulit.

Non erat Ludovicus, reliquis regni Proceribus, etsi propinquitatis sibi vinculo conjunctis, quàm Philippo Carolóque æquior: tamque alieno à nobilibus animo, ut venatione, quam inter oblectamenta habere præcipuam solent, utpote

Ro-

Romanis sollemne viris opus, utile famæ, Horat.
Vitæq́ & membris;

eis interdiceret, totoque Regno plagas & retia Seissel. concremaret: solitus atrociùs cervi aut apri jugulum, quàm hominis ulcisci.

Nemo erat, qui non ejusmodi indolem, propè detestaretur: præsertim cùm assuesceret & adhæresceret plebeis hominibus: eorum consilio, aut suópte regeret, Magnatibus sive contemtis sive neglectis. Ita populo oppresso, Nobilitate vilipensâ, exauctoratis Regni ministris, vicinis Principibus deceptis, internis repulsis; omne in se hominum genus, Ludovicus incitavit.

Sed neque irritatis omnibus, videbatur ea forma regiminis, diutiùs toleranda, quin potiùs ad officium Rex cogendus: quod ut reapse fieret; fedeta & arma expedita sunt.

In hoc ceteris Britanniæ Dux (quem clientem suum Ludovicus fieri volebat, & Britanniam Belcar. Regni beneficium) prævivit, ad quem etiam Carolus Dux Biturigum, Regis germanus, confugerat: duobusque se tertium, Dux Borbonius adjunxit. Ab his rogatus Carolus Quadrilegij Comes, patre Philippo demum annuente, & ipse in præteritorum partes venit: Boni publici caussam, Comin. quod ratione fieri non poterat, vi partier curatu-

ri. Plures alij mox acceſſere : habitúmque id Principum fedus,veluti totius Galliæ Concilium, cujus olim magna ac planè ſacro-ſancta vis & poteſtas fuit.

Hotom.

Ludovicus, de conjuratione edoctus, mittit in Batavos, ubi tum erat Comes Quadrilegij, Rubempreum nothum: qui Comitem, uti ferebatur, ſive vivum ſive mortuum, in Galliam deportaret. Capitur Rubempreus: Coméſque Philippum patrem, latrocinij certiorem reddit. Filij Litteras Philippus, Heſdinij recepit, eo die, quo ſe iſtic adfuturum, Rex Ludovicus Abbævillâ ſcripſerat: prandij quidem conviviíque cauſsâ; ſed revera ut in Philippum manus injiceret, cuſtodiæque manciparet, ſicuti ſocero Allobrogum Duci anteà fecerat, quem etiamtum detinebat. Lectis filij Litteris, Philippus Inſulam venit: ipſéque Rex fruſtrà conſilij factus, Rotomagum abceſſit.

Belcar. Meyer.

Miſit nihilominus Inſulam Legatos, quibus & Rubempreum dimitti, & alios nonnullos ſibi dedi petit. Nihil obtinet. Et quoniam Comitem Quadrilegij, Legatorum unus pupugerat; renuntiare is Regi per alterum jubet, *Fore ut priuſquàm annus elabatur, Regem juſſi ſui pœniteat.* Quæ vox, altiùs quam quiſquam ratus eſt, Ludovicum tetigit,

Marean.

git, omnisque deinceps odij seminarium fuit.

Defuncto intereà Anconæ Pio Pontifice, totáque ob id frænatâ, in Turcas expeditione, cùm in Belgas Antonius & Balduinus, Philippi nothi rediissent, nullâ re aliâ memorabili gestâ, quàm quod Septam in Africa, obsidione solvissent; tum hâc, tum senij caussâ, Philippus in morbum incidit. Eâ occasione, Carolum, ditionum omnium Præfectum, nominavit.

Is, nulla suffragia mediáque pietatis & artis, apud Deum hominésque omisit, ad sistendas paternæ vitæ reliquias; sed auctoritate usus, Croijacos, Estampium, quíque cum his faciebant, pridémque in cærite cera fuerant, judiciali sententiâ, exilio, bonisque multat. Quod cùm ægrè, sanatus Philippus ferret, correxit: at tanto Caroli dolore, ut in Batavos iterum secederet. Comin.

Verùm operâ fratris Antonij, cui plurimùm Philippus deferebat, in gratiam receptus est: cumque Ludovici fraudes, magis indies magisque patescerent: jamque Estampius Boni patruelis, cum aliquanta Croijacorum parte, & Ioanne Lanoio Hollandiæ Præfecto, ad Ludovicum transfugisset; nihil ultrà de Regis contra se filiumque, livore dubitavit.

Eodem itaque anno, Carolus cum exercitu, An. 1465.

 in

in Galliam perrexit: cui Philippus bene precatus: *Age fili*, inquit, *morere priusquam fugias. Si te periculum aliquod prehenderit; centum millia suppetias aderunt.*

Matth.

Iam Picardiam, acceptis in deditionem mediis oppidis, Carolus superaverat, Franciæque imminebat; cùm ejus retroagendi studio, Ludovicus, in vacuas præsidij, Philippi ditiones, Leodienses incitavit. Hos, cùm Philippus nihil moratus, domum satis superque afflictos compulisset; Carolus ultra Parisios exercitum intulit. Actum erat de Ludovico, si Carolo, federis socij, cum copiis quas promiserant, adfuissent.

Ad Montem-hericium castrametatus, Regem, qui Borbonios, quòd horum Ducem, federis auctorem vulgò dicerent, evastaverat, opperiebatur: ubi commisso dein prælio, Rege fugiente, saucius ipse Carolus licet, ac bis propè captus, victor evasit.

Comin. Marcan.

Erat eâ tempestate Franciscus Sfortia, Dux Mediolanensis, arctâ amicitiâ Ludovico conjunctus. Hunc, uti consuluerat, gliscente contra se Principum federe, *Quid sibi foret agendum?* ita statuerat ad eum, aut ad Helvetios perfugere, si Parisios conjurati cepissent. Dederat interim Sfortia, id consilij Ludovico, *Vt si omnes simul non posset, distractos Principes, singulósque adortus, prosterneret.*

Pa-

Pacis inde consilia agitare compulsus, Comitis Quadrilegij, apud Confluentes Sequanæ & Mátronæ, alloquium expetiit. Istuc navigio descenderat, cùm stantem in Littore Comitem, *Vtrúmne absq; periculo & dolo exponi posset?* rogavit. Affirmante Comite, Regemque honorificè excipiente; in fluvij ripa aliquamdiu, medius inter Quadrilegij & Sinpolij Comites, Rex ambulavit, auspicatus hisce verbis colloquium: *Fateor equidem mi Frater,* (sororem Ludovici Carolus, primo matrimonio duxerat) *è Regia Francorum familia Te esse. Quid ita?* respondit Quadrilegij Comes. *Quia,* inquit Rex, *cùm Tibi fatuus ille Morvillerius loqueretur, ipseq; diceres, quòd me jussi pœniteret ante anni finem; non erraveris profectò, sed in antecessum solveris.*

Comin.

Quod perinde Rex, etsi alto corde, iram & indignationem premeret; fronte tam exporrectâ dicebat, ut ipsum Comitem exhilararet: fassus, *Cum ejusmodi sibi libenter negotium esse, qui verbo non fallerent.* Vt videretur autem præteritam Morvillerij imprudentiam, (quem negabat suo ita jussu locutum) damnare; ablatis eum posteà sigillis, Cancellarij, quod gerebat munere, privavit.

Ad pacem deinde, post aliquantam Parisiorum obsidionem, ac Rotomagum amissum, apud nemus Vicennarum conversus, oppida ad Somonam,

nam, aliáque longè plura quàm prius habuerat, Quadrilegio restituit: imò non illi soli; sed & ceteris confederatis Principibus: præter alia quædam adjecta, publicum Regni Bonum attinentia: ut licuerit ex tàm prolixa, callidissimi Regis liberalitate conjicere, nullam ei servandæ pacis bonam mentem fuisse; sed quamcúmque fecisset evestigiò rumpere, cùm sors & occasio tulisset. Luit interim præsentissimas pœnas, à se abactorum tam leviter, uti diximus, ministrorum.

Belcar.

At liquidò oblitus est sui, cum Carolum, multiplici sermonis ardore delinitum, longiúsque à castris suis progressum, imò in satis munitam arcem ingressum (ob quod obloqui & irasci Proceres Burgundi cœperant) eo candore fidéque dimisit; quo se Carolus siverat abduci.

Comin.

Et quamquàm Leodiensibus, cùm eos ad Philippum lacessendum induceret, pollicitus esset, *Non se pacem cum Quadrilegij Comite, nisi quá & ipsi continerentur, facturum*; eorum nihilominus cùm ad rem ventum est, haud meminit: satisfecisse arbitratus, si per litteras, ad pacem quoque ineundam hortaretur: quibus, cùm tardiùs parerent, pergerentque in incepto; à Philippi Ducibus ad Montenacum, duo millia cæsi sunt. Eâ clade acceptâ, pacem fecerunt.

Non

Non manserunt in ea diutiùs, quàm Dionantensibus, populo tunc opulento, & ob id insolenti; libuit esse quietis. Nuperis hi turbis, graviter apud Quadrilegium offenderant. Nam cùm prælio ad Montem-hericium, primo ut fit rumore; occisus diceretur; simulachrum ad ejus similitudinem effictum, cum gentilitiis Insignibus, ad vicinum oppidum Boviniense deferunt, ibique in erecto patibulo suffigunt: his usi sannis: *Ecce Principis vestri filium: ecce Comitem Quadrilegium, & infamem proditorem: ita eum Rex Franciæ furcæ dedit*: & pluribus magis adhuc fedis atque ineptis.

An. 1466.

Meyer. Belcar.

Porrò nunc; recentissimam pacem violare ausi, prædas & sacrilegia è templis; eorum adhæc ruinas; partim in Hannonibus, partim in Namurcensibus, agebant: tantâ omnium indignitate, ut eos Paullus II. Pontifex, Sacrorum communione privaret. Quo insaniæ & insolentiæ antidoto, tantùm abest ut curati fuerint; quin potiùs redditi sint deteriores: neque solùm terrenæ; sed & sacræ Majestatis rei. Sacerdotes quippe, quos apud se habebant, Sacris operari compellunt: recusantes, aquis suffocant.

Contracto igitur Philippus exercitu, ultimáque arma induens, Dionantum obsidione cingit. Aderant Quadrilegij Comes, Antonius, Balduinus

nus Burgundi, aliique Principes: milites triginta millia. Et quamquàm validè premeretur oppidum; nullum tamen Dionantenses finem faciebant, sannarum & scommatum in Principes viros, etsi jam suis humeris incubantes.

Meyer. Quare vicinorum commiseratione moti Bovinienses, geminis eos litteris, geminóque tabellario (quorum unus puer erat) monuerunt: *Bonamq; mentem, instante utiq; tam aperto periculo*, habere jusserunt. An audierunt? Vtrumque in crucem egerunt, muro suo impositam.

Barbariem detestati Principes, obsidionem urgent: præsertim cùm Leodiorum Antistes, Quadrilegij sororius, & ipse profugus à ferocia suorum, triginta eorum millia, Dionantensibus suppetias properare, Huijo nuntiasset.

Idoneis itaque viribus, ad horum adventum sepositis, reliqui obsessum oppidum, per murorum ruinas invadunt.

Tum, fateor, prodiisse, qui deditionem pacisserentur: sed quoniam arbitrio suo, omnia permitti Philippus volebat; domum regressi, portarum claves Antonio attulerunt: hic Carolo, Carolus Philippo tradidit. Verùm cùm eas Philippus Carolo reddidisset; interpretatus hic est, committi sibi Oppidum: à quo cùm esset vehe-

hementer irritatus; exercitui diripiendum dedit: ita nihilominus; ut imbellem turbam, id est, Sacerdotes, pueros & mulieres, educi juberet: quarum pudicitiam cùm tentari vetuisset; pœnâ capitis in tres qui impegerant, animadvertit. Marcan.

Carris & navibus, omni exportatâ prædâ (quæ sanè ingens fuit) & octingentis belli auctoribus, Mosâ submersis; Oppido ignis injectus, adeóque absumtum, ut Dionantum in Dionanto quæreretur.

Hâc clade consternati Leodienses, pacem supplices Philippo facti, Namurci petiverunt, & obtinuerunt, eisdem legibus, quibus Anno eam præterito, Carolus indulserat: donec à Ludovico Rege, mox iterumque suscitati; promtos se paratósque ad rebellandum fassi sunt, utcumque imperasset.

Anno sequente, Philippus ætate laboribusque confectus, spiritum Deo reddidit Brugis, ibidem conditus ad D. Donatiani: donec mortuâ pòst conjuge, ambo Divione uti jusserat, Majorum sepulchro inferrentur. De eo vivente & vigente, ita Æneas Silvius: *Ditissimus Principum, maximis æquandus Regibus: cui opes & deliciæ omnes fluunt: cui tot latissimæ Provinciæ, tot clarissimæ Urbes, tot validæ Gentes, tot ditissimi Populi serviunt: cui præsto adsunt* An. 1467. Marcan. Lib. 2. Commẽt.

 cun-

cuncta, quæ mortales maxima ducunt.

Castell. Sanè qui per id tempus vixerunt, résque Philippi penitùs habuere perſpectas; coactos ſe fateri ſcribunt, Deum & naturam, excolendo ei & felicitando, opem omnem operamque concitaſſe: voluiſſeque fortunam ſub illius Imperio & manu, in Belgas & Burgundos, amicos & federatos, copiæ ſuæ cornu effundere. Liberalis adhæc, magnanimus, comis & amœnus.

Operæ pretium erit, unicum hujúſce rei exemplum dare, verbis Ludovici Vives, quando virtutum Philippi aliarum, luſtrum & ſpecimen, utcumque dedimus.

Lud. Vives. Nuper ſenex quidam Civitatis, narravit mihi de vitæ ſomnio, fabulam planè feſtivam, ac cognoſci dignam. Aiebat miniſtraſſe ſe puerum, in comitatu Philippi Ducis Burgundionum ac Belgarum. Fuit is Philippus acuti homo ingenij, bellator ſtrenuus ac felix, cujus ingens apud Belgas nomen, de probitate ac comitate morum, dictus Bonus. Hic undique nactus pacem, Brugis libenter habitabat, genio deditus & iis rebus, quibus otioſi animi teneri conſueverunt, ludis, fabulis, dictis acutis, jocis ac facetiis.

Nocte quâdam à cæna, cum aliquot præcipuis amicorum per urbem deambulans, jacentem con-

conspicatus est medio foro hominem de plebe ebrium, altùm stertentem. In eo visum est experiri, quale esset vitæ nostræ ludicrum, de quo illi interdum essent collocuti. Iussit hominem deferri ad Palatium, & lecto Ducali collocari: nocturnum Ducis pileum capiti ejus imponi, exutáque sordidâ veste lineâ, aliam è tenuissimo ei lino indui.

De mane ubi evigilavit, præsto fuere pueri nobiles & cubicularij Ducis, qui non aliter quàm ex Duce ipso quærerent, *An luberet surgere? Et quemadmodum vellet eo die vestiri?* Prolata sunt Ducis vestimenta. Mirari homo, ubi se eo loci vidit. Indutus est, prodiit è cubiculo, adfuere Proceres, qui illum ad Sacellum deducerent.

Interfuit Sacro, datus est illi osculandus Liber, & reliqua penitùs ut Duci. A Sacro, ad prandium instructissimum. A prandio, cubicularius attulit chartas lusorias, & pecuniæ acervum. Lusit cum Magnatibus: sub serum deambulavit in hortulis, venatus est in Leporario, & cepit aves aliquot aucupio.

Cœna peracta est pari celebritate, quâ prandium. Accensis luminibus, inducta sunt Musica instrumenta, puellæ atque adolescentes nobiles saltarunt, exhibitæ sunt fabulæ. Hinc commessa-

 tio,

tio, quæ hilaritate atque invitationibus ad potandum, producta est in multam noctem.

Ille verò largiter se vino obruit præstantissimo, & collapsus in somnum altissimum, jussit eum Dux vestimentis prioribus indui, atque in eumdem locum reportari, quo priùs fuerat repertus. ibi transegit noctem totam dormiens.

Postridie experrectus, cœpit secum de vita illa Ducali cogitare, incertum habens fuisset ne res vera, an visum, quod animo esset per quietem obversatum.

Tandem collatis conjecturis omnibus atque argumentis, statuit somnium fuisse: & ut tale, uxori, liberis, ac vicinis narravit.

Quid interest inter diem illius, & nostros aliquot annos? Nihil penitùs, nisi quòd hæc est paullò diuturnius somnium, ac si quis unam dumtaxat horam, alter verò decem somniasset. *Hæc Vives*: eadémque expressit elegantibus Iambis inter *Pia Hilaria* Angelin. Gazæus.

Ang. Gaz.

LIBER NONVS.

BREVIARIVM.

CAROLVS, unicus Philippi filius, Patri succedens, erectos contra se, Ludovici Regis suggestionibus, Leodienses; fundit & fugat: ac Legatis Gallicis, quos Lovanij reliquerat; victoriam suam perscribit. Mox à prælio, Trudonenses deditionem faciunt: sed

sed & Beringani puniti. Leodienses, Pacem petunt: eamque reducto Antistite quem Hoij oppugnarant, assequuntur, armis sublatis & mœnibus dejectis. Ita Leodienses, Pontifex anathemate solvit, quo anteà innodaverat. Ludovicus intereà, conciliatis sibi Regni Proceribus, cùm ad se adducere Burgundum haud posset; ab eo abducit fratrem suum Carolum & Britanniæ Ducem. Quâ re graviter offensus Burgundus, utcùmque placatur, repositis quadamtenus expensis, quas in belli paratum fecerat. Ad novam itaque Pacem faciendam, Regem Ludovicum Peronæ excipit: ubi dum patescit, Leodienses rursus ab eo, contra Burgundum suscitatos; Ludovicum quatriduo custodiæ mancipat: atque inde secum in Leodios adductum, non priùs dimittit, quàm subacta Vrbs caput ditionis foret. Recensentur distinctè, quæ tum Peronæ, tum apud Leodium gesta sunt: ubi & Regis Litteræ repertæ, quibus ad rebellionem Leodienses incitarat. Domi itaque positus Rex, prohibuit de Pace Peronensi atque expeditione Leodiensi, verba fieri: cujus culpam affiicabat Cardinali Andegavensi. Aliæ rebellionis Leodiensium, caussæ. Francimontani cur excisi? Memorabile justitiæ & severitatis Caroli Burgundi, exemplum. Ludovicus, Carolo fratri, decretam Peronensi Pace Campaniam & Briam, dare detrectat, sed demum Aquitaniam concedit.

VNICVS Philippi legitimus filius Carolus Martinus, unicus tot Provinciarum heres fuit: Divione, ex Isabella Lusitana natus, è qua, fatente aliquando Philippo, id vitij hauserat, quod suspicax esset: cetera probus, fortis & audax, sed inconsultè. Comin.

Novo tot ditionum Principi, Ludovicus negotia cudebat, quibus eum pessumdaret. Etsi enim decrevisset haud quiescere, donec conjuratos omnes esset ultus; oderat tamen Burgundionem maximè, quòd is ceteros auctoritate & opibus præiret.

Hujus

Hujus voti operas meliores nullos, quàm Leodienses reperit: quamquàm nondum essent percurata vulnera, ignísque extinctus, quo Dionantum arsit, aliique sauciati sunt. Iam & obsides quinquaginta, quos Carolo dederant; parum eos movebant.

Meyer. Instigante itaque Rege, pacem violant: atque ut videas, præter veteres caussas & iras, nihil habuisse; Principem suum Huij agentem, inibíque Caroli Præfectos, infestis armis aggrediuntur. Hi, cum Episcopo, quòd male-tuti in oppido essent, fugam capiunt: quod dum Leodienses ægrè habet; direptum oppidum incendunt. Vltrà progressi, Luxemburgios Limburgiósque incursant: expilationibus & ignibus grassantur.

Conscriptis itaque copiis, in Leodios Carolus proficisci statuit, nequidquàm dissuadente Ludovico Sinpolij Comite, quem pace Confluentinâ nuper, ut Carolo placeret, Rex Ludovicus, Franciæ Conestabilem fecerat, quique tum Bruxellæ erat: ipsáque Caroli Matre, quæ idcirco Brugis advenerat: hiemémque caussabantur.

Et quia Leodienses pacem rupturi, auxilium à Ludovico Rege poposcerant, clientelam professi; misit ad Carolum Legatos Ludovicus, vetuítque clientes bello peti: pace nuperâ Confluen-

fluentinâ, uti dicebat, comprehensos. Respondet Carolus, *Leodienses jam non unâ pactione, suos clientes, tamquàm Brabantiæ Ducis esse: neminem alium præter se, eorum vindicem aut tutorem. Quamobrem cùm repentinâ & repetitâ secessione, pacem rupissent; perfidiæ pœnas daturos, ut addiscant in officio deinceps permanere.*

Non eò autem Ludovicus ad Carolum misisse visus est, ut Leodiensium reverà patrocinium susciperet; sed ut eos invadente Carolo, ipse invadere Britannum posset, bellóque bellum, & culpâ culpam prætexere. Comin.

Quod, cùm Carolus sensisset, & Legati faterentur: *Nolo quidem socios*, inquit, *aut amicos, sive prodere sive deserere; sed quoniam seriùs advenistis, meq; Leodienses lacessunt, ducam in eos: siq; vicero; faxo ut Britanno haud noceatis.* Cum dicto, Lovanio discessit, ubi eum Legati convenerant, fanumque Trudonis obsedit.

Placuit anteà consultare, quid de obsidibus ageretur: erántque qui omnes necandos censerent. Id, cùm crudele videretur; de aliorum sententia dimissi sunt: eâ lege, ut si deinceps contra Burgundum arma ferrent, capite luerent. Belcar.

Tertio obsidionis die, Leodienses prodeunt, auxilium, si potuerint, allaturi: qui, etsi ad arma vibranda, sacros etiam homines coëgerant,

veluti in contemtum hoſtis; plures attamen viginti millibus non erant. Pugnâ initâ, fuſi fugatíque ſunt, tribus ſuorum millibus (novem alij dicunt) deſideratis, impedimentis, réque omni tormentariâ, pariter amiſsâ. Id contigit circa Kalendas Novembris.

Et quamquàm, cladis acceptæ nuntium, Galli qui adfuerant, fugæque ſe dederant cum auro & argento Leodij corraſo, poterant ad Ludovicum referre, cujus ſuggeſtionibus hoc infortunium debebatur; ipſe tamen Carolus, victoriam ſuam, Gallicis Legatis, quos Lovanij à quatriduo reliquerat, per litteras ſignificavit: vel ſolius Britanni cauſsâ, quem nolebat oppugnari.

Mox à prælio, Trudonenſes deditionem fecerunt: Tungri etiam, ceteráque minora Oppida, eâ lege, ut mœnia omnes ſua portáſque diruerét, traderéntque qui rebellionis auctores fuerant: è quibus ex obſidibus nuper dimiſſis, quinque è Trudonopoli, & totidem è Tungris, capite plexi ſunt.

Beringanis, dum adhuc obſidio durat, pecu- liaris incendij dicam, Antonius Burgundus ſcripſit: quòd mortuo nuper Philippo Duce, vacua alvearia, pro ære campano, ad ejus exſequias pulſaſſent, addito hoc defuncti encomio: *Annoſum Diabolum obiiſſe.*

Siffrid.

Iam

Iam & aderant Leodienſes, in caſtris prope Tungros, pacemque poſtulabant. Noluit Carolus, niſi urbi vicinior, ſupplices exaudire. Nam cùm pridem à Paullo II. eâ tempeſtate Pontifice, litteras accepiſſet, quibus maximis propoſitis Indulgentiis, rogatus fuerat, ut populum rebellem, & ob id aliquot jam annis anathemate percuſſum, ad unionem Eccleſiæ, & Epiſcopi ſui obedientiam reduceret; haud iniquum videbatur, ſi majori aliquâ ſeveritate uteretur.

Aderant, inquam, numero ſuprà trecenti, nudo capite & pedibus, ſolo induſio amicti: qui dum urbis ſuæ claves offerunt, vitâ incolumi, ignem tantummodò, adſtantibus Galliæ, Angliæ, Britanniæ & Biturigum Legatis, ac rerum direptionem deprecabantur. Comin.

Ad Sanctum itaque Laurentium diverſatus, etſi toties rebelles, in gratiam nihilominus recepit: pompâque inſigni, adque ſeveritatem compoſitâ, cùm nudum enſem manu geſtaret, ponè ſequente agmine Epiſcopi, Civitatem, inter medios cives faculas tenentes, ingreſſus eſt: ut ſe Antiſtitem quem pepulerant, reducere teſtaretur.

Et quia populi hujus, non victor tantummodò, ſed domitor erat; condonatâ rerum ceterarum direptione, arma dumtaxat ſuſtulit: utque Comin.

munitionibus haud fiderent; mœnia & turres, solo æquavit. Exstitit aliquando fusilis ex ære columna, Peronam appellant, Leodio Brugas translata, erectáque in area Mercatorum (quam Maximilianus posteà Leodiensibus restituit) Victoriæ hactenus incruentæ monumentum; nisi ex obsidibus decem comprehensi, fidei rupturam capite luissent.

Meyer.

Heuter.

Secundùm hæc, Antistes Leodiensis, ad Oppida sua profectus, festivis ubique muneribus donatus est: cumque supplicibus culpam remisisset; anathemate cunctos Pontifex absolvit, ac pristinum Sacrorum exercitium indulsit.

At Carolus elatâ uxore Isabellâ Borboniâ, triennio circiter viduus, Margaritam Eboracensem, Eduardi Anglorum Regis sororem, tertio sibi matrimonio junxit. Nuptiæ Brugis Flandrorum celebratæ, tanto apparatu, ut nihil umquàm Belgicus orbis viderit splendidius.

An. 1468.

In hunc finem ante omnia, domus à fundamentis excitata, incredibili celeritate ac sumtu: cubiculorum omnium parietes, pretiosissimis tapetibus vestiti. Triclinium, in quo nobilissimos quosque, Princeps adhibiturus erat convivio; adeò magnificè instructum, ut cetera etsi opulentissima, haud potuerint cum eis quæ inibi erant,

Barland.

erant, conferri. Stabat eo loci abacus, exquisitissimis vasis onustus. Aderant è puro-puto auro candelabra, emunctoria, pelves, schyphi, disci, salina, paropsidesque.

Foris quoque luculenta omnia. Domus & plateæ per quas erat transitura Sponsa, pulcherrimis ad latus aulæis: floribus quos anni tempestas dabat, sub pedibus constratæ. Præsto erant nobilissimi artifices, undecumque acciti: ad excogitanda, quibus ingredientium oculi detineri mulceríque possent.

Die Connubio destinatâ, cum trecentis circiter equitibus, Princeps Brugis egressus, qui tum trigesimum-quintum ætatis agebat Annum, ad Sponsam venit, ex Anglia Dammum adductam. In eo Oppido Matrimonij federe contracto, Brugas illicò reditum: ubi Margarita optatis ac lætis Civium votis & vocibus excepta est: spectaculis & ludis, totâ regionatim Vrbe splendentibus ferventibusque.

Porrò successerunt Oppidorum omnium è ditionibus Burgundicis, Antistitum ac Principum, festivæ gratulationes & ingressus, præter infinitam multitudinem advenarum, ac eorum præcipuè qui tum Brugis commercia agebant.

In triclinium, ubi cum Sponsa & illustrioribus

viris, accumbebat Princeps, quatuordecim partim argenteis, partim aureis navibus, quarum singulæ quatuor habebant scaphulas, cibus in mensam illatus. Ferculorum missus, circiter quadraginta: Vinum præstantissimum odoratissimumque. Secundæ mensæ tragemata ex saccharo, omne frugum & lautitiarum genus habuere: pueris intereà in Cupidinum speciem figuratis, longè suavissimos odores per inane adolentibus: adeo ut ad hanc magnificentiam & luxum, nulli fuerint Antonij & Cleopatræ apparatus. Quidquid enim de his, atque de Panthærina Mensa, de Pontificali Cœna, de sumtu Heliogabali, loquitur Antiquitas; hoc Burgundico inferius est.

Post famem epulis exemtam & remotas mensas, oculorum oblectamenta venêre. Illati sunt Pavones flammivomi, quorum artificium solus ignis prodebat. Introductus & Leo, cui insidebat virgo pulchritudine eximiâ, manu gestans insignia Principis Caroli. Opum & potentiæ ipsius ostentandæ gratiâ, introierunt Turres argenteæ triginta, quibus Arces totidem designabantur, quarum eâ tempestate Dominus & possessor erat. Venit postremò Camelus dorso bajulans sportulas, unde omnis generis evolantes aviculæ, haud aliter demulcebant Convivarum aures, atque si

ve-

vere novo ramosis arboribus instrepuissent. Dixisses ad animorum sensuumque oblectationem & delicias, naturam & artem ultrò citróque decertasse.

Omitto funambulos & pantominos è vulgò: tripudia & choreas illustrium omnis generis personarum: quidquid enim reliquum erat temporis ante cœnam; non minus raris, quàm variis Ludis impensum est.

Et quamquàm hæc essent multò pulcherrima ditissimaque; tantùm attamen superabat omnia Sponsa Margarita, ad stuporem & miraculum propè formosa;

Quantùm Luna solet stellas superare minores.

In Batavos ambo, mox à nuptiis Carolus & Margarita profecti; comitante propemodum universo Procerum Burgundiæ flore, & ad singularum Vrbium ingressum renovatâ cum triumphis festivâ lætitiâ; novi Conjuges, apud Hagam-Comitis novi Principes auguratò effecti sunt.

Hisce itaque rebus occupato Carolo, Ludovicus callidis artibus, fundamenta pristini federis suffodiebat. Germanum suum, quem Normanniæ Ducem imposuerat, facilè circumvenisset, imò jam fecerat, Normanniáque exuerat; nisi eum Britannus texisset. In hunc movere decre-

crevit, si Carolum ab ejus partibus abstrahere potuisset; aut domitis jam Leodiensibus, alium ei hostem suscitare.

Id conatus erat per Comitem Warvicensem, qui tum in Anglia, adeò poterat omnia; ut depulso Henrico, Eduardum in solium sublimarit. Et quidem Warvicensem, auro pellexerat; sed is Eduardum, qui vafrum & mobile Ludovici Regis ingenium noverat, capere non potuit. Quid enim Rex agitaret, contra se & Burgundiæ Ducem; Eduardus, è Cardinali Balva intellexerat: qui ob eam rem bonis omnibus multatus, custos posteà strictissimi carceris (cujus non unius opifex & repertor fuerat) annis extitit quatuordecim.

Comin.

Ludovicus igitur, in Carolo Burgundo laborare se frustrà cernens; cùm reliquos Galliæ Proceres, magis quàm hactenus addictos haberet; misso in Britanniam exercitu, Arcem unam alterámque expugnat. Id Burgundus ægrè ferens, Ludovicum per litteras admonuit: qui cùm non satisfaceret; sociis opem laturus, adunato exercitu contrà movet.

Iam Peronæ aderat, & copiarum suarum robur, opesque ostentabat; cùm Rex, altiore eum aditu prohibiturus, Compendium pariter armatus venit. Non erat ei animus, bello contra Burgundum

dum experiri; ſed miſſis ad Britonem, fratremque Carolum Legatis, adeò novis utrumque donis & promiſſis delinivit; ut factâ ſecum Pace, Burgundum deſeruerint; idque ei per Legatum caſtrenſem nuntiarint.

Etſi vix oculis ſuis, vix auribus, tam repentinâ mutatione ſtupefactus Burgundus, crederet; ſatiùs attamen feciſſet ſi valefactis Gallicis federibus, & inſuper habito callidi Regis ſtudio, Principumque inconſtantiâ; aut quæſiviſſet alibi ſinceros amicos, aut Burgundicis & Belgicis opibus, tranquillo otio incubuiſſet.

Non fecit. Sed invectus in Regis perfidiam, ultionem animo deſtinavit.

Fateor has iras, utcumque refrixiſſe, centum viginti Aureorum millibus, quos in compenſandos belli ſumtus, Burgundo partim Rex præſtiterat, partim erat pollicitus; verùm ut penitùs extingueret, Pacis novæ formulam obtulit: quam ut coràm ſtabiliret; paucis ſtipatus, tum pugnatoribus tum ſatellitibus, aſt ſolâ fiduciâ litterarum, propriâ Burgundi manu ad ſe ſcriptarum, Peronam advenit.

Comin.

Ibi ſe totum, ut faciliùs tutiuſque falleret, Burgundo permiſit.

Videbatur omni ſublatâ ſimultate, amicitia,

quam inierant perennatura; nisi mox scæva nuntia venissent, Leodienses Regis consiliis auxiliisque, in rebellionem rursus actos, Antistitem & Imbercurtium captivos cepisse: Robertum Archidiaconum, & nonnullos è Canonicis, Antistiti familiares, fedè trucidasse.

Marcan. Siffrid.

Eâ perfidiâ, adeò Carolus excanduit, ut clausis extemplò Peronensibus portis, Regem in Arce custodiri jusserit: haud equidem injuriâ, de insidiis, Pacis obtentu, conquestus. Tædium & formidinem suam, tribus circiter in Arce diebus, cum his, qui simul in custodiam dati fuerant, Rex decoxit: quam indubiè Caroli Simplicis memoria auxit, qui ibidem ab Heriberto Veromandiæ Comite, uti anteà retulimus, necatus est.

Dec. 2. l. 2.

Consultante intereà Burgundo, quid foret agendum? tres in medium sententiæ allatæ sunt. Primò, *Vt data Regi fides servetur, si voluerit unà petere Eburones.* Secundò, *Vt toties perfidiæ reus, detineatur captivus.* Postremò, *Vt germanus ipsius Carolus evocetur, talibusq́, eo dictante, Rex legibus constringatur; quibus ultrà non possit elabi.*

Meyer.

Hæc ubi agitari Rex sensit; totum se in largitiones & pollicitationes, unicum metuentium perfugium, explicuit, vel ideo, quod sciret plerosque, quos olim offenderat, Peronam armatos

Comin.

ad-

advenisse. Philippum Cominæum præ ceteris tum, pecuniâ sibi devinxit: quem pòst etiam Carolo deserto, suum fecit.

Cominæi industriâ effectum est, ut prima sententia, quòd vehementer Rex optabat, consultoribus probata fuerit: ac deinde sancita Pacis Peronensis formula, Regio juramento, etsi nil profuturo, firmata. Iusjurandum enim violare, nulla ei religio erat. Carolo interim Regis Germano; hâc Pace Campania pro Normannia decreta est: totaque Flandria à Curia Parisiensi exemta, unà cum tribus oppidis, Insula, Duaco & Orchiaco. Ita Rex quarto die custodiâ emissus, in Leodienses, cùm Burgundo profectus est, Burgundicam in armis Crucem, ad finem usque belli gestaturus.

Famâ advenientis Caroli, Leodienses captivum Episcopum dimiserunt, spe utique obtinendæ Pacis: quod, cum successu caruisset; expurgatis fossis, vallóque erecto, resistere parant.

Iam aliquot obsidionis dies abierant, cùm agi rursum de pace ab Episcopo cœptum, si Francorum militum duces, urbe excedere tantisper voluissent. Id enim agebatur, ut soli Episcopo Vrbs dederetur: eam solus ipse Princeps intraret, solus in fidem reciperet. Galli recusarunt: sicque supremum exitium, Vrbi civibusque attulerunt: cùm

Siffrid.

præſertim, poſt octavum obſidionis diem, nocte intempeſtâ (quæ prima erat quieti conceſſa) ſexcenti qui Crucem Burgundicam veſtibus aſſuerant, Leodio egreſſi, edoctíque à Francis, quibus ædibus Dux & Rex, aliíque Principes cubarent; auſi fuiſſent jugulum cunctorum petere.

Chron. Belgic. Cùm enim unius è ſexcentis, ſive idioma, ſive petulantia, excitatis è ſomno trecentis Nobilibus, qui haud procul à Duce quieti ſe dederant, audax facinus turbaſſet; ſexcentis mox ad unum cæſis, ante Principum diverſorium, orto die qui trigeſimus Octobris erat, expugnandæ Vrbi, Carolus mandatum dedit.

Nihil tum minùs obſeſſi cogitabant, laſſi præteritæ noctis certamine: cujus, cùm etiamtum infortunium, mutuò enarrarent; ſupervenit hoſtis: jamque in quadraginta millibus, per mœnium ruinas Vrbem ingreſſus, tantùm repentè tubis tympaniſque ſonitum dedit, ut priùs ſe victam ſenſerit; quàm vinci formidarit

Regem auxilio ſibi veniſſe, quòd id ſæpè promiſiſſet, pleríque Leodienſes exiſtimabant. Sed contrarium patebat ex Cruce Burgundica, quam juxtà cum ceteris geſtabat in extima veſte, uti Carolus edixerat; & ſtrictus enſis: & aperta deníque verba, quibus, *Eos mentiri* affirmabat, qui

Luxov.

Re-

Regem, sibi salutem adferre, vociferabantur. Quapropter nonnullis, Regi festivâ voce, *Vivere*, acclamantibus; id ipse proprio ore Burgundis reddidit: quo perinde voto, tamquàm classico excitati milites, stragem hominum, per omnem sexum & ætatem ediderunt: demtis qui fugam in proximas silvas ceperant.

Direpta mox omnia: adeo ut in tanto tumultu, ne sacris quidem, undequáque parcitum sit. Videndus *Amandus Zirixeus in Chronico.*

Restabat, ut quid fieret, cum vacuis civium ædibus, communi consilio statueretur. Eapropter rogatus sententiam Ludovicus Rex, pronuntiavit: *Id se referente patre didicisse, exurendum ei esse nidum, qui pellere velit aves*: benevolo scilicet acumine. Siffrid.

In flammas itaque Civitas abiit, solis exceptis Templis, ac Canonicorum & Monachorum ædibus.

Cùm prius omnia lustrantur; repertæ productæque sunt Regis Litteræ, quibus ad hanc rebellionem, Leodienses incitarat: manifesto utique perjurij & sacrilegij indicio, ut qui apud Peronam nuper, se harúmce rerum, prorsus ignarum esse, non tantùm testatus sit palàm; sed fidem etiam sumtâ Eucharistiâ, firmaverit. Meyer.

Hâc perinde patefactâ perfidiâ, cùm non pa-

rum sibi Rex metueret, clam Carolo tantum-non effugit: Galliæque suæ restitutus edixit, *Ne quis aut de Pace Peronensi, aut expeditione Leodiensi, utraq; sibi probrosa, sermones misceret*: magis irritans hominum linguas, quàm frænans. Iam & imputabat Cardinali Andegavensi, cujus suprà meminimus, quidquid erat erratum: ut id accesserit ad nigra puncta, ob quæ carceribus est traditus.

Luxoviēs.

Ceterùm Leodienses, ut in præteritis turbis, haud viderentur fuisse; mera perfidiæ & cupiditatis Gallicæ instrumenta; caussabantur injustitiam, avaritiam, aliáque publica ministrorum Episcopi sui, Ludovici Borbonij, Caroli Ducis sororij, juvenis adhuc, & ut aiebant, improvidi, vitia, quæ ferre æquo animo Gens libera, non possit.

Meyer.

Quapropter Episcopo neglecto contemtóque, rerum tam Ecclesiasticarum quam Politicarum curam, sibi vindicabant.

Chron. Belgic.

Caussa, jure judicióque, coram Legato Pontificio, Treveris agitata; Leodienses deseruit: sed provocarunt ad ipsum Pontificem. Is perinde instauratâ cognitione, Legati sui præjudicio sententiæque inhæsit: & adhuc restitantes, imò Antistiti suo toties, Gallicis utique persuasionibus, rebellare ausos anathemate percussit. Hinc illæ lacrymæ,

mæ, & ultimum, quod diximus, exitium: cum biennij ſpatio ter ſupplices facti, atque in gratiam recepti; ter fedifragi, bellum renovaſſent.

Francimontanis, etiam excidio conſtitit, quòd nocte, ante occupatam Vrbem egreſſi ſint, ut Carolum Regémque, uti diximus, obtruncarent.

Hâc hieme, variis in locis Carolus jus dixit, Concilio immiſtus. Libet unicum verbis Lipſij referre, juſtitiæ ejus & ſeveritatis exemplum.

An. 1469.

Erat Carolo vir nobilis in ferventi gratia: atque ei Præfecturam oppidi in Zelandia dedit. Ipſe ibi in otio amorem concipit in feminam corpore ſcitam & moribus, animo meliorem, ut docuit eventus.

Lib. 2. Mon. Pol. cap. 9.

Primò aſpectus, obambulatio, ſuſpiria, & quæ ſolent amantes: mox audacior & verba miſcet, & affectum aperit, & ſolatium orat. Neque promiſſis abſtinet, & omnia tentat, quæ ſint expugnandæ. Fruſtrà, munita undique caſtitas erat. Igitur deſperatione ad facinus ſe vertit.

Præfectus erat ut dixi, & Carolus noſter in bello. Maritum igitur amatæ feminæ, proditionis inſimulat, & ſtatim in vincula miſſum, carcere cuſtodit. Quo fine? ut vel hoc metu miniſque illam moveat, & obnoxiam ſibi reddat: vel maritum ipſum amoveat, remoram amori. Cuſto-

ſtodit igitur. & mulier caſta, & viri amans ſtatim ad carcerem, à carcere ad Præfectum, deprecatura aut liberatura ſi poſſit.

Præfectus: *Et tu ô mea me rogas? Imperium quod in me habes, ignoras? affectum ſaltem mutuum redde, & maritum ecce reddo. Detinemur enim uterq́, ille in meo, ego tuo carcere aut vinculis: ah quàm facilè utrumq́ ſolvis! Quid renuis? amans peto, & per mariti tui vitam. Vtraq́ agitur: & perire, ſi debeo, perdam. Atqui miſerere, & mulierem te, & conjugem oſtende.*

Mulier rubere ad iſta, & ſtupere: & tamen pro Marito etiam timere. Conſtat magis animo, quàm corpore: & trepidat & pallet. Atque ille, quia moveri viſa, & leviter vim verecundanti adhibendam ratus, (ſoli erant) in lectum impellit, fruitur fructum utrique mox acerbum.

Nam mulier confuſa & lacrymabunda abiens, pudoris magis quàm peccati ægra, iram & vindictam coquit: quam magis etiam accendit barbarum (quomodo aliter appellem) Præfecti factum. Nam ille voti potitus,& cetera prolixa autumans, ſi æmulum ſuſtuliſſet; maritum damnari curat, damnatum capite plecti. At id non in publico, ſed carcere ipſo factum, atque ibi cadaver in arcam ligneam incluſum, mox ſepeliendum.

Venit intereà mulier ſive accita ab ipſo (ut qui-

quidam tradiderunt) ſive ſponte, & ſuper ſalute mariti anxia: ſed venit, & vel ex pacto maritum recipere ſe ſperat. Ille benignè affatus, *Et maritum*, inquit, *quæris? habebis. Abi* (& digitum ad carcerem intendit) *invenies, & tolle*. Nihil ſuſpicata abit, videt & percellitur, & animo ac corpore lapſa, ſuper cadaver ſe abjicit: ac diu lamentata, recipit animum atque iram, rediensque atroci vultu & verbis: *Et hercules*, inquit, *reddidiſti maritum: gratia debetur, exſolvam*.

Retinere & placare conatur, fruſtrà: non tigris magis ſæviat fetu erepto. ſtatimque amicorum fidis advocatis, rem denarrat, ejus ordinem, & culpam ſuam non culpam: ac conſilium, viamque ultioni exquirit.

Cenſent omnes ad Principem eundum: qui inter alias virtutes, eximius juſtitiæ cultor erat.

Accedit, duobus amicis comitata, auditur: vix creditur: & indignatur & dolet Princeps, hoc in ſuo ſolo, & è ſuis quemquam auſum. Sed & mulieri edicere minaciter, niſi vera & certa afferret, malum habituram. Iubet manere in aula, & in vicinum cubiculum ſecedere, dum Præfectum vocat: nam fortè & ipſe in aula erat.

Venit, introducitur & mulier. *Hanc noſtin?* ait Princeps. Colorem homo mutat: & Princeps exſe-

ſequitur: *At querelas quas ſuper te defert, etiam noſti? Atroces ſunt, & quas nolim eſſe veras. Quid ais?* Vacillat, perplexè loquitur, negat aliquid & annuit: donec Princeps ex vultu ipſo & ſermone culpam ſuſpicatus, ut tamen certior eſſet, remotis omnibus, ſolum alloquitur. *Quam fidem mihi debeas, & quam beneficiis meis gratiam, non neſcis. Per hanc & illam te adjuro, ut quid in hac re ſit, liquidò & ſine ambagine denarres. Fatenti gratia, aut aliqua ſeveritas, non deerit: nec abnuenti tormenta.*

Ibi ille ad genua ſe abjicere, factum agnoſcere: deniqúe mulierem culpæ omnis liberare, ſe onerare: ſe in gratia Principis refugium & ſolatium ponere. Quam ut magis impetret; illicitam libidinem purgaturum matrimonio, offert.

Princeps, quaſi aures præbens, & jam mitior, mulierem revocari, quoſdam è ſuis aſſiſtere jubet. *Et heus tu, quoniam huc ventum eſt mulier, placétne maritum hunc habere?* Illa abnuit: & tamen voluntatem aut juſſa Principis timens, adſpicit circumſtantes. Qui certatim innuunt aut ſuggerunt, accipiat conditionem viri nobilis, divitis, apud Dominum gratioſi.

Victa dat manus, quas Princeps jungi cum Præfecti jubet, & ſollemnibus verbis matrimonium firmari. Firmato iterum Princeps: *Tu nove*

ma-

marite, hoc jam nunc largire, ut si prior sine liberis obeas, hæc conjux heres omnium bonorum tuorum sit. Libens concedit, testes audiunt, tabularius scribit.

Et his jam peractis Carolus ad feminam: *Dic sodes, animo tuo factum jam satis? Satis,* inquit mulier: *At nondum meo*, ille subjicit: & ablegatâ feminâ, jubet Præfectum in illum-ipsum carcerem duci, in quo maritus cæsus, & pariter cæsum, in arcam ligneam sive capulum deponi.

Facta sunt, Tum mulierem ignaram eo mittit: quæ inopinato iterum casu conterrita, duobus maritis eodem ferè tempore, eodem certè supplicio amissis, mox in morbum incidit, & fato obiit. Hoc solum alteris nuptiis lucrata, ut liberos ex priore conjugio divites relinqueret, novâ hereditate. Ita *Lipsius.*

Hoc Caroli exemplum in jure dicundo, sive Civili sive Criminali, uti hodiéque Principes sequantur saltem aliquando, id est vel certis temporibus, ut id sciri possit: vel in caussis gravibus sive atrocibus, vel deniq́ue contra potentes aliquos, & partibus graves; Sapientia Politica docet. In eam quippe rem Caroli quoq́ue Magni Lex est: *Hoc Missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quòd nos in omni hebdomada, unum diem ad caussas audiendas, sedere volumus. Populo autem dicitur, ut caveat*

 de

de aliis caussis ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri aut Comites, eis justitiam facere noluerint.

Etsi enim erant illo ævo, passim in oppidis, & pagis etiam Comites sive *Graviones*, qui communiter jus dicebant: interveniebant extra ordinem & *Missi*, sive delegati à Principe, qui idem; ipse tamen Carolus Magnus audire caussas voluit, idque hebdomadatim, caussas scilicet graviores, aut in quibus læsio aut injuria intervenisse ab ipso

Lipsius. Iudice videbatur. *Lips. lib. 2. Monit. Politic. cap. 9.* Minoris enim momenti existimo fuisse, quas dum calcearetur aut amiciretur, introductis litigantibus definivisse, & veluti pro tribunali sedens

Eginhart. sententiam dixisse, Eginhartus testatur.

Carolus intereà Ludovici frater, decretam sibi nuperâ Peronensi Pace, Campaniam Briamque tradi cupiebat. Ad id obligari Regem, jurejurando in manu sua præstito, affirmabat Cardinalis Andegavensis, Caroli suffragator. Accedebat Burgundus, qui etsi anteà à Carolo desertus, vel ideo tamen affectum erga eum suum testabatur; quòd has ei Provincias, validas & opulentas, decidi fecisset, in quibus si à Ludovico vexaretur; possit à se vicino, intra diei noctisque spatium, auxilia præstolari.

Atqui hæc eadem caussa erat, cur Ludovicus, nol-

nollet fratrem suum Campaniæ Briæque incumbere: ut perinde non cessarit, donec in Aquitaniam eum transtulisset.

LIBER DECIMVS.

BREVIARIVM.

LVDOVICVS insuper habitâ Peronensi Pace, fedus cum Anglis, contra Burgundum init: quem & pharmaco tollere conatur, uti fecerat Ioanni Lotharingiæ Duci. Eduardus, Angliæ Regno depulsus, in Belgium venit. Ludovicus, per Conestabilem, Augustam Veromandiæ occupat: Ambianum deinde: cúmque Eduardus anteà pulsus, in Regnum rediisset; deserto Anglorum federe, novas inducias cum Burgundo paciscitur. Ad se quoq; rapit defuncti Comitis Vgellensis Dynastias. Ludit & Cardinalis Bessarionis operam, quem Xystus quartus ad pacem inter Gallos & Burgundos componendam miserat. Fratri Carolo toxicum propinari curat: quod ut dissimulet; mandat Salutationem Angelicam, in meridie recitari. Moritur Episcopus Parisiensis, non absque suspicione veneni à Ludovico dati. Mirâ astutiâ frustratur expeditionem Burgundi: cumque ludibrio habet; quamobrem iratus Burgundus; per Picardiam, & Normanniam fedè grassatur. Philippi Cominæi, à Burgundo ad Ludovicum, defectio: cujus demum pœnas dedit. Burgundus Geldriam & Zutphaniam èmit, vendente Arnoldo, quem filius Adolphus longo carcere detinuerat. Ejus rei Historia ex Lipsio.

COEPIT inde vindictam, quam diu corde presserat, contra Burgundum, Ludovicus meditari, idque non unius solùm aut alterius Oppidi lucro, quæ Somonæ adjacebant; sed totâ omnium lineâ si posset, & aliquo memorabili rei Burgundicæ fragore. Warvicensis, quem ad

An. 1470.

 se

ſe à biennio pellexerat, homo varius & quietis impatiens, inſtructis navibus Oceanum oberrans, prædas, è Mercatoribus Belgis, Rupellâ redeuntibus, agebat. Cùm contra Warvicenſem illum piratam, triginta navium magnarum claſſem; ſub imperio Henrici Borſalij Veræ Reguli, Burgundus emiſiſſet; intra Normanniæ portus coactus, latrocinij ſui curſum frænavit.

Id ægrè ferens Ludovicus, Amboſiam, omnes Eduardi Angliæ Regis hoſtes contrahit: conciliatáque in primis pace inter Warvicenſem & Margaritam, Henrici Sexti nuper Angliæ Regis conjugem; Warvicenſis filiam, cum Eduardo Walliæ Principe Henrici filio, connubio jungit.

Luxov. Inde ad federa converſi, arctiſſimum inter ſe ſanciunt contra Burgundum: *Non ſe* videlicet *ceſſaturos, donec eum peſſumdederint, ditioneſq́ ipſius omnes occuparint.*

Ex quo videſis, quantopere fidem ſuam, quam à biennio Peronæ Burgundo Rex dederat, ſervarit. Quod enim nunc paciſcitur cum Anglis; non ſanguinis, aut benevolentiæ cauſsâ factum eſt: ſed ut depulſo, ſi poſſet, Eduardo, ac reſtituto Henrico; totam Anglicanæ potentiæ molem, in exitium Burgundi, Pace Peronenſi inſuper habitâ, protruderet.

Ne-

Neque ſufficiebat callidiſſimo Regi interitum Burgundi, federe quæſiviſſe; fraudem adjunxit, conſcio ut aiunt Warvicenſi. Corrupto Balduino, Burgundi fratre notho, Burgundum ipſum toxico ſuſtuliſſet; niſi erraſſet in porrigendis litteris, veneni miniſter Collinetus homo vilis, & Antonium loco Balduini adiiſſet. Ita plexo Collineto, Balduinus ad Regem evaſit.

Feliciùs ſucceſſit aconitum, quod Ioanni Andegavenſi, Lotharingiæ Calabriæque Duci miſcuit, ob Comitatum Ruſcinonenſem, quem Ludovicus à Rege Tarraconenſi emerat, ſed Calaber ſuum eſſe defendebat: hanc ob cauſſam Boni Publici, cum reliquis Principibus, fedus ingreſſus.

Inſtructâ intereà Rotomagi claſſe, Angliam Warvicenſis tenuit, aciéque Eduardum invadens, cùm dèſereretur à ſuis, regno pepulit, & Henricum reſtituit. Hic caſus Eduardum, cujus ſoror, uxor Burgundo erat, in Hollandiam Flandriamque adduxit, donec opibus viribuſque, ad redintegrandum bellum auctus (quod mox evênit) talionem repoſceret.

Atqui Ludovicus callidè & ipſe oppugnare Burgundum cœpit: utque magis dolus procederet, non indixit bellum, neque per ſe geſſit. Quid igi-

Comin. igitur? Ludovicus Conestabilis, dux facti fuit: Augustam Veromanduorum occupavit. Burgundus, id jussu consilióque Regis fieri nescius, fiduciamque in Pace Peronensi reponens, quâ cautum erat, ut si hanc Rex fregisset, deseri à cunctis Principibus posset; soli Conestabili erat infensus: cui & gratius Pace, bellum erat.

Igitur & Burgundo Conestabilis scripsit, in magno discrimine res ejus, sive in Picardia sive Burgundia versari: neque remedium aliud esse, quàm si filiam unicam Mariam, tot ditionum heredem (quod facturus haud erat) germano Regis Carolo nuptum elocaret. Is enim Britannusque, rursus in gratiam cum Ludovico redierat.

Eo nuntio in Atrebates Burgundus venit, præsentiâ, si posset, compensaturus locorum præsidia, quæ nulla, Pacis tempore, in finibus erant. An. 1471. Inde Dorlanum profectus est: & quia magnis copiis stipatus Ludovicus Somonam petebat; vidit ante oculos suos Ambianum, aliaque mox riparia Oppida, ab se ad Regem deficere.

Eâ caussâ delectus habuit totâ Flandriâ Brabantiâque: ex Atrebatibus deinde ad Somonam movens, Picquiniacum cepit & evertit; postremò apud Ambianum castra metatus, prælium Ludovico obtulit.

Mu-

Mutatis inter hæc rebus Anglicis, ubi Eduardus, animis viribusque, quas Burgundus Belgicæque Provinciæ erexerant, reparatis; ter strenuè pugnans, ter victor evasit, capto Henrico ejusque unico filio, pacificè regnaturus in posterum; non est ausus Ludovicus manum conserere; sed induciis quas à Caroli Burgundi Legatis Ambiani obtinuerat; belli tædium, præliique aleam redemit.

Et licet eæ induciæ prorogatæ pòst sint; non desiit tamen ad earum famam Warvicensis, qui tum nondum ceciderat, Ludovicum perfidiæ & proditionis accersere, quòd federi apud Ambosiam nuper inito, tam liquidò contravenisset. Sed hæc erant Ludovici studia, fidem non diutiùs servare, quàm vel occasio vel utilitas jussissent.

Et quoniam vetus ipsius institutum erat, priusquàm videlicet inauguratus Rex esset, regulorum in Gallia copiam, ex disciplina Ottomanorum Regum extinguere, sicque despotico regimine cunctis formidabilem esse; Comitis Vgellensis Dynastias, absque liberis quidem, sed non heredibus defuncti, ad se rapuit: eademque operâ Philippi Comitis Nivernensis fratris Ioannis Intrepidi, ex Bona Vgellensi posteros frustravit. Meyer.

Obiit & hoc anno Paullus II. succedente

Xyſto IV. ad quem miſſus Venetorum Orator retulit, intereà dum inter ſe Chriſtiani Principes, Germania, Gallia, Anglia, Hiſpania, Pannonia & Apulia, mutuis odiis belliſque decertant; communem omnium hoſtem & tyrannum, eis abſtuliſſe Imperia duo, Conſtantinopolitanum videlicet & Trapezuntinum: Regna quatuor, Illyricum ſive Boſniam, Syriam, Armeniam & Moream ſive Peloponeſum: Provincias viginti duas: deniq́ue ducentas urbes.

Maff.

Cumq́ue inter Chriſtianos Principes eâ tempeſtate, Ludovicus Rex, & Carolus Burgundus eminerent, veluti ceterorum capita & arbitri; opinor eò contigiſſe, ut duos illos invicem conciliandos putaret. Erat Cardinalis Beſſarion, Græcus quidem, ſed non unâ ad Europæos Principes Legatione illuſtris; hunc ad utrumq́ue deſtinavit, Pacem ſicuti potuerit, ex iis induciis, quæ jam iras animóſque amborum temperaverant, eductūrum.

Cardinalis iter ingreſſus, ad Burgundum in primis applicuit, ſive quia difficiliorem fore ratus eſt, ob ſubleſtam Regis fidem, ſive quòd Ducis Burgundiæ Celſitudo, nihilo minor eſſet Regiâ Majeſtate. Is itaq́ue ſive caſus ſive error; tam malè Regem habuit, ut teſte Cardinale Papienſi Picol-

colhominio, *Mox ut regnum ingressus est, ipsi Regi cœperit* (Bessarion) *esse suspectus: progredi ad eum sit vetitus: menses duos ludibrio habitus, tertio tandem admissus sit: uno atq; ingrato colloquio, Legatio finita sit.*

Epist. ad Frãc. Tol.

Simulatque enim loquendi agendíque gratiâ, coràm admissus est, Rex barbæ ipsius promissam canitiem, manu palpans, ut erat festivè dicax & argutus, protulit hunc versum ex doctrinali Alexandri Galli, quæ Grammatica celeberrimo tunc in usu erat:

Barbara Græca genus retinent quod habere solebant. & cum dicto abcedens; Cardinalis operam, spemque Pontificis elusit.

Matth. Naud.

Germanus intereà Regis, haud leviter indignari cœperat, quod susque deque haberetur, ab una ad aliam Provinciam, pro Patris libito translatus. Ad Normanniam respectare videbatur, quã ei Pater attribuerat: satisque ad hoc virium habebat, si amicorum Ducũ opem, implorare voluisset.

Dum ita deliberat, Ioannem Comitem Armeniacum, etsi hominem pravo ingenio, eáque de caussa semel iterumque exilio multatum, ob bellicam nihilominùs peritiam, revocat è Pyrenæis montibus in Aquitaniam. Iam & ambiebat filiam Burgundi uxorem: & quia tum hoc, tum sociorum Principum auxilium, non vano rumore

An.1472.

 ni-

nitebatur, ſuſpicacis Regis degeneres animos, vehementer turbavit.

Ea de cauſſa ad ſolitas converſus artes, fratris impetum prævenire ſtatuit occultâ machinatione. Duos è familia ipſius, quos ad opes & honores Carolus provexerat, pretio conducit, qui male-cauto pharmacum pararent: quo neque citâ morte ne dolus parêret, ſed neque miti moreretur. Aiunt & incantaměta acceſſiſſe, eorumque auxiliũ, quorũ poteſtas, pluſquàm hominũ poteſt.

Meyer.

Tincti jam fratris, & lentè fugientis vitæ ſuſpicionem Ludovicus ut evaderet; ad ſignum æris campani, quod meridie ubique fieret, Virginem Deiparam, Angelicis verbis ſalutari, publicè Pariſiis indixit. Id Kalendis Maij contigit, quibus tunc pariter votiva & ſollemnis ſupplicatio eſt habita, præeunte Epiſcopo Pariſiorum, qui non abſque formidine artium regiarum, eodem die fatis conceſſit.

Nam cùm optimi viri ſubitariam mortem, unanimi ejulatu populus comploraret: jacentiſque manus & pedes, in memoriam virtutis ipſius, pio oſculo veneraretur; adfuerunt repente à Rege miſſi, qui nuntiarent, *Malæ vitæ Epiſcopum fuiſſe, parum ſibi addictum, imò fratris Caroli magis quam ſui ſtudioſum. Itaq; abſtinerent nil profuturis queſtibus.*

Chron. Scand.

Fi-

Finitis per id tempus, Regem inter Burgundúmque induciis, cùm ille frustrà Britannum impeteret; hic valido exercitu, ei Carolóque suppetias laturus, Ambianum usque duxit. Numquàm astu majore circumventus Burgundio, arma continuit.

Primùm quippe omnium, cùm Ludovicus sciret, intoxicatum fratrem, diu superesse non posse; inducias prorogari fecit. Sed ne deinde in Britanniam Burgundus penetraret; Pacem ei Regij feciales obtulerunt. Nihil ejus audire voluit, nisi redditis Oppidis ad Somonam. Legati à Rege edocti, responderunt, justum istud æquumque esse quòd per id tempus occupata forent, quo & præsidio carebant, & nullus hostis timeretur. Abstineret tantummodò Burgundus à tegendo Britanno, Regem quod petebat, præstiturum. Meyer.

Credit Burgundus, mittitque qui codicillos, rei promissæ testes adferat. Fit mora, donec Carolus Aquitanus, cui jam capilli, ungues, dentésque vi toxici & excantamenti defecerant, inter medios summósque cruciatus, trigesimo circiter ætatis anno, nono Kalendas Iunij, animam exhalasset.

Id ubi Ludovicus vidit, irriso explosóque Burgundo, neque Oppida reddidit: & per dispo-

ſitas opportunè legiones, Aquitaniam occupavit.

Fateor, ſi æquanimis eſſe Burgundus voluiſſet, & attendere momenta rationis; Britanni exemplo à quo erat redditus certior de Carolo Aquitano, violentâ morte ſublato, perfidiam potiùs Regiſque tyrannidem cavere debuiſſet, quàm eam vel juſtiſſimis odiis accendere.

Non fecit. ſed irâ & indignatione flagrans, tum ob ademta Oppida, tum quòd ea repetens, habitum ſe ludibrio ſenſiſſet; ultrà cum exercitu perrexit, ſi fors cum Rege committendi, occaſio alicubi fuiſſet.

Scribit intereà Provinciarum ſuarum Ordinibus, & ſibi à Rege verba data, & fratri toxicum, unde ſit miſerè defunctus: utriuſque ſceleris vindicem ſe futurum.

Ordinibus, operam opemque addicentibus, cùm Nigellam attigiſſet Veromandiæ Oppidulum; miſit, qui id dedi poſtularet. Hunc Nigellani occiderunt: eáque barbarie adeo Burgundum irritarunt, ut expugnato per vim Oppido, nemini pepercerit.

Hinc Roya & Mondiderium, deditionem fecerunt. Bellovaci obſeſſi: ubi cùm fruſtrà, menſem propè triviſſet, neque è conſilio ſuorum, viam Pariſienſem, quâ ad obſeſſos auxilia plus vi-

Comin.

vice simplice illata sunt, claudere voluisset, aut certè negligeret; Rotomagum castra movit, modis omnibus conatus, ad prælium Regem allicere. Ad hoc enim instructior, quàm ad Vrbium obsidionem advenerat.

Marcan.

Rex diffisus suis, cùm congredi non auderet, oportunis locis continebat exercitum, ne vires Burgundus Britannúsque conjungerent. Id fuit, cur deniqué nullo accepto detrimento, sed ob Regis fraudem illato quàm maximo (Pagorum duo ferè millia exussit) in Atrebates Burgundus redierit; & quamquàm immoderato desiderio, recuperandæ Quintinopolis & Ambiani teneretur; inducias tamen ad sequentis Anni Martium, pactus sit, quæ deinde plus biennio auctæ sunt.

Mait.

Hâc si non occasione, tempestate saltem, Philippus Cominæus, à Burgundo, quocum annis octo fuerat, ad Regem transfugit: vir præclaris naturæ dotibus, sed quas hæc animi levitas offuscavit. Luit tamen posteà transfugij sui pœnas, etsi magis hostium invidiâ, quàm merito suo. Captus enim regnante Carolo Octavo per triennium, (alij quinquennium) & Majestatis caussam dicere jussus, cùm patronum non inveniret, ob potentiam gratiámque actorum; pro se ipse dixit, & à Iudicibus absolutus est. Octo sanè mensibus,

Matth. Sleid.

uno

uno carcerum iſtorum, quos arctiſſimos, aucto-re Cardinali Virdunenſe fabricari Ludovicus juſſerat, detentum ſe fuiſſe, ipſe teſtatur.

Menſe Septembri Burgundus Ducatum Geldriæ & Comitatum Zutphaniæ, emtione adiit, vendente Arnoldo Duce, Patre Adolphi, quem carcere clauſum teneri Burgundus juſſerat. Hiſtoria referente Lipſio ſic habet.

Monit. Pol. lib. 2. cap. 5.

Fuit Adolphus Egmondanus, cui Pater Arnoldus Geldriæ Dux & Dynaſta erat. Ille adoleverat, iſte ſenuerat, & ægrè ferre cœpit Patris diuturnum imperium & vitam. Itaque per factiones, quoſdam è popularibus in arma trahit, & Patri bellum palàm facit. Sed Pater viribus & cauſsâ melior, obſeſſum in Oppido Venlone tenet: ac deniq́ue Principum vicinorum interventu, Pax coit, hâc lege, ut juvenis Vrbem Noviomagenſem ſibi accipiat teneátque, in qua liberè & ſolus dominetur.

Sed exigua ei hæc portiuncula viſa, reſilit mox à fœdere: familiares quoſdam Patris in ejus contumeliam laqueo enecat: & cùm videt à ſe vim fruſtrà tentari, ad alienam potentiam fugit, ad noſtrum Philippum Bonum Bruxellam venit, Patrem accuſat, ſeſe approbat, promittit multa: ſed apud verè boni Principis ſurdas aures.

Deſ-

Desperatis igitur auxiliis, ne Patrem videat, Hierosolymam properat, homo sacer scilicet ad terram sacram: paullò pòst redit omnium inops, quò, nisi ad Patrem? Recipitur amicè, & ipse pœnitentiam & amorem simulat, sed vultu non animo bonus. Nam fraudem & insidias Patri statim ita struit.

Erat senex Graviæ, ditionis suæ tunc Oppido, cum uxore. venit quasi per officium filius. more gentis epulantur, & bibunt largiùs, saltant etiam in multam noctem: ipso sene Duce sustentante, & in filij gratiam præter vires & morem lætiore.

Tandem cubitum se confert. Vix fecerat cùm adsunt à Noviomago, (ij juveni parebant) cives armati, & ab Adolpho clàm intromissi: rectâ ad cubiculum Ducis duce filio tendunt. Pulsant fores. Ille è lecto, jocos & choreas etiam tunc cogitans, *Negat id noctis saltare ultrà posse: juvenes faciant & abeant.*

At illi effractis jam foribus adstant, jubent surgere, & se consequi: *Quò autem?* ait senex, *& ubi filius?* Miser ubi auxilium putat, exitium est; & ille improbus: *Pater*, inquit, *necessitati parendum est, age sequere.* Nec tantillùm exspectant ut tuniculam interiorem aptet atque induat, ne tibialia quidem sumat, sed Pater equitantem filium, nu-

dis pedibus, corpore ita ſequitur Buram uſque. Ibi carceri tetro includitur, & ſex annos totos (non illius, ſed & popularium impietatem culpo) ſex inquam annos detinetur.

Tandem improbitas, querelas vulgi excitat, ſed & minas Principum vicinorum: è quibus Ioannes Cliviæ Dux ipſius Adolphi avunculus, arma etiam ſumit. Qui tamen à ſe parum validus, auctoritatem vel auxilia à Pontifice Paullo II. & Frederico Imperatore petit.

V. Paul. II. Litter. in Chron. Belgic.

Illi ſtatim annuunt, ad Adolphum acres minacéſque litteras ſcribunt, & ut Patrem luci & libertati reddat, jubent. Nihil fit, ridet. Itaque iidem Carolo Audaci noſtro, valido Principi totam rem committunt: liberet ſenem, reconciliet filium, denique faciat quod ex æquo & uſu videretur.

Ille utrumque coram ſe ſiſtere jubet, qui in Galliæ finibus Dorlani tunc erat. Adolphus haud ſpernendam iram, & juſſa tam potentis vicini ratus, Patrem ſecum eò ducit: accuſat in Concilio, feda & falſa in eum ingerit. quorum facile purgatus ſenex bonorum & illuſtrium virorum teſtimoniis; tandem impatientiâ & fiduciâ eò perrumpit, ut filium ad ſingulare certamen provocet, ferro & Deo judicibus, innocentiam ſuam aſſer-

aſſerturus. Mos tunc ſatis creber, in martiali noſtro populo erat, ſed Audax tamen abnuit, feditatem rei proponens & inſolentiam, & ſimul in eventu incerto, certũ ſcelus uter-cumque viciſſet.

Ita re cùm ſuis deliberatâ, pro ſententia dixit: *Arnoldus Pater ſolus titulo Ducis utatur: ſed filio Oppida Arcéſque totius Geldriæ cedat, ſolâ Graviâ ſibi exceptâ. Accipiat in alimoniam de manu filij, tria quotannis aureorum millia.*

Hæ conditiones: quis abneget, imò quis non miretur filio tam bonas? Sed non ſilent Hiſtorici, Carolum, neſcio quâ occultâ cauſsâ an pacto, in filium proniorem.

Quid tamen deinde? Refertur ad filium, & quidem à viris primariis & gravibus, inter quos Philippus ille Cominæus erat, qui hæc ſcripſit. At ille reſpondit in ipſa verba: *Malle ſe præcipitem dare Parentem in puteum, ſe deinde ſuperjicere, quàm ut in has conditiones paciſcatur. Quid malum?* inquit, *Pater alibi imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit. Æquum eſt ut noſtræ quoq; vices ſint. Nec aliud admiſero quàm de penſione trium millium: ſic quoq; ut Pater totâ Geldriâ cedat, atq; adeo excedat, nec umquàm pedem in eam referat.*

En reſponſum, non tam impium, (& ita tunc omnibus viſum) quàm inſanum. Igitur Carolus

cui aliæ res prævertendæ, cùm idipſum temporis Ambianum Galliæ Rex intercepiſſet, dilatâ hâc cognitione, expeditioni ſe parat.

Iuvenis ſuſpicatus detentum iri, averſione animorum cognitâ, fugam cum duobus comitibus, Gallicâ veſte ad ſuos capit, omnia in reditu vi & armis occupaturus aut turbaturus. Sed ecce Namuri, dum Moſam flumen cymbâ tranſmittit, agnitus ab uno alteróque vectorum, mox à pluribus, capitur, & ad Audacem reducitur: qui Vilvordiam, atque inde Cortracum duci, & in honeſta cuſtodia aſſervari juſſit.

Manſit ad Audacis ipſius mortem, cùm Gandavenſes pro ſuo tunc more turbas daturi, hunc idoneum ducem arbitrati, eum ſolvunt, & bello in Tornacenſes præficiunt, quos tunc Galli habebant. Ivit cum manu aliqua, adequitat mœnibus, erumpunt præſidiarij, & miſer inter primos cecidit. *Ita Lipſius.*

Arnoldus porrò Dux, ſexto pòſt menſe moriens, venditionem ratam habuit, conditóque adhæc teſtamento, Burgundum heredem ſcripſit, impio ingratóque filio, jure expuncto. Ita enim menſe Maio ſequente, in Comitiis Aurei Velleris, cujus Sodalis Adolphus Egmondanus erat, Valencenæ celebratis, non tantùm arbitrati ſunt

Equi-

Equites; ſed & Adolphum perpetuo carcere detineri juſſerunt.

Et quamquàm id merebatur, tanta tamque enormis immanitas; primus attamen inter Geldriæ Principes haud Adolphus fuit, qui tentum carcere Patrem concluſerit. Paullò enim ampliùs integro hinc ſæculo, Reinaldi, qui prælio Woeringano, à Ioanne Brabantiæ Duce victus fuerat, filius Reinaldus idem fecit, Patremque per annos circiter octo, donec redderet animam, cuſtodiâ detinuit: quem nihilominus filium, primum è Comite, Geldriæ Ducem, Ludovicus poſteà Bavarus Imperator creavit.

Trithem.

Paternum impietatis exemplum imitati filij Reinaldus & Eduardus, cùm ſuffragantibus popularibus factionibus, Bronchorſtiis videlicet Hecheriiſque, pluribus inter ſe Annis, de Geldriæ Principatu decertaſſent; fratrem denique Reinaldum Eduardus, toto pariter decennio conſtrinxit: ſic ut non antè liberatus fuerit, quàm prælio, Guilielmum Iuliacenſem, & Wenceſlaum Brabantum inter, Eduardus cecidiſſet: à quo tum tempore Principatum Reinaldus reſumſit.

Ceterùm hujus Reinaldi, abſque liberis defuncti, ex Maria ſorore Geldriæ Duciſſa, Pronepos Arnoldus Egmondanus fuit, Abnepos Adolphus.

Heut.

RERVM FRANCICARVM DECADIS QVARTÆ

LIBER PRIMVS.

BREVIARIVM.

FRAVDIBVS Ludovici, plures Galliæ Principes, sublati è medio. Geldriæ & Zutphaniæ possessionem, Burgundus adit, & cum Gerardo Iuliacensi transigit, eâ summâ, quam pòst Neomagenses dependunt. De Pace Burgundum inter & Ludovicum, actum Silvanecti, non peractum: quamquàm Burgundus juxta Peronensem formulam, à Clientela Gallica nunc liber effectus, Supremum Mechliniæ Concilium erigit: & Toparcham Chimacensem Comitem creat. Mox Treveros, quò & Fridericus Imperator, profectus; de Geldria, Zutphania, aliisque Dynastiis, sacramentum ei Clientelare dicit: petitque ab Augusto restaurari vetus Burgundiæ Regnum. Non obtinet: etsi filiam Mariam, Maximiliano tunc desponderit. Robertus Bavarus, & Hermannus Hassus, pro Episcopatu Coloniensi disceptant. Hinc Novesium Burgundus, Bavari partibus addictus, frustrà obsidet: quo tempore Ludovici Regis cupiditas, facetè ab Imperatore elisa. Lotharingus à Ludovico incitatus, Burgundo hostis efficitur: nec non Sigismundus Austriacus. Cùm itaque Burgundus Lotharingiam invasisset; in Helvetios profectus Gransonam capit: pòst inito inter montium angustias prælio, magnâ militum strage, & rerum damno, sternitur. Burgundi celeberrimus Adamas, tunc amissus. Hanc cladem, nonnulli, traditi Conestabilis pœnam dixêre, quem Ludovicus paullò anteà decollaverat, uti posteà Ducem Nemorensem. Alterâ vice Burgundus Helvetios aggressus; alterâ vice cæditur. Quamobrem Lotharingiam suam Dux repetens; Nanciacum capit: quod dum Burgundus pertinaci consilio vult recuperare; proditus & desertus à Campobasso, in prælio occiditur. Astrologorum de Burgundi fine, præjudicia.

In-

INTEREA Ludovicus voti sui, quod de minuendo Dynastarum in Gallia numero pridem habuerat, compos utcúmque fieri cœpit. Ioannem Comitem Arminiacum, Bonique publici nuper Socium terris, rebúsque in primis, ac deinde in Oppido Lectoriensi obsessum, vitâ spoliavit: insuper habitâ fide, quam ei Cardinalis Albiensis, in Oppidi deditione pactus erat. Meyer.

Paria tulerunt Carolus Alebretus, & Ioannes Alenzonij Comes, bonis videlicet, ac capite multati. Melius cavisse sibi videbatur Nicolaus Lotharingiæ & Calabriæ Dux, Ioannis filius paullò antè Regiâ fraude sublati, desertâ tempestivè Galliâ ad Burgundum adductus: nisi & hunc florenti ætate, tolli è medio Ludovicus jussisset.

Et quoniam Conventus Aurei Velleris Valencenæ habitus (ubi togâ coccineâ Holosericâ, pro lanea Equites donati) dum testamentum Arnoldi Geldriæ Ducis ratum habet: ejusque filium Adolphum clusum carcere teneri jubet, potestatem Burgundo fecerat Geldriæ possessionem adeundi; id mox comparato exercitu effecit. Et quia Gerardus Iuliacensis, Arnoldi filiâ seniore natus, exheredato Adolpho, proximum ad eam An. 1473. Matt.

jus

jus habere videbatur, in quo ei Fredericus Imperator faverat; octoginta Aureorum millibus, id Burgundus redemit, & Gerardus cessit, assentientibus filiis Guilielmo & Adolpho.

Ita Burgundum Geldri & Zutphanienses, partim volentes susceperunt, partim armis adacti. Neomagenses enim, qui Adolphi filium octennem, penes se habebant, tantisper ausi resistere; depensione ejus summæ, quam Juliacensi stipulatus Burgundus fuerat, Pacem gratiámque adepti sunt. Liberi Adolphi duo, apud Burgundi conjugem Gandavi educati.

Eodem tempore componendis rebus Gallicis Burgundicisque, Silvanecti, sed & alibi laboratum est. Burgundus aut Oppida ad Somonam (quorum cupiditate nimium arsit) reddi volebat, aut ab omni Regis imperio & clientela, juxta Pacis Peronensis scita, immunis liberque declarari. Cùm nihil horum præstare Rex vellet, Pacemque omnem sive Peronensem, sive Confluentinam, & quæ duabus erat antiquior, Atrebatensem, uno eodémque loco haberet; veteres iras Burgundus, veteresque dolos & perjuria, Rex accumulavit.

Crediderim tamen, alterutrum eorum quæ dixi, Burgundum ursisse; quòd pridem sepultam

Re-

Regalis sceptri gloriam, Burgundiæ restituere animo agitaret: cui rei plurimùm momenti attulisset, sive latiùs, sive liberiùs principari. Iam enim hujus Anni initio, usus occasione ruptæ à Ludovico Pacis Peronensis, sicque defectæ clientelæ, quam hactenus Galliæ Regi debuerat; Supremum Mechliniæ Concilium erexit, eóque Belgicarum plurium Provinciarum caussas omnes, quæ Parisios hactenus delatæ fuerant, advocavit. Marcan.

Id Concilium, etsi post Caroli mortem, Maria tantisper frænarit, belli Gallici videlicet Civilísque metuens; restituit nihilominus Mariæ filius Philippus, ad Annum M. CCCC. XCIII. etsi non pari Senatu & pompâ, atque Avus inchoaverat.

Edidit Carolus mox & aliud Majestatis Belgicæ specimen, dum Toparcham Chimacensem Ioannem Croijum, sollemni conventu & cærimoniâ, Comitem dixit, quod nemo hactenus Belgarum Principum fecerat, quia opinor Galliæ beneficiarios, unde se jam Carolus exemerat, profitebantur. Marchât.

Belgicis itaque ditionibus, adjectâ jam Geldriâ Zutphaniâque, in Treveros perrexit, ubi pariter adfuturus Fredericus Imperator, aut voti

Regalis, quod admodum cupiebat, compotem cum faceret: aut quod ambo ignorabant, fatis præluderent & magnitudini posterorum.

Quamobrem nobilissimo & splendidissimo comitatu uterque stipatus, Treveros venit: unáque cum Imperatore Calapinus Amurathis Turcarũ tyranni filius, qui fratris Mahometis more gentis insidias fugiens, Romam adductus & baptizatus, Callistus Ottomannus, à Pontifice Callisto dictus fuerat.

Exstat Tom. 2. M. Frch.

Libet hanc Principum magnificentiam, Rudolphi Agricolæ qui tum vixit, stilo exhibere, quem ex Epistola Gallicè à Præposito Brugensi scripta expressit. *Imperator*, inquit, *vestiebatur textili auro. vestis ad pedes profusa, & circum collum replicita, perq́ humeros more Turcorum sparsa, limbo circum pedes manusq́, ingentis pretij margaritis picturato. Ipse grandis natu, sed virenti adhuc atq́ solidâ juventâ. Dux autem circiter quadraginta natus annos, in ipso ætatis robore, medio rerum gloriæq́ cursu, conspicuus, armis se totum texerat. Fulgebat desuper chlamys, unionibus, carbunculis, adamantibus distincta: quam qui parcissimè, ducentorum millium Scutatorum, æstimaverunt. Filius Imperatoris decimumoctavum agens annum, insigni facie, egregio pro ætate & capacissimo paternæ fortunæ ingenio, indutus sanguineum inter-textum argento. Turci filius amictus patrio more, veste*

au-

aureâ figuratâ erat. Crinem in nodum collegerat, ſicut Sarmatæ ſolent: torvus aſpectu, prorſuſq́; horror, & patria vaſtitas vultu apparebat.

Tantis Principibus, tantæque eorum in veſtitu pompæ, cetera reſpondebant, id eſt comitatus amborum, è Germanica Belgicáque nobilitate eximiè ſelectus: Ædis ſummæ in quam ſacrorum cauſsâ convenerant, pretioſiſſimus ornatus: triclinium omnem cultum & magnificentiam ſuperans: menſarum ordines, convivij lances & fercula, miniſtri, aliaque id genus, ſumtûs & operis planè infiniti: præter ludos, decurſiones, certamina & ſpectacula, in nullo veterum ſive Græcorum ſive Romanorum opibus ac magnitudini cedentia.

Chron. Belgic.

Hîc præſtita Imperatori, Ducatus Geldriæ nomine, quod pridem omiſſum erat, à Burgundo fides: idemque factum de ceteris Dynaſtiis, quas intra fines Imperij poſſidebat.

Popoſcit & Carolus reſtaurari ab Auguſto vetus Burgundiæ Regnum, frequentibus rerum mutationibus, familiarum ortu & interitu, bellorum cladibus, Francorum vicinitate, ſive everſum ſive ſuppreſſum: oblitteratóque deinceps Ducis titulo, *Rex Burgundiæ* appellari.

In hunc finem parata erant ornamenta Regalia,

Corona Sceptrumque: visebatur erectus in æde summa thronus Imperialis, paucisque infra eum gradibus, Regius: Episcopo Metensi, datum negotium peragendæ Sacræ unctionis.

Vtque hæc erant multò maximè splendida, neque minora animis ambituque Burgundi; cùm tamen filiam ejus unicam, filio unico Maximiliano Imperator uxorem peteret; Legatus per Burgundiam Imperij fieri, adhuc Carolus postulavit.

Et quamquàm novum hactenus & inauditum erat, Regem aliquem ab Augusto creari: quinimò barbariei & latrocinij res sit, nisi eam justitia tueatur, nomen decusque Regale, uti in Italia Longobardorum, in Pannonia Hunnorum, in Hispania Gothorum, in Gallia Francorum, in Britannia Saxonum, Anglorum, Scotorum, qui totidem Provincias Romano Imperio eripuerunt; successisset tamen sua Carolo Burgundo gloria, nisi eorum quæ Treveris gerebantur redditus certior Ludovicus Rex, pro versutia quam animo gerebat odióque Burgundi, Imperatori suggessisset; *Caveret equidem à Carolo, titulo Legati, toti eum Imperio insidiari.*

Quamobrem Imperator, veluti desubitò evocatus aliorsum, rejectâ, uti simulabat propter con-

connubij filij spem, in aliud tempus coronandi Burgundi cærimoniâ; ne quidem illo salutato, Coloniam properavit.

Ea res, etsi pessimè eum habuerit, indignationem attamen ne magis irrideretur, pressit. Atqui in eo visus est evertisse fortunam suam, quod filiæ cum Maximiliano connubium distulerit: quo Germanorum Principum accersitâ amicitiâ & fide, tutus erat non à fraudibus tantùm dolóque Ludovici; sed & à viribus Gallorum. Quid dicam? Prævalet ubique

Sidus, & occulti miranda potentia Fati.

Nam cùm Ludovicus Rex, ob frustratum spe suâ Burgundum, in sinu gauderet: Burgundus Imperatori infensus, vindictam, cujus suápte avidus erat, meditaretur; morte Theodorici Archiepiscopi Coloniensis, inter Robertum Bavarum & Hermannum Hassum, quorum uterque aspirabat ad Cathedram, orta contentio est. An.1474.

Robertus Burgundi propinquus, ut in suas eum partes, faciliùs tenaciúsque pertraheret, Patronum Ecclesiæ Coloniensis elegit. Verùm cùm Hermannus, Clero civibúsque magis placeret, qui ambo Robertum urbe pepulerant; ut & hunc tueretur, & viam sibi in Germaniam Burgundus sterneret, arma expedivit.

Hac de caussa Novesium obsessum, qua in urbe Hermannus erat.

Imperator, cumque eo Germania pœnè tota, passi indignè externum Principem res Germanicas ad se evocare, dum Litteris & ratione, Burgundum ab incepto dimovere non possunt; contrà eduxere.

Nullo quidem decretorio certamine, belli alea tentata est, quamquàm id Burgundus magnopere affectaret; obsessorum nihilominùs, in magna licet penuria, robur & felicitas, non absque propitio Numine, & occultâ vi fati, ad deferendam unius propè anni obsidionem, Burgundum inflexit. Neque enim pluribus decem diebus, egestatem suam, tolerare obsessi poterant.

Comin.

Per obsidionem interim, ut de indole sua nihil Ludovicus omitteret, Legatos ad Imperatorem misit, Metis Comitia agentem: *Ut inito utrimq; fœdere, ita Ditiones Burgundi partirentur, ut quæ Imperij essent, Cæsar; quæ Galliæ, Rex obtineret.* Ita videlicet tribus, quod aiunt, verbis, votorum suorum summam, quò pridem anhelaverat, Ludovicus exprimebat.

At prudens Imperator, cupidissimam hominis stultitiam, Ursi fabulâ retudit, qui pelli suæ insidiantes aliquando Venatores quos prostraverat

rat monuit, *Vt ne umquàm eam impignerarent aut venderent, nisi Feram reápse cepissent.*

Et quamquàm prehendendi Vrsi, id est opprimendi Burgundi studio, Cæsar & Rex laborarent: imò hic novum Burgundo hostem, putà Lotharingiæ Ducem suscitasset, qui priùs amicus fuerat: isque jam latè Ditionem Luxemburgensem, uti Cæsar & Gallus Burgundicam & Picardicam popularetur, dum adhuc Novesium Burgundus fatigaret; attamen non fuit ausus, etsi finitis induciis, Ludovicus in belli cum Cæsare societatem venire: quòd Eduardus Angliæ Rex, partim Burgundicæ affinitatis, partim recentis beneficij memor, instructis contra Galliam navibus adventaret.

Quapropter Eduardo Ludovicus obviã egressus, imò in colloquium adducto; præsente pecuniâ redemit imminens periculum: & promissâ, quod sequi poterat, antevertit. Polyd.

Acciverat Ludovicus & aliud Burgundo bellum à Sigismundo Austriaco, quod etsi obsesso Novesio tantisper frænatum est; nunc tamen in omnes inito federe conjunctos hostes, simul erupit. Res sic habet.

Sigismundus Austriacus, cum Helvetiis diu præliatus, eò devenerat inopiæ, ut Ditiones suas

ad

ad utramque Rheni ripam, Sungoiam, Brisgoiam, Nigrum-nemus ac Ferrettam, à septennio circiter, acceptis centum Aureorum millibus, Carolo Burgundo oppigneraret. Eâ quippe viâ ad Burgundum, Dynastiæ quas dixi, accesserunt: quibus præfecit Petrum Hagenbachium virum nobilem, cetera crudelem & avarum.

Hunc Brisacenses primum vinculis onerarunt, præsidiariis partim cæsis, partim fugatis: pòst Rhenani omnes, inito consilio; capitis supplicio affecêre. *Bilibald.*

Iam & Ludovicus, ut plures Burgundo hostes faceret, Pace inter Helvetios & Sigismundum conciliatâ; centum Aureorum millia, quibus pignus solveret, certis ei legibus commodavit, haud ignarus Burgundum tergiversaturum. Erat pecunia Basileæ parata, Burgundus eam Vesontione numeratam voluit: & quoniam ex ea scintilla bellum exarsit; nullo pretio, Ditiones suas Sigismundus recuperavit. *Comin.*

Inter hæc Xystus Pontifex, Iubilei celebritatem, ad Vigesimum-quintum Annum revocatam egit, Anno ejus sæculi LXXV. quam Ferdinandi Regis Neapolitani adventus, insignem fecit. Et eodem Pontifice duo Reges, alter Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ, Gothorum: alter Vallachiæ *An.1475.*

&

& Bosniæ: duo item Duces, Saxoniæ & Calabriæ, voti causâ ad Apostolorum limina venêre. Sabell.

At verò Burgundus, relicto, uti diximus, Novesio, imò Pace cum Imperatore initâ, pactisque cum Ludovico ad novennium induciis, postquàm videlicet, quas pro Burgundo adduxerat suppetias Eduardus trans mare reportasset, filiæ suæ cum Delphino nuptiis, ac datæ Aquitaniæ, supra præsentem promissamque pecuniam sorte illectus; in hosce novos, & repentè studio Ludovici exortos hostes Burgundus profectus est: quos sanè non habuisset; si Germaniæ Principes nuptiarum filiæ cum Maximiliano federe, rebus suis intulisset.

Ante omnes, Oppidis, totáque ditione exutus Lotharingus, in Galliam ad Ludovicum confugit.

Quod ubi Helvetij senserunt, jamque lateri suo imminere Burgundum, polliciti restituere quæ priùs abstulerant, Pacem supplices ab eo petunt.

Et quamquàm ejus obtinendæ causâ ad emolliendos illius animos, (quos, fateor, ingentes habebat) quidam diceret: *Phaleras equitatus ipsius, pluris valere, quàm cuncta spolia civitatis Helveticæ*; quia tamen jam Lotharingiam habebat, apertámque Comin.

viam in Mediolanenses è Belgio affectabat, ac demum regnum omne Arelatense Burgundiæ unire; frustrà id fuit.

Helvetij igitur Veteranorum delectu habito, contrà se parant: eósque Ludovicus, capitalis Burgundi hostis, clàm pecuniâ juvit, recentes inducias prævaricatus.

Erat Nicolaus Campobassus Neapolitanus exul, qui Andegavensibus ad mortem Nicolai usque Calabri militarat, à Burgundo, magis in exteros quàm in populares prono, conductus. Hic adunato in Italia exercitu, junctísque Mediolanensium & Allobrogum auxiliis, Losannam in transitu capit, etsi jam tum cœptus esse proditor. In Italia enim, erat à Simone Papiensi Regis Medico, aureo bolo inescatus.

Comin.

Expugnatâ ut dixi Lotharingiâ, in Helvetios Burgundus movens, Gransonam Oppidum, quod nuper Helvetij Regis jussu, Comiti Romontij eripuerant, deditione occupavit. Hîc, contra fidem moremque suum pacta frustratus, complures partim reste, partim aquis suffocavit: rei indignitatem, totâ cohorrente & condemnante Germaniâ.

Quid facerent Helvetij? Mares animos collectásque vires, federatorum auxiliis fulcerunt: &

quo

quocum hactenus neque Ludovicus Rex, neque Fredericus Imperator, bello confligere ausi fuerant, aggrediuntur. Nullum erat Burgundo, periculum, si exercitum patente loco continuisset: sed quoniam spreto consilio, montium faucibus angustiisque intulit, ubi nimirum haud poterat eum in Ordines explicare: Helvetij verò, non uno aditu, veluti è latibulis confertim irruentes, primam aciem prostravissent: dum simulatâ nothi Burgundi fugâ, hostem in planitiem & tormenta adducere gestiunt, idque peditum vulgus ignorat; transeunte in vecordiam solertiâ, fusi fugatique sunt, ipso nequidquam Duce suppetias accurrente.

Meyer.

Non eo infitias, Campobassum hîc, proditionis suæ tyrocinium fecisse, cui posteà coronidem imposuit. Impedimentorum interim rerumque aliarum, majus damnum, quàm hominum strages fuit: cùm pravo tum, sed recepto, uti hodie more, quidquid in supellectile pretiosum esset, id secum in castra, Principes viri deveherent.

Bilibald.

Præter belli apparatum, capta tormenta omnia, & signa militaria viginti-septem: tantùmque pecuniæ, & pretiosarum rerum; ut acervis factis, Helvetius miles omnia divideret, tricies centenis aureorum millibus æstimata.

 In-

Inter hæc, Adamantem Burgundus amisit, toto celebrem orbe terrarum: qui unico primùm aureo væniit, pòst tribus: atque inde Lugdunum delatus, undecim millibus, ac demum à Iulio Secundo Papa, viginti aureorum millibus emtus est. Præter splendoris puritatem, omni carentem vitio, magnitudine suâ mediocrem excedebat juglandem, cui etiam non erat dissimilis, angulis decem & octo conspicuus. Quam fidem perinde mereatur quod nonnemo scribit, Margaritam Eboracensem dum Carolo jungeretur, habuisse in Corona Nuptiali aurea, præter quatuor pretiosissimos Vniones, Adamantem Libræ unius; judicent Gemmarij. Eum, quem dixi, testatur Bilibaldus, sibi puero visum fuisse.

Snoij.

Secundùm hanc cladem, Helvetij quos ad Gransonam Burgundus strangulari jusserat, reste soluti, terræ dati sunt: iisdemque restibus totidem è captivis suspensi: ipse Dux à federatis suis desertus est, Galeatio Mediolanense, Renato Neapolitano, Frederico Tarentino, Viduáque Sabaudi, qui certatim omnes ad Ludovicum defecerunt.

Comin.

Vulgò jactatum est, bonam fortunam ideò inter alia Burgundum destituisse, quòd contra obligatam fidem, Conestabilem Franciæ, ad se re-

retractum veluti ad sacram anchoram, Regi Ludovico nuper tradidisset: qui veteri in eum odio flagrans, propter Boni publici societatem, & recentia quædam facinora, cùm parcere nemini posset, capitali supplicio, Principem alióquin egregium, publicè affecit.

Sed non existimo, culpari in eo Burgundum potuisse, qui per id tempus militaribus curis, in obsidione Nanceana distentus, hostiumque quos ei quotidie Rex suscitabat anxius, vix ista valebat attentè discutere, etsi plus vice simplice, graviter eum Conestabilis offendisset; at potius arguendos Imbercurtium & Hugonetum, qui privatis illum odiis prosequebantur. Quare verisimile est, Regiæ cupiditati obsequi quantocyùs voluisse, cùm scirent, præsertim Hugonetus, in ejusmodi caussis alterum à Principe rescriptum exspectari: neque dubium fore, quin sibi traditum, mox interemturus Rex esset. Horis enim dumtaxat tribus, profectus Conestabilis erat, cùm ecce noviores à Burgundo litteræ appellunt, quibus ei servari jubebat fiduciã semel concessam. Atqui jam periturum, properantia fata rapuerant. Colins.

Securi percussus est Parisiis, decima-nonâ Decembris, eo anno quo Burgundus Lotharingiam, uti dixi, occupavit.

Per id tempus, tenebatur pariter in carcere Dux Nemorensis Iacobus, & ipse quondam Boni publici collega atque eo præcipuè nomine, factus capitis à Ludovico reus.

Burgundus, postquàm animi corporisque ægritudinem, ob acceptam cladem Losannæ procurasset; talionem ab Helvetiis repetiturus, bellum instauravit. Idem fecêre Helvetij, auctore Gallo: qui uti nova eis sociorum, auxilia; ita præsidium argentarium conciliavit, cujus ea tum gens plurimùm inops & egena erat. Sanè enim in præteriti belli sumtus, Regem Ludovicum, plusquàm decies centena Aureorum millia impendisse, Cominæus testatur: præclaro videlicet servatæ fidei & induciarum elogio.

Comin.

Obsidet itáque Burgundus Morathum, exiguum in Alpibus Oppidum, vixque trecentarum ædium capax. Helvetij, Rhenani, Comésque Sigismundus clanculùm sollicitatus à Rege, cum Ferrettanis aliisque, contrà proficiscuntur. Adest & Renatus Lotharingiæ Dux, milite atque auro Gallico instructus: quem Regis intuitu, totius exercitusHelvetij Imperatorem creant: soliti alióquin peregrinæ linguæ homines aversari, ac primùm nobiles & illustres viros, quibus nec foris nec domi utuntur.

Com-

Commiſſo prælio, Burgundi cadunt, & obſidione ſolvitur Oppidum.

Et quamquàm interfectorum utrimque numerus idoneus fuerit, ut quidem noſtrates ſcribunt (Bilibaldus enim è Burgundis triginta millia cecidiſſe ait) attamen cùm vidit Burgundus, priſtini decoris, quod recuperare geſtiebat, amiſsâ ſpe, duplicari clades ſuas, ludibrióque exponi nomen quod antè geſſit; animum ſaucium moderari vix potuit: Helvetiis contrà, Lotharingis & Gallis, ſpoliis & choreis, aliiſque lætitiæ feſtis indiciis, gaudentibus plaudentibuſque.

Bilibald.

Quare nec diſtulit Renatus, conſilio opibúſque Regiis, ſociorum adhæc robore & felicitate fretus, Lotharingiam repetere. Commodùm etiam accidit, ut per id tempus defunctæ aviæ hereditate augeretur. Occupatis igitur minoribus quibuſdam Oppidis, Nanciacum obſedit: ubi Angli Præfecto ſuo amiſſo, cùm auxilia lentè ſuccurrerent, adeo Rubempreum impulerunt, ut niſi deditionem paciſceretur, id ſe abſque mora facturos minarentur. Paruit Rubempreus: cùm ecce triduo vix elapſo, ſuppetiæ, ſed fruſtrà, adfuerunt.

Et quamvis Octobris initio, magnâ ſuorum lætitiâ Nanciacum victor Renatus ingreſſus ſit;

ad

ad ejuſdem nihilominus finem, metu Burgundi, fugit, novas à federatis vires copiaſque accerſiturus.

Iam & Burgundus, nihil moratus, attritum & invalidum exercitum, nihil inſtantem hiemem, àliáque incommoda quibus propè ſeptus concluſuſque erat, ad Nanciacum movit initio Novembris: priuſquàm videlicet novo ſive opere, ſive annonâ muniri inſtruíque poſſit.

Hîc, dum ſuópte conſilio pertinaciter obhæret, & omne melius aliorum aſpernatur; capitur Cifronius Renati œconomus, in ipſo molimine commeatûs ad obſeſſos invehendi. Erat Cifronius, proditionis Campobaſſi conſcius, qui emtus, uti diximus à Rege, nil præter exitium aut mortem, Burgundo machinabatur, acceptæ ab eo alapæ contumeliâ irritatus, & ſtipendiorum, quorum ferre moram non poterat avarus exactor.

Cifronius itaque capitis damnatus, ut præſens ſupplicium evaderet, maximo rogabat opere ad Burgundum admitti: editurus videlicet, quid Campobaſſus animo agitaret, eáque operâ ſibi vitam, Burgundo ſalutem aſſerturus. Quidquid reus precatus eſt, quidquid inſtitit, fruſtrà fuit. Campobaſſus non tantùm arcuit qui mittebantur, ſed procuravit ut citatâ morte reus plecteretur.

tur. Ita dum ducitur, *Non aliter Burgundo quàm sibi, supremum diem imminere dixit: idq; eum optimè nosse, qui Legatus ejus sit.*

Eventu, ſententia non caruit. Quantùm enim virorum & nummorum, per Litteras Burgundus, ad continuandam obſidionem, adoleſcente licet, hieme, à Belgis ſuis flagitabat; tantùm ſignificabat Campobaſſus, *Nihil opus eſſe talibus adminiculis: obſeſſos mox, inopiâ rerum omnium, deditionem facturos:* adeò ut tantæ Campobaſſi perfidiæ ignarus Burgundus, haud ſecus atque rebellibus (cùm nihil acciperet eorum quæ popoſcerat) Brabantis Flandriſque ſuccenſeret.

Dum itaque Belgarum æra & auxilia tardant; conglobati undique vicini & hoſtes, quos tantillo ſtipendio, Ludovicus, (plura pollicitus) viritim aſperſerat, coëunt ad quindecim millia: allaturi ſuppetias ad obſeſſos, aut tentaturi prælij fortunam.

Bruma erat, adeóque attritæ copiæ Burgundi, ut inter decem millia, vix incolumes bis mille forent. Præter conſuetudinem attamen, conſilium ſuorum, quod neque ſecutus eſt, exploravit. Id erat: *Vt tantiſper deduceret exercitum: hypocauſtis & pellibus aſſuetos per hiemem Germanos, mox ubi commeatum Nanciaco intuliſſent, dilapſuros: eoq; abſumto,*

An.1477 *difficile rurſus congregatum iri.* Non paruit Burgundus, ſive contrà reluctante Campobaſſo, ſive negotium ſuprà turbantibus fatis.

Chron. Scand. Impar hoſti congreſſus, imò jam deſertus à Campobaſſo aliiſque, cùm nullam ſpem reliquam videret; in confertos hoſtes irruens, fortiſſiméque dimicans, quintâ Ianuarij Anno M. CCCC. LXXVII. cecidit, tribus vulneribus confoſſus. Aiünt potiſſimè percuſſum à ſurdo milite, qui comprimi, ne clamoribus quidem prohibentium poterat.

Cadaver poſt triduum repertum, & cognitum certis indiciis, Nanciaci terræ mandatum eſt, additis natalium inſignibus & epitaphiis: oſſa pòſt Brugas allata, & illata mauſoleo Mariæ filiæ, in æde Deiparæ.

Angelus Catthus Neapolitanus, qui demum Archiepiſcopus Viennenſis, auctor extitit Philippo Cominæo Hiſtoriam ſcribendi, per id tempus Ludovici Regis Aſtrologus, hunc infelicem exitum, uti Duci Burgundiæ, ita & Adolpho Egmondano ſuum prædixit.

Sleid. Naud.

Chron. Sponh. Meminit & Trithemius Ferdinandi cujuſdam Hiſpani, viri undequaque ſcientiſſimi, imò prodigij magis quàm hominis, qui Carolo interitum, quem tum ille ſprevit, ex Aſtronomica peri-

ritia vaticinatus fuerit. Cumque Scotorum Legati, tum circiter in Flandriam appulissent; ab eis aliquando forte fortunâ invitatus ut unà cœnaret, Andreas quidam Medicinæ Professor, & qui magnam pariter Astrologicarum prædictionum peritiam habebat, occultè admonuit: *Non esse cur magnoperè festinarent, intra paucos enim dies, certim de Duce nuntium affuturum*: cùm ecce intra triduum renuntiatum est, Ducem in prælio cecidisse. Buchan.

Ita evênit, quod prædictum olim Patri Philippo fuerat, filij recèns nati fortunam, ex cæli siderumque positura consulenti: *Strenuum quidem bello fore, sed gloriâ haud constante: eandemq; quam fata dedissent, demùm eversura.* Snoij.

Neque tamen hisce obstantibus, fidem apud subditos reperire potuit Principis mors, tanto eum amoris æstu, sed frustrà prosequebantur, ut idonei Scriptores prodiderunt. Fuit deinde Eremita, qui Carolum se mentiretur, septennemque pœnitentiam vovisse ob temerè suscepta bella: qui ob id à permultis visitatus, tandem ne agnosceretur se subduxit.

LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM.

CÆDE & clade Burgundi, Ludovicus mirificè exultans, Belgicas omnes Provincias, facere suas cogitat. Diversoria Cursorum, ab eo ordinata. Prætextu Matrimonij, inter filium suum Carolum, & Mariam Burgundicam contrahendi; occupat utramque Burgundiam. Oppida item ad Somonam. Tentat & Flandriam per Gandenses, ad quos destinat Tonsorem suum Oliverium: qui frustrà voti factus; non absque proprio periculo, Tornacum fugit: ubi Præsidij Gallici intrò recipiendi; auctor est. Ludovicus Imbercurtio & Hugoneto, ad se pro Maria adductis; iniquissimas Pacis Leges proponit. Crevecœurius, Atrebatum Gallis cedit; quâ re territi Gandenses, ut ab altiore in Flandriam aditu, Gallos prohibeant; ad Ludovicum & ipsi proficiscuntur, tamquàm fiduciarij Flandriæ Præfecti. Verùm frustra-facti; cùm in Mariam haud possunt, in Imbercurtium & Hugonetum, furorem effundunt, eosque capite plectunt. In Gallos è Tornaco grassantes, dum Gandenses educunt; cæduntur, unà cum Adolpho Egmondano, quem copiis suis, spe nuptiarum Mariæ, præfecerant. Morte Adolphi; Geldri à Maria, ad Carolum Adolphi filium deficiunt, agente Borbonio Leodiensi Antistite. Ludovicus Rex, ex Atrebatibus copioso exercitu Hannoniam ingreditur, atque Oppida pleraque dum expugnat; Belgarum Ordines obviàm ituri, Mariæ nuptias, cum Maximiliano, Friderici Imperatoris filio, Austriæ Archiduce, conciliant.

ETSI autem cæde & clade Burgundi vix dici possit, quantùm Ludovicus exultarit; id nihilominus deerat votis ipsius odióque explendo, quod vivum assequi non potuisset, cujus rei spem si non promissum, Campobassus fecerat. Turbatis itaque Belgarum rebus, quæ Burgundi filiam nunc attinebant, unicam & innuptam; tempus adesse ratus est, quo Ditiones

Comin.

háscce

háſce omnes, juribus ſuis, quod ſæpè cogitaverat, Sceptróque ſociaret.

Ac primùm, ut non ignoraret quæ procul gerebantur, ſed rerum omnium nuntios in horas ſingulas exſpectaret; brevi ſub intervallo ordinat diverſoria Curſorum, eorumque horariâ mutatione, curſus maximos celerrimoſque facere jubet. Lipſ.

Filium porrò ſuum, octo annorum adoleſcentulum, & Mariam inter, quæ viginti expleverat, matrimonium ita contrahi cupit; ut niſi id fieret, *Rupturus eſſet inducias, quas nuper in novennium, cum Burgundo pactus erat.* Præterquàm id matrimonium natura reſpueret; ideoque tam verè quam liberè non-nemo ex Heroinis dixiſſet, quæ Mariam circumſiſtebant, *Cùm Mater per ætatem eſſe poſſet, non puero ſed viro tradendam:* patebat ad oculum, cur eas nuptias Rex affectaret.

Et quamquàm neque pactæ neque paciſcendæ forent; earum nihilominus prætextu Ducatum Burgundiæ, moxque Comitatum occupavit: uſus in ea tum re Principis Arauſionenſis technis, & induſtriâ Comitis Tremulij.

Tentari quidem Burgundica defectio, Salicæ Legis auctoritate cœperat, quòd herede maſculo Burgundus careret; ſed quoniam id erat telum

 im-

imbelle sine ictu, demonstrantibus Burgundionibus ipsis, & planè contra mentem Regum Ioannis & Caroli, uti suprà dixi; in alias occupandi caussas & titulos itum est, & allegatum confictumque periculum à Germanis, quasi Burgundiæ, recentibus inflati successibus, inhiarent, quam propinquæ nihilominus suæ Mariæ servare Rex vellet.

Dec. 3. Lib. 3.

Ita fraude dolóque subductâ Burgundiâ; Oppida ad Somonam, & pleraque Artesiæ secuta sunt: etsi Borbonius, cùm primùm hujus expeditionis mandatum accepisset, clarè increpans Regiam cupiditatem, diceret: *Aliam bello gerendo caussam prætexi debere, quàm nudum & solum occupandi Belgij votum.* Verùm Borbonius, non desiit idcirco gnavus esse, quodque Rex præsens jubebat, explere.

Colins.

Placuit & Flandriam per Gandavenses tentare, rerum novarum plerumque studiosos, sub Principibus præsertim adolescentibus, aut feminis. Ejus rei nuper specimen dederant, cùm postridie allati ad se nuntij de morte Burgundi; viginti sex Senatores supplicio affecissent, quia unum aliquem capitis sententiâ damnarant, priusquàm in officio confirmati à Tribubus essent. Adeò videlicet Comite defuncto, quodlibet ibi genus homi-

Comin.

mi-

minum, ad aliquam fiduciarij Imperij imaginem aſpirabat.

Ad eos igitur Rex, vili pridem hominum capite-cenſorum conſortio aſſuetus, & delectatus, deſtinat Oliverium tonſorem ſuum, ortu Flandrum, tamque ſibi familiarem & carum; ut cùm foris apud extraneos Franci eſſent, interrogarentur: *Vtrúmne ſemper bene Regem inter & Oliverium conveniret?* Hunc ornat titulo Comitis, Litteris & mandatis.

Colins.

Exhibet Oliverius apud Mariam & Proceres, quæ neceſſe erat: ita tamen ut arcanum, ob quod præcipuè venerat, negaret, *Se alteri ulli, quàm ſoli Mariæ traditurum.* Eapropter, agnitus à chirurgia, quam Gandavi quibuſdam impertiebat, irriſus atque exploſus, parum aberat, quin alicubi in flumen præcipitaretur, quorum ea Vrbs abundat.

Ergò non ſuccedentibus Gandavi chirurgo praxibus ſuis, Tornacum petiit, Vrbem tum neque Francici juris neque Burgundici. Ita enim Rex ſperaverat, ut ſi præcipuas Vrbes, ſi non ad ſe flectere, turbare ſaltem poſſet; faciliùs totis ditionibus potiretur.

Quid dicam? Tornacenſes, etſi in Gallos quàm Burgundos, ſuápte proniores; allaborante nihilominus Chirurgo Oliverio, Regium præſidium

Comin. dium vi magis & dolo, quàm sponte intrò recipiunt: quod deinde excursionibus deprædationibusque, Flandros & Hannones, qui adhuc Burgundo supererant, vexavit.

Missi intereà Peronam ad Regem, Imbercurtius & Hugonetus: quos ut sibi sacramentum dicerent, Rex vehementer ursit, veluti geminos Mariæ, Belgiique Scipiones: tametsi adessent, *Vt induciarum memor, quas cum Burgundo à biennio fecerat, pupillam Mariam, propinquam, imò filiam lustricam, defenderet potiùs, quàm ejus Oppida ac Ditiones, fraudibus & armis expugnaret.*

Hósce, cùm nullis illecebris, ad se traducere Rex posset, sed neque omninò negare rem justissimam quam petebant; tandem has proponit Pacis iniquissimas Leges: *Vt si Delphino Maria nuberet, integra ei omnia manerent: sin autem; cederet sibi heredibúsque jure perpetuo Ducatum & Comitatum Burgundiæ, Boloniæ & Artesiæ. Redderet Oppida ad Somonam: solveret inpræsentiarum sexcenta Aureorum millia. Datis deniq; vadibus promitteret, se præter consilium consensumq; Regis, nemini nupturam.*

Iam & Gandenses, Regiis progressibus, & præsertim Atrebatensis Vrbis, in quam Creveceurius fidei violator, Gallos admiserat, amissione territi, ne videlicet in Flandriã mox irrumperent; ad Regem

gem proficisci statuunt. Vt autem Mariam, cujus tutelam cum fiduciario Flandriæ imperio ambiebant, non aliter in potestate sua, atque in Oppido penes se habere viderentur: à qua nuper vetera Privilegia, quibus à Carolo & Philippo Burgundis spoliati fuerant, tantùm-non extorserant: Ordinum Patriæ veluti Comitia indicunt; ad quos deinceps ita Maria sit respectura, ut ultrà citráque eorum consilium, nihil factura sit.

Id significatum, pariter & ipsi ad Regem proficiscuntur: & quia existimabant tanti apud eum momenti fore, ut nihil-non à Gandensibus, aut per eos impetraturus Rex sit, usque ad ipsum scilicet Mariæ connubium, ceteráque inde sequi nata; rogant, *Vt eam Ordinum sententiam ratam habeat, ejusq; intuitu, contra se quod formidant, bellum frænet: Mariam enim statuisse, Ordinum se voluntati committere.*

Rex ubi talia audivit, perspicax & callidus turbarum sator, quas præsertim menti rebusque suis, profuturas sciebat: *Erratis*, inquit, *ô boni: numquàm Maria vobis obauditura est: longè aliud nuntiari ad me jussit.*

Legatis dicto inhærentibus, Rex Mariæ Litteras protulit, quas Imbercurtius & Hugonetus tradiderant: utque meliùs turbæ simultatésque

procederent, quas intendebat; ipſas eis Litteras habendas dedit.

Has ubi contemplati, viderunt ejus animi Mariam eſſe, ut Rempublicam non Ordinibus, ſed quatuor à ſe delectis perſonis committeret; nihil ultrà morati revertuntur, pleni irarum & vindictæ.

Ad Mariam itaque admiſſi, graviter queruntur, quaſi ab eà circumventi, ſecùs atque juſſi ſunt loqui, ipſa ſenſiſſet. Quod improperium, cùm procul à ſe repellere Maria vellet, mentemque ſuam, cum mandatis Legatorum in unum conveniſſe (minimè omnium rata, Litteras ſuas à Rege proditas) tum Syndicus Gandenſis, homo confidentiſſimus, Mariæ Litteras coràm exhibens, oris ejus virgineam modeſtiam, rubore confundere, non eſt veritus.

Et licet reſumto mox animo, increpuerit Gandenſium fiduciam; ipſi tamen irâ turgidi, ob ereptum quò aſpirabant imperium; cùm hanc, neque in Mariam, neque novercam ipſius, aut Regulum Raveſtenium (duos ex iis qui Rempublicam erant moderaturi) effundere poſſent; in aliud par, Imbercurtium & Hugonetum converſi, mox eis carceres vinculaque injecerunt.

Id ubi accepit Petrus Luxemburgius Comes Sin-

Sinpolij, decollati nuper, Franciæ Conestabilis filius, qui tum in prætorio suo Anghiani agebat; festinato itinere Gandavum advolavit, ut populi furorem magis contra reos accenderet, quòd Patrem suum, ob privatam, Imbercurtio quondam prolati mendacij impactam injuriam, in Ludovici Regis manus, adeóque certissimam mortem, absque cunctatione tradidissent. Neque Leodienses defuerunt, quibus olim Præfectus Imbercurtius fuerat.

Colina.

Quæstionibus admoti rei, etsi earum atrociâ faterentur, quæ non fecerant; capitis attamen sententiam acceperunt: *Quòd Atrebatum tradi jussissent, aut tradi juvissent. Quòd ad litem quamdam accelerandam, in qua nihilominus pro Gandensibus ipsis pronuntiatum erat, pecuniam accepissent. Quòd Oppidi Gandensis privilegiis contravenissent.*

Comin.

A sententia, more tum adhuc recepto, ad Parisiensem Curiam provocarunt, opinor, ut populi furor, Ludovici reverentiâ, quam præ se ferre Gandenses videbantur, subsideret: verùm tam nullo fructu, ut tribus pòst horis, sexto à captivitate die & Aprilis tertio, qui tum erat Hebdomadæ Sanctæ quintus, in forum producti, frustrà per alios primùm, perque seipsam deniquè, veste pullâ & passis capillis, coràm instante & ob-

 se-

secrante Mariâ, cùm divisa invicem populi studia essent, majorque pars mitiorem vinceret, in tripode ferirentur, qui tormentis propè facti, in genua se componere non poterant.

Hic finis duorum, à Caroli defuncti consiliis, æquè ei ac filiæ, fidorum & bonorum.

Ceteros tali exemplo territos, cùm Gandenses pepulissent, & factionibus nihilominus suis, ad reprimendam intra Tornacum Gallorum audaciam, caput ducemque quæritarent; Adolphum Egmondanum, carcere ut dixi Cortracensi clausum, educunt, & aliquam-multis suorum millibus, præficiunt, spe nuptiarum Mariæ, si quam nactus esset spartam adornaret.

Tanti præmij thyrso Adolphus percussus, (viduus erat) ad Tornacum perrexit, injectóque in unum-aliquod suburbium igne, cùm in Flandrorum receptu, Galli tandem ferociter erupissent; eos sistere Adolphus conatus, ast desertus à suis, cùm equestri statarióque certamine aliquamdiu depugnasset, pluribus vulneribus confossus, *Geldriámque* ingeminans, occiditur. Cadaver intrò receptum, & expositum in Æde S. Iacobi, cùm nemo redimeret, summæ illatum, in Capella S. Ludovici conditum jacuit, donec ab Iconomachis Anno 1566. urnæ plumbeæ haben-

dæ

dæ caussâ; cui avariter inferebantur refossum, ossa cineresque sparsi sunt.

Cæde Adolphi, Flandri partim dilapsi partim fusi, multis suorum amissis: Rex Ludovicus successu elatus, in spem venit totius Flandriæ mox obtinendæ.

Et quamquàm eâdem cæde, Maria, plus alacritatis quàm molestiæ hausisse visa sit; Catharina tamen Adolphi soror, faventibus Noviomago Zutfaniáque Oppidis, & allaborante Antistite Leodiense Borbonio Adolphi sororio, totâ Geldriâ Mariæ præfectos pepulit: coactósque Provinciæ Ordines, in verba Caroli nepotis sui adegit, qui tum nihilominus apud Mariam educabatur.

Iam Somonam omnem Ludovicus superaverat: jam Atrebates sævitiâ perfidiâque vexatos adeo subegerat, ut in intimam Galliam traductis civibus, novos aliunde colonos, in eorum sedes ædesque transferret, imò & abolito civitatis ipsius pristino nomine, de Francis *Francisiam* appellaret: jam largitionibus & auri profusione, Anglos Regemque Eduardum constrinxerat, simulatis iterum nuptiis Delphinũ inter filiamque Eduardi, ne videlicet Mariæ opem ferret; cùm Hannoniam copioso exercitu ingressus, plura

 Op-

Oppida expugnavit, quæ præsertim impedire videbantur, ne secundo Schalde cùm vellet, ad Tornacenses commeatum annonamque adduceret.

Quare cùm avitum Belgarum Imperium, si diutiùs nuptias Maria differret, magis adhuc quàm cœperat, accisum iri, Ordines Brabantiæ, aliique, haud immeritò formidarent: ipse verò Fredericus Imperator, nobilissimâ ad Mariam legatione missâ, eam filio suo unico Maximiliano deposceret, juxta quod olim Burgundio Treveris promiserat, & Maria litteris annuloque sanxerat; ceteris neglectis procis, Ordinumque auspiciis, Maximiliano in manum concessit.

Erat tum Maximilianus Archidux Austriæ. qui titulus, aliquot sæculorum vetus, traditus fuit à Frederico Secundo Imperatore, Frederico Secundo Austriæ Duci: denotátque ex utroque idiomate Græco & Latino, cujus Imperator erat doctus, ad exemplum Pontificiorum in Archiepiscopo, Archipresbytero, *&c.* ceterorum suorum Ducum Principem.

Archiducatus Austriæ.

Et quoniam à Carolo Magno, Germania uti & Gallia, in Orientalem & Occidentalem divisa fuerat; plagæ illius Orientalis limites, ad tuendum Imperium contra Hunnos, Avaros aliósque

Vred,

Bar-

Barbaros, constituti sunt in Pannonia superiore, quæ est Oostenrijck/ id est, Regnum Orientale, Austria dicta.

Hos limites qui tuebantur, è re facto nomine, (March enim limitem significat) Marchiones dici cœperunt; perstititque hic titulus ad Annum usque 1156. quo Fredericus Imperator, Henricum Austriæ Marchionem Leopoldi Filium, ac S. Leopoldi Nepotem, primum Austriæ Ducem creavit: in quo perseverarunt usque ad Fredericum Secundum quem dixi: qui cùm circa Annum 1205. ob egregiam Frederico Secundo Imperatori, Siciliæ ac Hierosolymorum Regi in bello navatam operam, ab eo Austriæ Rex creatus fuisset (titulo Regis, Regno Austriaco Oostenrijck planè conveniente) isque postmodùm quòd hostibus Imperij, in Austria sua refugium dedisset, eâ dignitate rursus ab Imperatore privatus esset; Pace demum conclusâ, contractoque inter Henricum filium Imperatoris, & Margaritam Austriaci filiam, matrimonio, Archidux, uti retuli, appellatus est.

LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM.

PERACTIS Gandavi nuptiis; Respublica ordinari cœpta: inaugurati novi Principes: contra Gallos, missus exercitus. Eduardus Angliæ Rex fratrem Georgium, in dolio Vini Cretici, suffocat. Ejus supplicij caussæ. Maximilianus Aureo Vellere, Brugis cingitur, aliosque cingit: quo tempore Ludovicus cum exercitu Hannoniam ingressus; Condatum invadit: sui nihilominus vehementer oblitus, quòd cùm utrique Burgundiæ incumberet; Maximilianum in celebrandis Comitiis Aurei Velleris, non prævenerit. Condatum, Galli deserere coacti; summâ perfidiâ incendunt: Ludovicus, metu Maximiliani vestigia relegens, Cameracum petit: quod etiam mox deserit. Comitatum Burgundiæ, quem Arausionensis ad Mariam reduxerat; Ludovicus iterum occupat ope Helvetiorum: detinetque donec nato è Maria Philippo; eumdem rursus, cum plerisque Hannoniæ Oppidis, & Tornaco pristinæ libertati, reddito, restituit, ex lege Induciarum quas fecerat. Ludovici, ficta potiùs, quàm vera liberalitas & pietas. Inducias nuper factas, Ludovicus violat, sed & Maximilianus, qui Teronam obsidet. Prælium ad Guinegatam, in quo victor Maximilianus, uti maximo suo commodo; ita pari detrimento Ludovici. Margarita nascitur. Gandenses, Maximiliano Leges sumtuarias, figere volunt: quos perinde deserit. Gallos è Ducatu Luxemburgensi pellit; ibique inauguratur. Houkij & Cabelliavi in Batavis. Comitiis Aurei Velleris Silvæducis habitis, Philippus in Ordinem adscitus: exauctoratus inter alios Creveccurius. Geldriam, Maximilianus revindicat. Maria, Franciscum parit. Moritur Mahumetes Turcarum Imperator, summus Christianorum hostis. Cambresiacum Galli occupant: & Hannoniam deprædantur. Maria, equo lapsa, paullò pòst vitâ defungitur.

DIEBUS nuptiarum, post medium Augusti genialiter splendidéque Gandavi peractis; cœpta mox componi, ex Ordinum consilio Respublica: vires, tametsi minusculæ, con-

contra Francos, Valencenas mitti, qui tum Hannoniam infeſtabant: novi deniq́ue Principes in præcipuis Flandriæ, Brabantiæ, Hannoniæq́ue Vrbibus, dato & accepto jurejurando, ſollemniter inaugurari.

Et quoniam Eduardi, ſuprà meminimus, Anglorum Regis, qui è Lancaſtria in Eboracenſem familiam ſceptrum Inſulæ retulit; libet hîc referre, quod hujus Anni fine geſtum ab eo, patrij exteríque Annales habent.

Fratrem, Clarentiæ Ducem Georgium, comprehendi ſubitò juſſit, & in dolio vini Cretici, paullò pòſt necari. Comin.

Quid cauſſæ habuerit ad ſupplicium tam inuſitatum, Scriptores variant. Polydorus vulgò famam fuiſſe ait, Regem territum vaticinio cujuſdam fatidici, qui poſt Eduardum, *Vnum aliquem regnaturum diceret, cujus nominis prima littera G. eſſet*, in fratrem Georgium ſæviiſſe, etſi fruſtraneo errore. Etenim vaticinium illud ſi quod fuit, non Georgium, ſed Gloceſtriæ Ducem Richardum deſignavit, qui poſt Eduardum regno potitus eſt. Hiſtor. Anglic.

Alij Mariæ connubium, per Margaritam ſororem affectaſſe Clarentiæ Ducem dixerunt, eamq́ue affinitatem Eduardum, invidiâ fraternæ

felicitatis impedivisse. Id quidem vehementer ussisse Ducem; verum redintegratâ amicitiâ, mox quemdam ejus ministrum veneficij damnatum, capite luisse. Contra quod factum, cùm Dux graviter reclamaret; commotum Regem in carcerem eum detrusisse, neque multò pòst jure sive injuriâ, perduellionis accersitum, morte affecisse.

Chron. Scand. Chronographus Gallus, qui vitæ Ludovici Regis propè Diarium conscripsit, captum affirmat, *Quòd sorori, viduæ Burgundi, transmisso mari, suppetias ferre decrevisset.* Eam ob caussam, hoc exquisito mortis supplicio, fuisse à Concilio damnatum, ut ad patibulum è Turri Londinensi tractus, dissecto ventre intestina cremarentur, abscisso deinde capite, reliquum cadaver in quatuor partes divideretur. Precibus maternis, mitigatam supplicij sententiam fuisse, dolióque vini Cretici suffocatum ac mortuum, tum præciso capite sepultum.

Ego Auctorem hujus Chronographiæ, uti aliàs sæpiùs; ita hoc loco, sollemnia insanire existimo. Eduardum enim præcipiti consilio, fraternam mortem accelerasse, argumento est, quòd, Polyd. si quando de cujuspiam damnati vita rogaretur, solitus fuerit exclamare: *O! infelicem Fratrem, pro cujus salute, nemo homo intercessit.*

Et

An. 1478.

Et quamquàm Archiducis auſpiciis, favonio, tenui licet, fortuna aſpiraret: captumque de Francis vexillum, in quo *Depictus Lupus verveces devorans*, ſatis è vaticinio Caroli, Patris Ludovici (quod antè retulimus) indicaret, quorſum hactenus Franci Mariam, ejuſque Provincias bello vexaſſent; cùm tamen partim in Hollandia Zelandiáque, feſtâ inauguratione, & componendis inteſtinis ac popularibus diſſidiis diſtineretur; partim Comitiis Aurei Velleris Brugis habendis, quibus & ipſe Vellere cinctus eſt, alióſque cinxit; Rex Ludovicus, viginti millium exercitu ſtipatus, in Hannonia Condatum obſedit. Muris tormentario robore dejectis, cùm juſto præſidio, præciſâ potioris habendi ſpe, deſtitutum, reſiſtere diutiùs haud poſſet; deditionem fecit.

Heuter. Dec. 3. Lib. 7.

Aiunt deſperati auxilij cauſſam fuiſſe, quòd Condatenſis Præfectus & Valencenarum, malè inter ſe cohærerent.

Ceterùm in eo, quod in Aurei Velleris Comitiis habendis, quæ certiſſimum erant, domus & potentiæ Burgundicæ ſymbolum, cùm jam utrique Burgundiæ Ludovicus incumberet, Maximilianum non prævenerit, (quod facere ſanè debuiſſet;) planè eum, prudentia ſua & aſtutia, fugit. Hoc enim pacto Maximilianus,

 juris

juris Burgundici possessionem adiit: à qua nihilominus uti sanguine extraneus erat, ita reápse extorris. Quapropter, scribente Marcano, plerique mirabantur, Regem alióquin callidissimum, in re tanta tamque sollemni, partibus suis artibusque defuisse.

Marcan.

Quoad Condati Rex fuit, servatæ deditionis tabulæ sunt: eo profectò; cives, quibus erat anteà in Oppido manere permissum, ita repentè egredi jussi; ut id magno pretio redimere debuerint. Ita magis captandæ pecuniæ studiosi Galli erant, quàm fidei servandæ.

Sed cùm intereà justis, paribúsque Gallorum copiis, quas Maximilianus contraxerat, cui se omnis propè Belgica Nobilitas adjunxit, Hannoniam ingressus, Condatum admovere visus esset; Præfectus inibi relictus, vice quod petebat præsidij majoris, à Rege, qui tum Atrebati erat; igne absumendi Oppidi mandatum accepit. Id Præfectus callidè aggressus, pridiano æris campani sonitu, cives admonuit, ut crastini diluculò in Ecclesiam convenirent, Deo gratias acturi, communis Victoriæ ergò, quàm adeptus Rex esset. Parentibus civibus, sed Ecclesiæ foribus obseratis; direptæ ædes sunt, iisque mox ignis injectus, Tornacum abeunte præsidio.

Ea-

Eadem perfidia, Quesnoium prehendisset, nisi pauculorum dierum pactis induciis; arma & vasa præsidium conclamasset.

Cedentibus igitur armato Archiduci Francis, Arces complures, circumcircà priùs occupatæ, extemplò receptæ sunt, versæque fortunæ indicium dederunt. Quamquàm enim Rege, Cameracum deinde recepto & ingresso, ubi Aquilam Imperij, positis toties Gallicis Lilijs refixit; moram tamen nullam longiorem traxit; sive reverentiâ Imperij, cui tum Cameracum parebat, sive formidine prælij committendi.

Priusquàm Cameraco, pedem, militemque efferret; excusavit in foro ad populum, Condatense incendium, ex communi lege bellorum: *Et quoniam vobis*, inquit, *sustuli Avem vestram; ita eam reponite: ut tantisper more Hirundinum aut Ciconiarum, putetis exulem fuisse.*

Comitatum Burgundiæ, contermini Helvetij, si Francis, uti cœperat, parêret, quia suâ plurimùm interesse existimabant: ipseque Arausionensis, qui priùs animi levitate peccaverat, ad veterem fidem Dominosque rediisset; bona pariter fortuna, nuper ad Mariam reduxit. Id rebus suis plurimum obesse ratus Ludovicus; redintegravit pristinas vires ac fraudes: & in locum Tre-

 mu-

mulij, quamquàm nunc ad Graiam victoris, ob nuperum attamen dedecus ad Dolam acceptum, & vexatos expilationibus Germanos atque Helvetios, in ejus, inquam, locum Ambosio suffecto; id primùm hujus operâ, & pecuniosâ industriâ obtinuit, ut arma domum Helvetij referrent; ac deinde non Burgundis, uti anteà, sed Regi militarent.

Ita enim cum Helvetiis, pactus Rex Ambosiusque fuerant, ut confectis tabulis in numerum Civium apud eos reciperentur: hi verò sex millium exercitum, certo in menses pretio, suppetias adferrent.

Comin.

Hisce mox viribus, Dola, cùm se strenuè defendisset, non inulta cessit: quæ perpessa Francorum petulantiam, demùm flammis incensa est. Cetera mox Oppida, Arcesque secutæ:& Belnenses ope quorumdam revocare bellum ausi, his Virduni captis, incendio pariter absumti sunt.

Comitatus itaque totus eo tempore Francorum fuit, donec nato è Maria Philippo, Maximiliani primogenito, induciarum unius anni beneficio rediit, unà cum omnibus quæ nuper in Hannonia occupata fuerant, pristinæque Libertati restituto Tornaco. Eas inducias, etsi ægrè admodùm Germanorum tamen & Helvetiorum

gra-

gratiæ, quibus sciebat Francorum viciniam exosam esse, Ludovicus concessit, etiam factâ spe Pacis: quæ, juxta condictum haud comparentibus Tornaci Francis, decollavit.

Secundùm memoratas itaque inducias, Galliam Ludovicus repetiit, Vendomij partim commoratus, ob pestilitatem Parisiis grassantem: partim devotionis ergò, peregrinatus ad loca, celebria cultu Deiparæ ac Sanctorum.

Et quamquàm in ipsius animi lararium, nolim curiosos oculos temere inferre; scribunt nihilominus ipsi Galli, superstitiosum magis, quàm legitimum sacrorum cultorem fuisse. Inde crebræ peregrinationes ad loca quæ dixi, quas si per se non poterat, per alios obibat. Adhæc profusæ oblationes, ut inter alias attriti Regni caussas, computentur.

Seyssel. du Haill.

Nuper ad Virginem Ardeburgensem in Flandria, miserat ducentos Aureos. Cùm Cameraco excederet, contulit Ecclesiæ Deiparæ, mille ducentos. Nunc Silvanecti in templo Victoriæ, mille florenos. S. Fiacrij urnam, cùm laminis argenteis incrustrari jussisset, impendit in id opus, centum sexaginta argenti selibras, quas Marcas appellant, si qua fides Chronographo Gallo: imò in Cancellos, quibus S. Martini loculum Turonis

Chron. Scand.

nis sepsit, sedecim aut septem-decim millia Marcarum: adeo ut perfectum opus, constiterit scribente eodem, facile ducentis florenorũ millibus. Ad id enim corradi Lutetiæ jusserat, persoluto tolerabili pretio, quidquid erat schyphorum craterúmque ex argento: ut quamquàm multi adhuc effugerint, emissitios inquisitorum oculos; deinceps tamen in nuptiis & conviviis, vitreis figlinisque usus fuerit Grex bibulus.

Et quamquàm eæ sortes, pro argenti & auri copia, quæ est hodie, non videantur aut magnæ aut graves; erant nihilominus eâ tempestate vehementer notabiles, ponderatâ videlicet rerum omnium, ad humanum usum spectantium vilitate: tantóque nuper, Regno exhausto, argentariâ inopiâ, ut oportuerit scorteam monetam cudere, cui argenti pauxillulum erat insertum: adeo ut per id tempus ab Anglis captus Ioannes Rex, quia sexaginta florenorum millia, lytri nomine corrogare non poterat, in captivitatem redire debuerit.

Comin.

Ridiculum est, quòd galerum, vulgarem illum, & longâ gestatione sordidum, Ludòvicus insessum foris haberet plumbeis & stanneis Divorum nummis: quos pro re nata, id est læto aut tristi nuntio, procidens in genua osculo venerabatur,

Seyssel.

tur, plerumque tam repentè ac desubitò, ut errare mente videretur.

Fictæ verò pietatis argumentum, quòd cùm mortuo Burgundo, Comitatum Boloniensem astu invasisset, qui Artesiæ beneficium erat: ne id apud Mariam Burgundi filiam, quam nihilominus Artesiâ spoliaverat, profiteretur; præsentibus Proceribus Virgini Matri Mariæ beneficiarium sacramentum dixerit, oblato ad ejus simulachrum, è puro auro Corde, pretij duorum millium Aureorum: idemque fieri à successoribus sanxerit. Heuter.

Cùm juxta induciarum, de quibus dixi, formulam, ex plerisque Hannoniæ Oppidis, præsidia Ludovicus educere negligeret, aut certè moraretur; à Maximiliani ducibus, vis in Francos fieri cœpta est, ac pleraque Oppida & Arces, in tractu Cameracensi occupari: eundem contrà ludum, adeo frequentantibus Francis, ut non tantùm aperto bello grassarentur; sed destinatis ab Atrebato insidiis, Duaco inhiarent: nisi indicante muliere proditi, bonæ fortunæ loco, cladem insidiæ tulissent. Quamobrem Maximilianus, ratus quod erat, Regem à Pace abhorrere, qui tam segniter inducias servasset; sub earum finem quantos potuit numeros, apud Audoma- An 1479.

rum contraxit, censísque viginti & octo pugnatorum millibus, ad Teroanam contendit.

Iam obsederat Oppidum, & impigrè cœperat urgere; cùm redditus certior de accedente Francorum exercitu, cui Creveceurius præerat, copias suas omnes fossis aggeribúsque eduxit. Obsessi, id metu suorum fieri rati, exsibilabant Maximiliani, qui tum ætatis circiter viginti annos habebat, tyrocinium: verum is aggredi malebat hostem patente campo, & explicatâ acie; quàm ejus impetum, in angustiis obsidionis expectare.

Marcan. Commisso itaque ad Guinegatam, septimo idus Augusti, à secunda pomeridiana, ad octavam usque vespertinam prælio, in quo novem Francorum millia ceciderunt; victor evasit.

Atque ut scias, non minùs animis, contrà quàm Teroanenses existimaverant, quàm annis florentem fuisse; visâ equitum suorum, sub initium prælij fugâ, peditibus se junxit: primóque in agmine, contra adversum equitem Britannum, virum strenuum pedestri lanceâ illatus, equo, fractâ lanceâ eum dejecit, suáque manu cepit.

Partâ victoriâ, hosteque quà poterat fugiente, restabat ut Teroanam, quam priùs obsederat, Maximilianus repeteret, aut ipsum Atrebatum, non totius diei itinere distans, aut utrumque. Sed quo-

quoniam eo loco, quo decertaverat, reficiendus erat miles, æstu tum solis & sudore lassus; lauru prudentiæ, quam fortitudo dederat, accumulavit, quidquid reprehendat Cominæus, solitus subinde in Gallorum aut Creveceurij gratiam, posthabitâ etiam fide Burgundis oppedere. Comin.

Belli eventu ad Regem allato, qui ad captandos ejuscemodi rumores auritissimus erat, toto pectore animóque concussus: *Si me, meosq́, inquit, victoria deseruit; ilicet: actum est de omnibus quæ acquisivi.* Quare de prælio inito, increpuit Creveceurium: qui accusabat peditum Flandrorum robur & constantiam, quos speraverat antè cessuros. Matth.

Tanti sanè momenti, ea victoria Maximiliano fuit; ut si fòrs cladem accepisset, toto Belgio ipse cum Maria conjuge depulsus, alias alibi sedes quærere debuisset.

Etenim per id tempus quo ad Guinegatam ineundi certaminis rumor vagabatur: cùm uti Galli, ita eorum asseclæ, certam sibi de Maximiliano, adeoque Belgio victoriam promitterent; Trudonopolin Arenbergius venit, Gallorum in Eburonibus emissarius, justo milite, quem omnem novâ veste dònaverat, stipatus. Verùm spe & opinione frustratus, cogitationes aliò convertit: ipsique Galli, nihil ultrà eo anno, Siffrid.

 præ-

præter evaſtationes & incendia moliti, id ſaltem effecêre, ut operâ minore, quaſdam Arces & Oppida Maximilianus invaderet: neque ut gloria deeſſet; ad Atrebatenſes uſque portas excurrens miles, hoſtem, ſi fòrs egredi auſum, provocaret.

An. 1480. Anni ſequentis initia, Margaritæ Auſtriacæ natalis ornavit.

Gandenſes autem, qui nuper ob unicum teruncium cerevifiæ poculatim impoſitum, tumultuari, more ſuo, ceperant: feciſſéntque, niſi mox domiti fuiſſent; eodem nunc opinor ſtudio, Maximiliano leges ſumtuarias figere voluerunt. Auſi & alia quædam in viros bene de Reipublica meritos, id impetrarunt, ut indignatus, deſereret, unà cum conjuge, Mechliniam priùs, atque inde ſolus in Hollandiam profectus, tam providos œconomos & computiſtas.

Ibi dum afflictam à gravi morbo valetudinem reparat, exercitu viginti millium, Ducatum Luxemburgenſem Amboſius ingreſſus, Virtonium verberat & expugnat. Eo metu concuſſum Ivodium, ſponte acceſſit. Verumtamen prædatum magis adveniſſe Francos, quàm præliatum, manifeſto indicio fuit; quod ad famam ducum Maximiliani, cùm duobus millibus contra viginti moventium, retrò unde venerant abierunt.

Ea-

Eapropter aucto ad nova quatuor millia, eorumdem exercitu; complures Arces validæ & munitæ, ſubactæ ſunt, quas etiamtum prædatores obtinebant, & coactæ exſcidionem pretio redimere.

Sed & ipſe demum Maximilianus, in Luxemburgios iter inſtituit, ubi & ſollemni ritu inauguratus eſt, & ab Electore Trevirenſi ſalutatus: cujus gratiæ, dum reconciliationem ſuam Comes Warneburgius debet, Rodemachera hactenus Trevirenſis, ad Maximilianum rediit.

An. 1481.

E Luxemburgiis, cùm in Batavos remigraſſet, ad edomandas utique populares factiones, quæ pridem ibi Cives in Cives, Oppidum in Oppidum concitaverant: atque ut erant tenuibus initiis, ut fit, ortæ, ita vilia nomina gerebant, in maximis ſæpiùs animis & armis; inde rurſus in Francos ivit. Expugnat in Hannonibus Bellimontium, diripit & incendit: Arce demum ſponte cedente. Fecerunt diſſidia Batavica, quæ rurſus Maximilianum ad ſe traxerant, ut ad cineres combuſti Bellimontij, Franci redirent.

Honkij, Cabellia-vi.

Verùm domitis Batavis, Silvæducis Velleris Aurei Comitia habet, eò accedente Maria cum filio trimulo, quem Torque pariter cinxit. Sunt & ibidem eraſa eorum nomina & arma Gẽtilitia, qui violatâ quam dederant Burgundis fide, ad

Francum hostem defecerant, Creveceurij potissimùm, hominis Turcicæ magis quam Christianæ religionis: cujus insignia à summo deorsum versa, pro Templo collocata sunt.

Mass.

Mox secutæ unius anni induciæ, Geldriaque ad Maximilianum reversa est, qui Principatum Ditionis cum Maria Neomagi iniit, solâ tum refragante Venlonâ, quam dimissâ Bruxellam conjuge (ubi paullò pòst Franciscum peperit) armorum metu ad officium deníque reduxit.

Vere hujus Anni, dum in Natoliam proficiscitur, extinctus est Mahumetes Secundus, decimus è familia Ottomannica Turcarum Imperator: qui ab annis duodetriginta, expugnatâ Constantinopoli, Trapezunte, totidemque quot anteà diximus Regnis & Provinciis, atque in his Thraciâ, Bœotiâ, Atticâ, Macedoniâ, Thessaliâ, Achaiâ, Ætoliâ, Bithyniâ, Cappadociâ, Lyciâ, Cariâ, Lydiâ, Ciliciâ, Paphlagoniâ, Pamphyliâ, *&c.* res Christianorum, supra majores omnes suos attrivit. Is fructus bellorum inter Europæos Principes fuit.

Lang.

Natus erat Christianâ Matre, Lazari Principis Serviæ filiâ, sed religionis omnis expers. Quod in homine barbaro mireris, disciplinis variis erat instructus, & præsertim Astronomiæ peritus: tum

Chalcód.

tum Græcæ, Latinæ, Arabicæ, Persicæque linguæ, usu promtus: Historiarum denique, & illustrium Virorum, facinorumque maximè cupidus. Has igitur in sermonem suum sibi verti jussit: & ipsos viros depingi à Gentile Bellino elegante Pictore, quem ad hanc operam, à Venetis exambierat.

Vti summus belli Dux; ita incredibili crudelitate & perfidiâ. Rhodum anno præterito frustrà tentavit: ast expugnato Hydrunto (ubi & Episcopum medium serrâ secuit ligneâ) magnam Calabriæ cladem intulit, totique Italiæ formidinem summam.

Et talis quamquàm Mahumetes esset; memorabili attamen erga filium severitatis & justitiæ exemplo, Christianis Principibus præluxit. Id adscribam, Lipsij verbis. Mahumetes filium habuit Mustapham Imperio destinatum, & cetera bonũ, libidinibus pronum. Hic Achmetis Bassæ uxorem insigni formâ, adamabat, & blanditiis diu pervincere conatus, cùm non succederet, insidiis tentavit. Speculatus est tempus, quo in balneum mulier ivit (sæpe lavant se Turcæ) & mox secutus cum paucis suorum, ibi nudam & frustrà renitentem compressit. Illa ad maritum; maritus ad Imperatorem flagitium detulit, pœnas poposcit.

Lib. 2. Mon. Pol. cap. 9.

Ma-

Mahumetes primò cunctari, tum asperioribus verbis (sed alius in mente sensus erat) Bassam excipere: *Et quid, inquit, sic graviter de filio queri tibi visum est? An nescis te & tuam, juris mancipiiq; mei esse? si filius igitur illam amplexus est, & animo suo morem gessit, nempe ancillam meam amplexus est, sine ulla quidem culpa, si me volente. Hæc cogita, atq; abi: cetera mihi permitte.*

Sed ista juris tuendi caussâ magis, quàm quia sentiret dixit, atque animi æger & saucius, filium ad se vocatum, primò examinavit: tum confessum, pessimis verbis minisque acceptum dimisit. Et mox minas in rem confert: ac triduo pòst, cùm aliquamdiu in pectore Filius & Iustitia pugnassent, hâc vincente, fauces Mustaphæ nervo arcus jussit effringi, & morte, Pudicitiæ litare.

Annal. Turc.

Obitu Mahumetis, Byzantij tumultuatum est, aliis Bajazetem stirpis maximum, Patre nondum Imperatore: aliis Zizimum, eodem jura dante prognatum, ad Imperium vocantibus. Absente Bajazete, ejus filius in Regia sede locatur, dum Pater advolaret. Ita Bajazetes Byzantium; Prusiam Bithyniæ Zizimus occupavit: cumque ex Apulia exercitum Bajazetes revocasset, Neapolitanis ansam præbuit, Hydruntum recuperandi. Bajazetes ergo, cruento fratrem prælio in Bithy-

thynia devicit, qui pulsus, procul in Syriam, atque inde per deserta Arabiæ, in Ægyptum se contulit, fidemque Sultani imploravit. Ab eo perhumaniter exceptus, cùm à fratre nihil æquum obtineret; spem concepit vicinos Turcis Satrapas ad se defecturos. Apud Cilices invenit auxilium: sed maximis impar viribus, descendit in maritima Ciliciæ, fideque publicâ ad Rhodios trajecit. Rhodij honorificè exceptum, in Galliam transvexere: unde à Ludovico Rege, Innocentio petenti transmissus est.

Hac de caussa Rhodiorum Præfectus, ab Innocentio, Zizimum reservante ad Bellum Sacrum, postquàm Christiani Principes in concordiam rediissent, sacrâ Purpurâ donatus est: ipseque Zizimus Romæ commoratus, à fratre Bajazete (præter ferrum Hastæ, quod latus Domini transfoderat, Innocentio oblatum) supra quadraginta in annos, Aureorum millia accepit.

Onuph.

Trithem.

Eodem Anno præcipite, Cambresiacum Galli occupant: nullo quidem istud Induciarum damno; nisi Condatum usque prædatum excurrissent. Verùmtamen id tum concessum tacitè videbatur, ut talibus utrimque exercitationibus, Pax sequestra minimè læderetur.

Cùm per id tempus Maximilianus Brugis

 esset,

esset, Maria, nobilium virorum ac feminarum comitatu, ad spectandum falconum & accipitrum, in capiendis avibus mitioribus, artem & industriam, quâ plurimùm delectabatur, egressa: solutis equi, cui insidebat, cingulis, dum concitatiùs currit, supina in tergum decidit.

An. 1482.

Eo casu adeò graviter læsa est, ut malo artem omnem Medicorum & Chirurgorum superante, post aliquot hebdomades, in flore ætatis extincta sit, superstitibus liberis Philippo nondum quadrimo, & Margarita bimulâ: Franciscus enim præterito Decembre obierat.

LIBER QVARTVS.

BREVIARIVM.

GALLI & Burgundi in Hannonia, Oppida capiunt & recipiunt. Maximilianus propter Gandenses, qui ei filij sui tutelam permittere recusabant; periniquis planè legibus, Pacem cum Ludovico facit. Expeditio Maximiliani in Leodienses, ob cædem Ludovici Borbonij Antistitis, cujus auctor Arenbergius, qui filium suum, Borbonio surrogare, frustrà conatur. Maximilianus Pacem cum Leodiensibus facit; Margarita Maximiliani filia, Carolo Delphino desponsa Ambosij, magno Anglorum Regis dolore, per id tempus extincti, succedente Eduardo: quem, Richardus patruus, vitâ Regnóque exuit: hunc, Henricus Septimus, qui demùm Lancastriorum & Eboracensium odia restinxit. Ludovicus, prorogandæ vitæ causâ, ad se evocat Franciscum Paulanum. Alia plura, ad idem, ab eodem tentata: hæcque inter, effusa prodigalitas in Medicos, ac primùm Iacobum Coctier: Reliquiæ ad infirmum allatæ, ad arcendam mortem: cujus demùm edictum ictumque accepit, unico post se filio Carolo relicto, quem tamen non-nemo spu-

spurium aut suppositititium facit. Ludovici morte, plus ad omnes lætitiæ quàm luctus emanavit. Sunt & pleraque rescissa, quæ statuerat, veluti dura & aspera. Sepulti, apud Cleriacum ossa; tandem ab Hugonotis refossa, caputque plateatim volutatum.

POSTRIDIE mortis Mariæ, Franci Bouchinium occupant, malè à vigilibus custoditum. Cives, præsidiúmque cùm ad Arcem confugerent, Oppido ignem injecêre: quod cùm Francis plurimùm molestiæ adferret; ædibus, quas civium ignis prætererat pariter incensis, abierunt.

Belgæ feliciùs duas Arces suas fecerant, Elicurtum & Beaurevorium; nisi virium virorumque inopes, cedere debuissent.

Et quamvis tutelam liberorum suorum, Brabanti certis legibus Maximiliano decrevissent, veluti elatâ nunc conjuge maximè propinquo & idoneo: quorum perinde arbitrio Hollandi; Zelandique accesserunt; id ei tamen auctoribus Gandensibus, œstro quodam odij invidiæque percitis in Flandria pernegatum est, ubi id Ordines, uti nuper, priusquàm Maria nuberet, suum esse obtendebant.

Dinter.

Ea perinde controversia, istuc, pervicaciâ Flandrorum evasit: ut cùm esset habitura difficiles exitus, (uti pòst claruit) planè iniquis legibus

bus, Pacem cum Ludovico facere, Maximilianus compulsus sit.

His enim Margarita Delphino spondebatur, *Cum dote Comitatus Artesiæ, Burgundiæ, Masconensis, Auxerræ, Quadrilegij, Salinarum, Barri ad Sequanam, Boloniæ ac Nojerij*, id est longè plurium quàm Rex poscebat.

Heuter.

Permittebantur ei Oppida locaq; omnia, quæ inibi possidebat. Nuper enim emto Præfecto Aëriæ Cohemo, eam ceperat: nunc Audomarum tantisper sequestrari jubet, donec coalue rint re vera nuptiæ

Arcebatur à tutela filij sui Maximilianus, dabaturq; Provinciarum Ordinibus.

Deniq; si natis Margaritæ Liberis, Philippus improlis obiisset; ad eos ita perventuræ erant Belgicæ Provinciæ, ut quamq; suis dumtaxat legibus gubernaturos, Rexq; Delphinusq; promitterent.

Plures sunt, & alibi legi possunt, hujus Pacis articuli: in qua id tantummodò intueri jam libet, quòd uti Flandriæ Ordinibus, contra Principes suos, quorum vires & potentiam clarè volebant imminuere, favorem auxiliáque præstiterit Rex Francus; idem pòst fecerit Hollandis: non liberorum tutelam, sed Christianæ fidei corruptelam, sibi pariter vindicantibus,

Comin.

Ope intereà Francorum, cùm Guilielmus

Mar-

Marcanus Arenbergius, homo facinorosus, Ludovicum Borbonium Leodiensem Antistitem, fedè trucidasset; immanissimam cædem Maximilianus ulturus, adunato repente per duces exercitu, & expugnatis expilatísque Oppidis, ita ditionem afflixit; ut ipsius Leodij suburbiis, tantúmnon incumberet.

Eò enim venerat audaciæ, tantaque arrogantiâ præceps ibat Arenbergius, ut Antistitem à se interfectum publicè fateretur, pristinarum nimirum calamitatum, quas à Burgundis tulerant, auctorem: & filium ei suum adhuc adolescentem, operámque litteris dantem Coloniæ, surrogari deposceret.

Hoc postremum non obtinuit, cùm profuga & absens suffragiorum major pars esset: primum istud, Leodiensium vastatione & clade, ac demum Arenbergij supplicio, Maximilianus vindicavit. Expugnavit Arcem Holoniam, quam prædonum caterva insederat, Brabantis infesta. Quod damnum, reparaturus Arenbergius, & prohibiturus periculum ulterius; millia circiter viginti Leodio eduxit. Diu certatum est ancipiti pugnâ, donec fusi fugatique Leodienses, amissis tribus suorum millibus, eosque inter Gailliardo Francorum Præfecto, cum parte eorum maxima,

An. 1483.

tormentis signisque omnibus, Pacem petunt, impetrantque, eâ Lege.

Heuter. *Vt Maximiliano solvant quotannis, duo supra triginta Aureorum millia.*

Ducem Brabantiæ (quod sæpiùs anteà convenerat) *Vrbis ac Ditionis suæ protectorẽ fateantur & habeant.*

Pensiones pristinas, quarum adhuc debitores erant, ad Imperatoris & Antistitis Moguntini, arbitrium præstent.

Qui prior Pace violatâ, bellum alteri fecisset; huic fieret quingentorum millium Aureorum reus.

Sub id tempus Maximilianus, Pacem Gallicam nuper initam, juramento firmavit, Gandavi in Æde D. Ioannis: filiamque suam Margaritam, Legatis qui advenerant (etsi animo reluctans & ingratiis) tradidit in Galliam deducendam: quæ mox Carolo Delphino Ambosij desponsa est, Procerum utrimque coronâ adstante, futurasque nuptias beneverti apprecante.

Habebat tum Delphinus, ætatis circiter annos duodecim, Patris jussu, ne quando spes aut res novas moliretur, animoque assurgeret, inter feminas ita Ambosij educatus, ut à nemine virorum, adiri eum, aut conveniri voluerit umquàm. Seyssel. Metuebat à filio, quod ipse Patri Carolo fecerat: ut taceam de propinquis, quorum vix ulli fisus est.

Sanè

Sanè cùm Bochagius semel, visendi filij Regis veniam accepisset, eumque pueriles animi causâ, ad aucupium eduxisset; vehementer Bochagio Ludovicus succensuit, veritus ne hâc exercitatione inescato puero cor exsileret, spiritúsque masculos sumeret.

Anni ejusdem mense Aprili, Eduardus Angliæ Rex, cujus filiam hactenus, filio suo Carolo, Ludovicus desponsurus videbatur, vitâ functus est: sive animi dolore ob frustratas nuptias, sive apoplexi, aut vino medicato tactus, quod à Rege Ludovico, innoxium licet, acceperat.

Chron. Scand.

Patri filius Eduardus successit: sed quem altero inde mense, patruus Richardus Glocestriæ Dux, unà cum fratre sustulit, Regnumque tyrannus invasit.

Ipse Richardus, tertio pòst anno, oppugnatus ab Henrico Richmondensi, Edmundi, qui Henrici Sexti frater uterinus erat, filio, ex Margarita Somersethana, Ioannis Gandavensis Lancastriæ Ducis pronepte, vitam Regnumque exuit.

Id itaque Henricus auspicatus ejus nominis Septimus, ductâ Elisabethâ Eduardi Quarti nuper defuncti filiâ, quam Richardus juxtà cum sorore, spuriam declarari jusserat; Lancastriorum & Eboracensium, famosa illa, & Anglis exitia-

exitialia odia reſtinxit, Roſáſque nivei & rubei coloris univit.

Eâdem tempeſtate Ludovicus, annis licet atque infirmitate obſitus, mortem adeo formidare cœperat, ut ne ejus quidem mentionem fieri vellet apud aures ſuas, tamquam rei ingratæ & horridæ. Vnicum ei ſtudium, vitam & valetudinem, quæ clarè fugiebant, prorogare.

Comin.

In hunc finem ad ſe è Calabria evocaverat Franciſcum Paulanum, virum egregiè ſanctum: cúmque in Eccleſiaſticos, pecuniàrias oblationes liberaliter effunderet, non implorabat eorum preces, ut à peccatis, quibus Deum homines offendimus, ſolveretur; ſed *Vt proſpera fortuna Regnum, bona eum valetudo, & longa vita aſpiceret.*

Seyſſ.

Quapropter cùm apud S. Eutropium, pro ſe ſubinde orare Sacerdotem juſſiſſet: notaſſetque communem precandi formulam, in animi corporíſque bonum ferri; voluit quod pro animo fundebatur omitti, ſolamque ei corporis ſanitatem commendari: *Ne* videlicet *nimium aliquid peteretur à Divo, aut multiplici deſiderio, precator foret importunus.*

Chron. Scand.

Paullò anteà Boreâ ſpirante, cùm audiſſet à Medicis, quorum in ea materia tot erant oracula quot vocabula, ventum illum, hominum cor-

po-

poribus, suoque in primis, & porrò frugibus inimicum noxiumque esse; jusserat Concilia, Magistratus, Ordinesque omnes Civitatis Parisiensis, pro arcendo comprimendóque eo vento, ad Fanum D. Dionysij, in commune peregrinari: repetebat nunc idem pro incolumitate sua, Reginæ, filij, stirpisque Regiæ totius.

Quis referat, quàm fuerit prodigus in stipendia Medicorum? quorum tantò magis abundabat, quantò potiùs est bonos habere quàm multos: ne videlicet illud Græcorum Proverbium usurpare cogamur cum Ælio Adriano: *Multi Medici Regem perdidère.*

Iacobus * quidam ex eorum numero, in menses singulos, ut Regiæ valetudini & vitæ consuleret, suprà decem millium Aureorum stipendio donatus est. Deprehensum quippe est à Regis morte, è rationibus dati, Iacobum septem octóve mensium spatio, nonaginta octo Aureorum millia accepisse. Quamobrem cùm Carolo VIII. regnante, jámque ad expeditionem Neapolitanam accinctо, de repetendis donativis illis enormibus ageretur; optimum Iacobus censuit, quinquaginta Aureorum millia, mutuò Regi dare: eóque ingenio inquisitionem strangulare, quæ cœpta nunc erat.

* Coctier.

Naud.

Auctâ infirmitate Regis, imo verò fugiente vitâ, quidquid erat celebrium totâ Galliâ Reliquiarum, ad se deferri jussit, perpetuumque inde septum, circa se fieri: ne videlicet per id, mors ad infirmum intraret. Allata est primùm Parisios, ac deinde ad Regem prope Turones, sacra Remis Ampulla: Virgæ item Aaron & Moysi: Crux Carolo Magno Paganos oppugnanti, cælitùs missa, quæ eatenus Lutetiæ fuerant: submissum à Xysto Quarto Linteum in quo Petrus Apostolus Eucharistiam confecerat, valida scilicet contra mortem præsidia, si hæc eripi cuiquam posset.

Chron. Scand.

Quod cùm sit in manu nullius, Medicique idem censerent: inito Regem consilio adierunt, éque Parcarum tabulis recitarunt hoc carmen, plectro vocis Oliverij Tonsoris: *Ne quid ultrà spei poneret in Francisco Paulano, aut aliis rebus: actum esse de vita ipsius: nil restare, quàm ut conscientiæ curam gerat.*

Comin.

Prætorium hercle edictum! è quo pænultimâ Augusti discessit, unico filio Carolo, (etsi non desint qui suppositititium illum, aut illegitimum fuisse scribant) herede relicto: quem tunc propter teneram ætatem, filiæ Annæ, quæ Petro Borbonio Bellijocensi nupserat, commendavit. Vxorem enim, uti anteà, procul à se, tenui censu mundóque habuerat; ita priusquam moreretur, in

Du Haillan apud P. Matth.

Seyssel.

Del-

Delphinatum amandavit, vetuitque Regi (fortè ob caussam quam dixi) adesse.

Ejus morte, plus lætitiæ ad populum, quàm luctus emanavit, quem videlicet perpetuis durísque vectigalibus oneraverat: aliis gravis fuerat, tantâ animi inconstantiâ, ut nemo diutiùs de munere aut statu suo, certus securúsve esset, quàm Regis libidini placuisset.

Iam & ipsi Domestici, & complures quibus benefecerat, obiisse gaudebant: multáque quæ vivens fecerat aut statuerat, per Ordines Regni, Concilium & Parlamentum rescissa sunt, támquàm tyrannica, eodemque spectantia.

Ministrorum nonnulli, quorum opera in exequendis cupiditatibus usus fuerat, hosque inter Oliverius Tonsor, morte affecti sunt: alij pecuniariâ multâ damnati: quarum pœnarum utrámque, plures evaserunt, quòd earum vindicias, morte prævertissent.

Matth.

Sepultus est in Æde Deiparæ Cleriaci, adeo firmo desiderio, ut ne quis mortalium id interverteret, statui per Pontificem jusserit: quievítque ibidem, donec elapso sæculo, ossa ab hæreticis, post effractum monumentum combusta sunt, capútque ipsum, plateatim volutatum.

LIBER QVINTVS.

BREVIARIVM.

GANDENSES, Carolo Regi gratulatum Legatos mittunt, quos in reditu, Berlemontius capit: quem ea de caussa, Clivius jubet occidi. Bellum Civile Belgicum, Gallis auctoribus, inter Maximilianum, & eos qui Gandensium exemplo, tutelam filij, ei deferre recusabant. Maximilianus Teneræmondam occupat, ubi Pacis successum Gandenses, qui puerum Philippum penes se habebant, everterant. Occupat etiam Aldenardam Romontij Comes, ad Gandenses deficiens: idem Brabantiam vastat. Gandensibus, contra Maximilianum, Creveceurius à Gallis suppetias venit. Quod ubi Maximilianus vidit; Gandavum per insidias tantumnon capit. Carolus Rex Brabantis & Hannonibus scribit, ne Maximiliani partes sequantur: ad quas Litteras, Maximilianus ipse respondet. Gandensium formido, ne Creveceurius puerum Philippum in Galliam abducat, haud vana: qui & pertæsi Gallorum insolentiam; impetrant ut Creveceurius Tornacum se recipiat: quò & Romontius secutus est, viso Pacis successu, quæ Pajarto auctore Maximilianum inter & Gandenses, fieri cœperat, & demum Brugis perfecta est Quapropter Gandavum Maximilianus adductus, Paiartum Equitem creat, & increpitos Gandenses, in gratiam recipit, etsi minimè diuturnam. Arenbergius, apud Trudonopolin jussu Maximiliani captus; Mosæ-Trajecti decollatur: quod Leodienses ægrè ferunt. Maximilianus, Philippo Mechliniæ relicto, curâque Belgij Proceribus quibusdam traditâ, in Germaniam profectus, Rex Romanorum Francofurti eligitur, & Aquisgrani coronatur. Inde, reversus in Belgium, quò & Fredericus Imperator secutus est, à Legatis Venetis, Brugis salutatur. Quia verò Galli, suppetias nuper ad Gandenses adducendo, Pacem perspicuò ruperant; Arces aliquod, atque etiam Teroanam, de iis, pro Maximiliano, Salezarus occupat. Eapropter novo bello redeunte, Galli, dum toti Belgio inhiant, Maximilianum per Helvetios capere conantur: sed frustra-facti, Teroanam variè tentant, ac denique dolo invadunt. Ad Bethuniam circumventis Belgis, capitur inter alios Carolus Egmondanus.

TAM-

TAMETSI Caroli Regis coronatio, consecratióque, in Anni proximi Iunium, quo quatuordecim Ætatis annos complebat, dilata sit; Gandenses nihilominus, simul atque constitit de obitu Ludovici, Legatos ad Carolum miserunt, qui felicia faustáque omnia, primordiis ipsius apprecarentur. Eos in reditu positis insidiis, Berlemontius cepit: spoliatosque rebus omnibus, in Arce sua custodiæ mandavit. Quâ re Gandenses irritati, alios pariter nonnullos, in vincula conjecerunt.

Hinc jurgio, inter Berlemontium Cliviumque, coram Maximiliano, qui tum Cameraci erat, exorto; Berlemontius, à Clivij satellitibus, foras è cubiculo egressus, ubi fuerant jurgati, trucidatus est, captíque Legati, Maximiliano & libertatati redditi. An. 1484.

Inde mox cœpit Civile Belgarum bellum, follibus Gallicis ortum & auctum, ob Philippi Maximiliani filij tutelam, quam Provinciæ Oppidáque certis ita legibus Maximiliano commiserant, ut soli Flandri, Gandensibus auctoribus, cum aliquantula Brabantiæ parte, refragarentur. Heuter.

Caussabantur videlicet, *Germanorum & Burgundionum, sub Maximiliano potentiam. solos propè eos, popu-*

laribus exclusis ad publica munia, & qui sequi inde solent quæstus admitti. Porrò autem è Maria cùm Philippus superſit: ejuſdemq; tutela, propiùs Ordines quàm exteros attingat; optimum fore ſi Maximilianus Viennam remiſſus, Provinciarum regimen Ordinibus tantiſper cedat, donec Philippus adoleverit.

Atque ita Gandenſes, ſuffragantibus (quod miteris) Leodiis, ſive odio Maximiliani & Burgundionum, ſive ſimilitudine inquietæ tum indolis.

Ceteræ uti dixi Provinciæ, in filij tutela Maximiliano adhærebant, quam perinde ei conſilio inito tradiderant.

Oppidum itaque in Oppidùm armari cœpit, Provincia in Provinciam, Plebs in Nobiles, ſubditi in Principem: ut hi inteſtini tumultus, imago fuerint quadamtenus aliorum, qui integro nondum ſæculo hinc lapſo ſecuti ſunt: & poſtquàm integro ferè alio duraſſent; nuperâ demum Pace compoſiti.

Meter.

Et quamquàm contra Maximilianum, filij tutelam acceptantem, lex Pacis nondũ à biennio initæ opponi poterat: ob quod opinor ſcribere nonnulli voluerunt, *Magis eum Regio more, quàm ſubmiſſo imperio, quod Provinciarum Ordines temperant, gubernare voluiſſe*; quia tamen Pax illa, Gandenſium

Grot.

ſium præcipuè ingenio, Maximiliano adverſantium fabricata erat: reliquæ verò uti dixi Provinciæ, habitis comitiis tutelam ei impoſuerant; haud equidem videri mirum debet, ſi Rege Ludovico extincto, everſa ſponte fuerit, Lex iſta iniquiſſimæ Pacis.

Per litteras quidem, Procerumque cœtum, qui Teneræmondæ convenerant, tentari concordia cœperat; verùm ſpem ſucceſſumque Gandenſes utrobique turbarunt. Habebant videlicet in poteſtate Philippum, de cujus tutela diſceptatio erat: jamque ei virorum Principum numerum adjunxerant, quorum in omnibus conſilio uteretur: & quia non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro controverſiam agitabant; eos celeritate & aſtu Maximilianus prævertens, Teneræmondam occupat. Res peracta per ſtrenuos milites, imbelli Monachorum & Monacharum habitu, ne dolus pateſceret, amictos.

Marcan.

Anno. 1485.

Idem mox de Aldenarda facit, etſi per id tempus Romontij Comes Caroli Regis avunculus, nuper à Gandenſibus, contra Legatos eorum captus, ab iiſdem nunc perſuaſus, aut à Francis emtus, deſerto Maximiliano, cui pridem, uti & Carolo Audaci fidus militarat; agrum Brabantiæ Bruxellam Hallamque inter, multo milite evaſtaret.

Et

Et quamquàm Flandri aliis plerisque locis, quibus aut militem, aut munimenta disposuerant, sacra & profana diriperent: imò instructis Slusæ navibus, infesti pariter Zelandis essent; evênit attamen ut rerum successu potiore, eorum conatus Maximilianus retunderet.

Heuter. Hanc ob rem cùm Francorum auxilia implorassent, missusque ad eos cum exercitu Creveceurius, Tornaco frustrà tentato, in Flandriam applicuisset; accedente Maximiliano, qui numeros præsertim equestres auxerat, ipse quidem Creveceurius, Gandavum se retraxit, sed relicto foris exercitu, optimè munito.

Quam ob caussam, cùm prælium iniri non posset; à Germanis Flandri, ab Alostanis Brabanti afflicti sunt: donec hi à Maximiliano tecti: illi à Mingovallio Aldenardæ Præfecto, idoneâ acceptâ clade, Gandavum reversi, castra sustulerunt.

Cùm itaque non obscuris indiciis parêret, Francos obtentu conciliandorum Gandensium, apud quos Creveceurius jam tùm agebat, ut dixi, contra nuperæ Pacis formulam, bellum adoriri; motis Maximilianus castris, ita è directo Gandavum petiit, ut parum abfuerit, quin stratagemate interciperet.

Cùm

Cùm enim unâ ipse parte, in conspectum Vrbis se dedisset : ab altera prædas Montignius agens abigénsque, egressos portis cives in insidias pertraxisset; his eos à tergo cædentibus, à fronte pariter iste invasit, adeoque fugientium vestigia pressit; ut nisi portæ crates dimisisset, aliquis inde pugnæ spectator, Vrbem indubiè suam fecisset. Eo interim conflictu, cùm plurimi Gandensium cecidissent; feroces sublimesque animos, quos anteà gesserant, dejecerunt.

Dum hæc aguntur, Rex Francorum, ut socias vires & arma Gandensibus conciliaret, litteras ad Brabantos Hannonesque scribit : promissis minisque dehortatus, ne Maximiliani partes sequerentur.

Eas litteras, cùm Maximiliano misissent; protenus respondit : & allegato breviter belli jure quod gerebat, minas Regis viriliter contemsit.

Et quoniam Pacis utrimque proxenetam, Rex Carolus, Creveceurium, voluisse facere videbatur, quem videlicet eo solùm fine, exercitu stipatum jusserit adesse, ut tantò majori auctoritate controversiam dirimeret : isque jam reverà non tantummodò bellicis tormentis, sed militibus ære Gallico conductis, Gandavum replesset; Philippum Archiducem Puerum septennem, phale-

ratâ blandiloquentiâ, more gentis salutavit: effecitque ut equo impositus, militi spectandus, per Vrbem veheretur.

Id civibus displicuit, formidantibus ne aliquâ deinde fraude, abduceretur in Franciam, ætatéque auctus; Francicum connubium faceret. Metus erat haud panicus.

Sed cùm miles in urbe dispositus, tum ibi tum foris, stupris & rapinis insolesceret, vetusque Flandrorum in se odium concitaret; rogatus Creveceurius, ut in Tornacenses eum reduceret, paruit: magnâ armorum parte quæ attulerat, ita Gandavi relictâ; ut ea frustrà pòst repetierit.

Iam & Flandros, pecuniæ potissimùm inopiâ, tædere belli cœperat: quam, etsi Syndicus Gandensis, ex Philippi Archiducis nobiliori supellectile vendita, instaurandam censeret; adeo tamen nihil profecit, ut plebs ipsa Gandensis Pajarto Opificum Decano auctore, iis admodùm succenseret, qui Pacem Teneræmondæ nuper agitari cœptam, turbassent.

Iidem perinde Proceres, ad Pacis famam & desiderium, iterum Alosti coïerunt, qui anteà Teneræmondæ. Iam & Alostum confugerant, qui remoram Paci injiciebant: ut Francorum inibi, quos Creveceurius adduxerat, tuti præsi-

dio

dio forent. Verùm remiſſi Gandavum, duo quidem, flagitantibus civibus, ſecuri percuſſi ſunt, alij plebis interventu liberati, clàm Tornacum abierunt.

Inchoatam itaque Pacem, Romontius, Flandricæ conjurationis hactenus Imperator, ex Maximiliani voto procedere videns; mox idem fecit: Francorumque reliquias, per Gandavum educere prohibitus; Gaverâ Tornacum, ad Crevecœurij caſtra tranſtulit. Inde pariter digreſſi, cùm nulla ſpes eſſet Tornaco potiundi; Heſdinium inglorij tenuerunt: niſi pulchrum putent, *Vicinorum contra Principes ſuos rebellionem, viribus & opibus adjuviſſe.*

Primùm igitur Maximilianus Brugas intrat, nobili decentique comitatu: ubi dum de Proceribus eorumque bonis ſtatuit, qui conjurationem ſecuti fuerant; certis Flandri legibus, Pacem impetrarunt.

Inter has erat: *Vt Maximilianum filij Tutorem, eoq; nomine Flandriæ gubernatorem, agnoſcerent. Foràs ad ſe Gandavum venientem, Philippum educerent, inq; ſuam poteſtatem traderent: viciſſim tamen promitteret, non ſe eum donec adoleviſſet, extra Belgij limites eductur um*, &c.

Heuter.

Id, aliaque cùm Gandenſes præſtitiſſent, filiumque Pater adeò tenerè amplexatus eſſet, ut ſpectantibus oculi manarent; in genua tantiſper

ipſi procubuerunt, dum Pacis articuli legerentur.

Ita Nonis Iulij Vrbem Portâ Brugenſi Maximilianus ſubiit, quinque millibus Germanorum comitatus: & Pajartum, qui Pacis ſemper auctor fuerat, Equitem, manus & enſis ſui cærimoniâ creavit.

Et quidem hactenus cuncta bellè processerant; ni pauculi Germani ancillulæ cuidam, vim facere auſi, & in carcerem rapti, ac tantúmnon à ſociis erepti; novum iterum & formidoloſum tumultum, cives inter militeſque eduxiſſent. Civium enim ferociâ proterviâque, in tanta novitate reconciliatæ gratiæ, Maximilianus acriter offenſus, dum videlicet comprimi placaríque vix poſſent, ferrum & flammam, propè in omne Oppidum edixerat, imitatus ſoceri quondam ſui animos, niſi ad mitiora conſilia, tum nobilium preces, tum civium aliorum probitas, inflexiſſent.

Hâc tempeſtate compoſitâ, plexis videlicet tumultus auctoribus, paullò pòſt pro tribunali ſedens, exterorum Principum Legatis, Vrbiumque Flandricarum adſtantibus, hos ubi cum Gandenſibus, linguâ vernaculâ à Brabantiæ Cancellario, increpari egregiè juſſiſſet; in gratiam demum, veniam capite ſubmiſſo publicè rogantes, accepit, pollicitus clementiam rependere, ſi quam de-

deberent obedientiam, ipsi præstitissent.

Fluxam Gandensium fidem fuisse, mox constabit è repetitis factionibus, quæ deinde secutæ sunt, magisque quàm hactenus, arserunt.

Atqui dum Maximilianus Flandrico tumultu distinetur; Guilielmus Arenbergius, cùm Lotharingiæ Duce moliri aliquid contra eum visus est, novumque in Brabantos bellum, à Leodiis adoriri. Infidum & truculentum hominem, Maximilianus, per Fredericum Montignium, Ioannis Hornani Leodiensis Episcopi germanum, quocum anteà Arenbergius in gratiam redierat, capi jussit.

Trudonopoli repertum, unà cum fratre Antistite, Montignius cùm à meridie exspatiandi causâ Oppido eduxisset; in positas à se insidias astu pertraxit: & uti Maximilianus jusserat, Trajecti ad Mosam stitit. Hic, postero die, publicè decollatus est, cædiumque quas olim patraverat, ac præsertim in Antistite Borbonio, ejus Vicario Richardo, ambobus Leodiensium Consulibus, aliisque: perfidiarum deinde, tyrannidis & proterviæ, pœnas justissimas dedit.

Equidem fateor, Leodienses, viri supplicio, veluti œstro percitos, quia Mosæ-trajecti plexus fuerat, in cunctos Teutonici Idiomatis, vehemen-

Histor. Leodien.

menter excanduisse, imò plures occidisse; sed eorum furorem, plexi frater Robertus composuit, regulus Sedanensis: testatus, *Nullam à se suisq́; vindictam, manibus defuncti postulari.*

Vicino hoc turbine domito,& compositâ Pace Flandricâ, Maximilianus iter ad Fredericum Imperatorem, quem ab octennio non viderat, instituit. Primùm attamen, filium Philippum, è Flandria, Mechliniam traduxit, & Adolphi Ravestenij curæ commisit. Adolphi filio Philippo Clivio, & Engelberto Nassovio, rem Belgij militarem commendavit: Politicam, Carondeleto, qui pridem Hugoneto successerat.

Cum Patre Frederico, quem Aquisgrani convenerat, Francofurtum profectus, Romanorum Rex eligitur Februario mense, Anno M. CCCC. LXXXVI. proximóque Aprili coronatur Aquisgrani, istuc Norimbergâ allatâ Coronâ, quam Carolus Magnus olim gesserat. Sacris omnibus ritè peractis, sparsisque viæ medio in populum argenteis aureisque nummis, mox ibidem prandit in Curia Civica, ac primum morsum de Bove integerrimè asso, in quo Sus, & in su Agnus, & in agno Gallina, & in Gallina Ovum erat, sumsisse visus est, fonte per eundem diem, vinum ubertim ejaculante.

An. 1486.

Lintur.

Inde

Inde redux in Belgium, summo ubique honore, ac Brugis præsertim, exceptus est. Et quia secutus eódem Fredericus fuerat, vel solo quo flagrabat desiderio visendi nepotis, quem tenerrimè senex amplexus est; Patrem Filiumque, id est Fredericum & Maximilianum, Veneta Respublica, cui tunc Marcus Barbadicus præerat Dux, decretâ in Belgas Legatione salutavit. Barland.

Brugas, ubi tum Principes erant, advenêre Dominicus Trivisanus & Hermolaus Barbarus, Vir omnium disciplinarum peritissimus & facundissimus, Maximiliano præsertim, Regiæ Majestatis honorem gratulantes. Exstat elegantissimus Panegyricus, per Hermolaum ad Principes habitus. Tom. 2. Freh.

Dum hæc aguntur, præter aliquot Arces, quas Belgæ de Francis ceperant, Salezarius Duacensium Præfectus, astu Teroanam occupavit. Iam anteà quippe Franci, dum Gandavensibus suppetias tulerant; Pacem clarè rupisse probabantur, etsi id tum Maximilianus dissimulasset, in alia intentus.

Novum itaque recruduit hoc auspicio bellum. Et quidem Creveceurius, Teroanam ereptam dolens, astu pariter, sed frustraneo, eam tentavit. Auctâ commeatu à Belgis illato; mox iidem

Len-

Lensium expugnarunt: sed quoniam Franci, totius iterum puero Philippo Belgij cupidi, Helvetios primùm, ac deinde Germanos milites qui Maximiliano merebant, ad eum sibi tradendum corruperant; tum hi, tum illi, cùm pactis conventis stare non possent, quòd fido semper equitum satellitio Maximilianus stiparetur, non soluta stipendia caussati; ad Francos defecerunt, incisâ etiam Belgarum spe.

Heuter.

Et quamquàm Creveceurius rursum, ad canum & felium, aliorumque obscænorum animalium esum imò penuriam, Teroanenses pressisset; educto nihilominus è præsidiis milite, in quæ eum Maximilianus digesserat, ita egit, ut dissidentibus primùm inter se Francis, ac deinde discedentibus, sequi Creveceurius debuerit, sublatâ obsidione. Ita feliciùs quàm fortiùs, annona tum Oppido illata est.

An. 1487. Atqui inchoantis Anni M. CCCC. LXXXVII. Ianuario mense, etsi dumtaxat hanc expeditionem, Maximilianus Bruxellam reductus, frænasset; Creveceurius attamen recuperandæ Teroanæ nimiâ cupiditate frendens, ad ejus obsidionem mense Februario rediit. A Belgis ad obsessos, pristinâ egestate laborantes, importato nunc fortiter commeatu, rursus cedere coactus est: seque

mox

mox Audomarum convertens, tenui ſatis præſidio inſeſſum, cepit.

Et licet clauſam undique nunc Teroanam, ante Creveceurij Francorumque oculos, denuò Belgæ refeciſſent; is tamen confictis litteris, veluti à Maximiliano miſſis, omnem Oppidi obſeſſi ſtatum edoctus; ſub-obſcurâ nocte, dum excubiæ nocturnæ & diurnæ, ut fit, mutantur; per ſcalas immiſſo milite, qui portas effregit, voti tandem compos effectus eſt, poſtquàm anno circiter Teroana Belgarum fuiſſet.

Neque hâc felicitate contentus Creveceurius, cùm Belgas deinde, ad intercipiendam Bethuniam, fraude & arte proditoris cujuſdam allexiſſet, Nobiles ibi in aditu ſtratagematis quinquaginta captos, atque eos inter Carolum Egmondanum Adolphi filium quindecennem, hactenus in Belgis educatum; ad Francos deſtinavit.

LIBER SEXTVS.

BREVIARIVM.

GANDAVINOS contra Maximilianum, Galli rurſus exſuſcitant, per Raſſeghemium & Coppenollium. Raſſeghemius captus Vilvordiæ, liberatur à Liekerchio: & Gandavum adveniens, odiosè Maximilianum traducit. Gandenſes itaque Cortracum occupant. Brugis, ubi Maximilianus Belgarum Ordines contraxerat, ad Gallicam Pacem redintegrandam; Gallorum factione, variè con-

tra eum, ejusque ministros tumultuatum: adeo ut Gandensium denique rogatu; custodiæ manciparetur. Eâ, dum detinetur, Gandenses, Philippi pueri nomine, atque Gallorum Regis; Magistratus novos creant: & Maximilianum, ad filij tutelam, inhabilem declarant. Adhæc, plures è Nobilibus, qui Maximiliano adhærebant, capiunt, & quæstioni subjiciunt. In ejus militem, pariter Brugis sævitum.: & Maximilianus, ab una in aliam custodiam translatus. Coppenollius Brugis exceptus lætè & festivè, nuntiat Pacem Gallicam renovatam, & monetam in vulgus spargit. Ex captis Nobilibus, decem Gandavum adducti. Clivius, pro Maximiliano Slusam & Middelburgum, capit. Hoc, Brugenses recuperant: ibi, fide non omninò bonâ, Clivius se gerit. Hulstani Præsidij, pro Maximiliano strenua fides. Ex captis nuper tortisque; plures Brugis, supplicio afficiuntur. Philippi, pro liberando Patre, cura: cujus etiam per Legatos, Fredericus Imperator satagit: nec non Ordines Brabantiæ & Hannoniæ: sed ejus rei Gandenses, nihilum audire voluerunt, nisi Provinciarum Ordinibus, apud se convenientibus. Pajartum, gladio subjiciunt: à quo decem alios in tormentis editos; Cerdo quidam barbarum in modum necari quoque jubet. Frederici Imperatoris in Flandriam expeditio: Litteræ ad Philippum & Hannones, pro Maximiliano relaxando. Ordinum Legati, demum Gandavum mittuntur: qui, Gandensium Flandrorumque Legatos, cùm Buxellam evocassent; Maximiliani in commune liberationem decernunt. Interea Petrus Lanckhalsius Maximiliani Quæstor, adstante Brugis Coppenollio, capite plectitur: & appellunt Innocentij Octavi Litteræ, quibus Maximilianum mandat libertati restitui. Itaque dimittitur quarto captivitatis mense, certisque Legibus: sub quarum fiducia, inter datos obsides, Philippus Clivius fuit, cùm nunc Fredericus, exercitu quadraginta-millenario instructus, advenisset; qui Gallos & Gandenses valde consternavit. Atqui Maximilianus fide Pacis servandæ, datâ, monuit ut Imperatoris clementiam captarent: quod dum dimissis obsidibus, Gandenses faciunt; apud hos nihilominus Clivius permanere maluit. Itaque Pax Brugensis ab his recepta, ab aliis rejecta est: & Fredericus capti Filij vindictam à Gandensibus expetens, eos obsedit, & laxari pariter Nobiles jussit, quos captos detinebant. Deinsa expugnatur. Clivius caussatus à Maximiliano Pacem rumpi, Gandensium arma sequatur: quem perinde Fredericus sublatâ obsidione, Antuerpiæ proscribit. Irritatus Clivius, Bruxellam occupat: Maximilianus Vilvordiam. Mechliniâ, dum iterata Pacis agitatio successum non habet; Imperator in Germaniam redit, relicto in Belgis Alberto Saxone. Clivius, Brabantiæ partem, suam facit: qui cum Flandris Maximiliano summam pecu-

cuniariam offerunt, ut Belgio excedat. Quod cùm facere nollet, & perduellio Belgarum cresceret; felicitatis, pristinæque fortunæ, jacturam sponte fecerunt. Captum de Francis Audomarum: & Maximilianus in Germaniam profectus. Asca & Isca, combusta: sed & alij circa Bruxellam Pagi: quam denique Flandri, quod Clivius non poterat, commeatu juvant. Tentatâ iterum Pace, cùm nihilum Saxo obtinuisset; Clivius Trudonopolin obsidet: quam denique solvere cogitur. Prædones; qui Arcem Acrenensem expilaverant; prædâ suâ exuti. Hannones, in capiendo Atrebato, frustrati.

GANDENSEM intereà Pacem, plures ibi factiosi homines & quietis impatientes, plus vice unicâ rumpere conati fuerant: nisi mox pulsi, capti aut plexi, audaciam suam perimi in ipso exordio, sensissent. Quapropter Francorum Rex, sive veteri Burgundionum odio, sive cupiditate flagrans, mortuo nuper Iacobo Romontij Comite, Adrianum Rasseghemium, alterum Gandavinæ rebellionis turbinem, suscitavit: ut adjuncto sibi Ioanne Coppenollio, plebeio quidem sed acri homine, obque id apud suos potente; bella pristina tumultusque reduceret. Heuter.

Quod dum palàm non ausi, occultis calumniis, quibus Maximilianum impetebant, adoriuntur; Rasseghemius Insulis captus, quò se Tornaco cum familia receperat, Arci Vilvordianæ mancipatus est.

Id cùm pessimè propinquos ipsius haberet;

eos inter capti patruelis Adrianus Liekercquius, Rasseghemium arce eduxit, Præfecto tum absente, & custode malè multato.

Primùm itaque Tornacum, ac deinde Gandavum Rasseghemius adductus, cœpit mox invidiam Maximiliano facere, carcerisque sui duritiem, odiosis sermonibus exaggerare. *Nihil in eo fidei esse: adeóq; cunctis, qui contrà semel arma, etsi pro libertate tulissent; eandem carceris immanitatem manere, nullo in Pace reperto præsidio. Satius perinde esse, stantes in prælio, quàm clausos carceribus interire. Id virorum, hoc vilium mancipiorum, mortis genus esse.*

In Flandria susq; deq; omnia ferri; justitiam Vrbibus exulare, militiá disciplinam. Proteri nuperam Gandensium Pacem, imò verò Gallicam, quæ cum Ludovico sit facta: militem intereà aurum omne patrium: exteros, munia honorésq; auferre, ut nihil reliqui Belgis sit, præter inopiam & abjectionem.

Haud umquàm anteà visum, ut ulli Principum Burgundionum, tantum æris signati, quantum uni Maximiliano sit datum. Si viri sint, computa rationésq; expóscant, &c.

Pura enim putaque commenta calumniasque hæc esse; prodebat & militum egestas: & ob dilata stipendia, crebræ passim evastationes & rapinæ. Atqui satis erat Gandensibus irritari.

Ad arma conversi Duce Liekerquio, quem

dixi,

dixi, Cortracum, moxque arcem inibi capiunt. An. 1488.

Erat tum Maximilianus Brugis, eodemque Flandriæ Ordines, & Legatos Provinciarum contraxerat, causſâ Pacis Gallicæ redintegrandæ: dum ecce Brugenſes temerè, imò verò hoſtium impulſu, in ſeditionem verſi, cùm Maximiliani miniſtros, qui gazis ipſius præerant, ad exigendas dati & accepti rationes, comprehendere non poſſent, eorum domos expilarunt.

Ad rumores intereà à duabus mulieribus exortos, quibus auxilia ad Maximilianum ab Antuerpia adduci ferebantur; adeo accenſus eſt Brugenſium furor, ut parum abfuerit quin eum è medio tollerent.

Verùm Gandenſes audaciſſimum facinus, & inauditum hactenus aggreſſi; ſcriptis ad Brugenſes litteris, rogant Maximilianum cuſtodiâ claudi & detineri. Quâ ſanè proterviâ, Batavos, uno circiter pòſt ſæculo, contra Principem pariter ſuum erectos, ſuperarunt: qui etſi ab eo deſciviſſent; uſi nihilominùs hâc modeſtiâ ſunt, ut Philippo ſuperſtite continuerint ſe intra neceſſitatem Grot. defenſionis, mortuóque dumtaxat, repoſuerint Hiſpaniæ, quod miſerat bellum.

Brugenſes acceptis litteris, Maximilianum in forum accerſunt, quod armati obtinebant. Paruit

pedes, lectiſque quas porrexerant litteris, cedendum ratus, etſi ædibus ſuis cuſtodiri paratus eſſet, in vicinas attamen, quæ in foro cujuſdam Aromatarij erant, compactus eſt.

Rei nuntio exhilarati Gandenſes, nihil-non egerunt, ut ſibi captivus traderetur: haud dubiè in Galliam mittendus. Recuſantibus Brugenſibus, id Gandenſes impetrarunt, ut domus ferreis ad feneſtras clathris, contra omne elabendi periculum muniretur, perpetuique è civibus cuſtodes, capto adderentur.

Eo facinore territi complures, ſed in primis Salezarus fugit, quòd occupatâ nuper Teroanâ, Pacem Gallicam rupiſſe diceretur: etſi id anteà Galli reverâ feciſſent.

Legatis intereà, quos ad renovandam Gallicam Pacem, ex Provinciis & Vrbibus Belgarum Maximilianus Brugas adduxerat, partim profectis, partim proficiſcentibus; Gandenſium ſtudio, novi ubique Magiſtratus, Philippi pueri & Francorum Regis nomine creari cœperunt: ipſeque Maximilianus, ad tutelam filij, Belgiumque gubernandum, inhabilis declarari.

Iiſdem Gandenſibus auctoribus, quorum jam Legati Brugas advenerant, Proceres qui Maximiliano adhærebant, in carcerem conjecti ſunt:

eo

eo videlicet obtentu, ut faciliùs rupta Pax coalesceret, cui dicebant Proceres adversari: tum ut punirentur veterum prædarum & exactionum auctores, quibus accisa hactenus, & attrita Respublica populique essent. Id enim habebantur Nobiles, idemque in eis Brugenses criminabantur: qui unà cum Gandensium Legatis, Maximilianum accesserant, offerentes pecuniarum aliquantam summam, ad stipendia Nobilium & & custodum; sed quæ admissa non est.

Inde plures adhuc quàm anteà, à Brugensibus capti sunt, à quibus quæstioni publicè in foro subjectis, extorserunt eorum confessionem, quæ reum facere Maximilianum alióſque possent.

Sævitum etiam in militem, quem è latebris, in quas sese plurimus, captivitate Regis abdiderat, ad accipienda stipendia exciverant. Ingens erat patranda laniena; nisi viros innoxios, bonorum civium & feminarum humanitas, fugientes, domi texisset.

Sed neque Maximiliano, custodibus septo, licuit in ædibus Aromatariis, etsi ferreis clathris, in carceris speciem horrentibus, securo esse & quieto. Quapropter ne quoquo modo elaberetur; migrandum ei denuntiant. Noluit: sed gravibus verbis adstantes castigans, jubet meminisse.

Quo-

Heuter. *Quomodo desperatis propè Belgarum rebus, ab Ordinibus, ad Mariæ Principis suæ connubium sit evocatus: genuerit ex ea liberos, jamq; undecim anni decurrerint, quibus Regem Francorum, totius Europæ potentissimum, eorum terris & libertati, quamquàm aliud omninò simulet insidiantem, stiterit, imò represserit. Mortalem quidem se esse, sed Imperatoris filium unicum: ac licet nunc in eorum potestate; secundà nihilominùs propinquorum vindictâ & potentiâ, post supplicia & fata victurum.*

Terruit vox plena majestatis, qui migrationem denuntiaverant, atque ad suos in forum revertuntur. Verùmtamen repetitâ migrandi lege, cùm nimirùm domum alteram, cancellis trabibúsque ferreis, muniissent, obtemperavit: Brugenses obtestatus: *Ne personæ suæ injuriam inferri sinerent: ne traderent in Francorum, aut Gandensium manus. Ne absq; necessario famulitio, solum, veluti in scopulum exponerent.*

Et quamquàm hæc ei liberaliter promissa servataque sint, qui videlicet aperto capite, armatas civium turmas, in foro excubantes adierat; operâ nihilominùs Francorum clàm suscitatæ seditiones sunt, quibus aut insignis contumelia, aut præsens exitium migranti inferretur.

Aromatariis itaque ædibus, nunc, aut aliis inscriptum,

reX non est hIC. eCCe LoCVs VbI posVerVnt eVM.
qui numerus continet. Annum hujus sæculi M. CCCC. LXXXVII. quo hæc gesta sunt, initium computando à Paschate præterito, more Gallorum.

Atqui iis ædibus nondum Maximilianus excesserat, cùm Coppenollius, ipso cognomento plebeius & vilis, cohorte Francicâ stipatus, Brugas venit. Is non tantùm quia Maximiliano splendidè adversabatur; sed ob Pacem Gallicam renovatam (id suápte auctoritate Flandri fecerant) & publicatam quarto Kalendas Martij, quâ hostes declarabantur, quotquot nomine Ducis Austriæ (ita Maximilianum indigetabant.) præsidium alicubi in Flandria tenerent; maximâ ovatione exceptus est.

Eam deinde auxit Coppenollij majestas, auream argenteámque monetam, in vulgus spargentis.

Adhæc Legati Gandenses, domuitionem parantes, ex captis nuper Nobilibus, decem sibi dedi postulant, impetrántque. Et quamquàm eâ lege, ut eorum quemlibet, vivum integrúmque (nisi quid humanitùs incidisset) Brugensibus cùm vellent, restituerent; ij tamen haud ignari memoréſque Imbercurtij & Hugoneti, ubi se

 Gan-

Gandavi carcere constringi vident, nihilo sibi minùs formidabant. Coppenollij siquidem adventu, quotquot munus publicum sub Maximiliano gesserant : eo cedere, sub pœna capitis jubebantur.

Per id tempus Domino Principique suo fidus Philippus Clivius, eorum quæ contra Maximilianum gerebantur, indignitate motus; Slusam invasit. Idem fecit de vicino Middelburgo. Quod etsi Brugenses recuperassent : ipséque Clivius jussus Slusanis Arcibus militem educere; respondisset, *Eas se Philippo Maximiliani filio servare: moneretq́; Patrem ipsum, non mitiùs tantummodò, sed & decentiùs haberi;* quòd id tamen lentiùs frigidéque faceret, malè, uti patuit posteà, audivit.

Magis fidi cum Præfecto suo Hulstani milites; Gandavum usque cuncta evastabant, reddebántque infesta: adeo ut ad se profectam civicam manum, obsidionem molientem, magnâ illatâ clade domum pepulerint, ruptis ordinibus variè cespitantem.

Sed interim Brugenses, ex pristinis captis tortisque, plures capite truncarunt, etsi anteà sponte dimissos. Criminabantur eos, pecuniam publicam in usus privatos convertisse.

Paternæ itaque dignitatis & vitæ, sollicitus.

Phi-

Philippus, Fontanum in primis ad invisendum Maximilianum Brugas destinavit, qui Philippi Clivij fiduciâ admissus est. Provinciarum Ordines deinde Mechliniam contraxit, ut ejus liberandi ratio, quoquo modo iniretur. Idem uti par erat Legati postulabant, quos Fredericus Imperator, & Germaniæ Principes ad Philippum miserant.

Et Brabanti quidem Hannonésque, mox eâ super re Gandensibus scripserunt: etsi nihil præterea responderint, quàm quod Fontano Brugis coram Maximiliano ipso: *Vt ad urbem suam, Provinciarum Ordines convenirent.*

Id etsi insolens (uti erat reverà) videretur, cùm una alteri Provincia, nihil imperare aut jubere possit; consensêre nihilominus studio Maximiliani liberandi, ut conventus Ordinum Teneræmondæ fieret. Verùm id Gandensibus pariter recusantibus; effecerunt apud Maximilianum, ut scriptis ad Ordines litteris, Gandavum eos convocaret. Cùm essent extortæ; viribus & ipsæ caruerunt.

Venit interim Mechliniam Clivius, atque uti potuit, excusavit subblestam fidem, quasi minùs integrè nuper apud Slusam, pro Maximiliano egisset.

Secundùm hæc Gandenſes, Pajartum, nuperæ Pacis auctorem, atque ob id Equeſtri dignitate à Maximiliano donatum, capite truncant. Cauſſa erat, quòd Pajartus Maximilianum, non plures quingentis, introducturum in urbem ſuam dixiſſet, introduxiſſet autem quinque millia virorum. Gandenſibus idcirco inviſus Pajartus, Brugas migraverat: verùm hîc captus, hoſtibuſque ſuis traditus, luit: cùm priùs inter quæſtionum atrociam, decem alios cives veluti conſortes, edidiſſet.

Hos totidem cum uxoribus ſuis, lautâ exceptos cœnâ, quidam Gandenſium Præfectus, opificio Calcearius, atque inde ſomno domi ſepultos, extrahi è ſtratis jubet: inque carcerem perductos, ubi aderant Sacerdos & carnifex, gladio necari. Nuntiat diluculò conjugibus, *Si maritos vellent, accerſerent ab Eccleſia Auguſtinenſium*: ad quam trunca capitum, eorum cadavera miſerat, linteis loculiſque involuta & incluſa.

Heuter.

Quamquàm autem Fredericus Imperator, ad filium omninò liberandum, expeditionem in Flandriam, conſcripto milite pararet, annitentibus, in eandem rem Germaniæ Principibus; Litteras attamen ad Philippum & Hannones, ſcribere haud omiſit: ubi repetitis quæ nuper Flandris Maximilianus improperaverat, taxat,

Fran-

Francorum perfidiam, qui non contenti per Creveceurium tentasse Philippum furtim Belgis auferre; eò nunc protervia Flandros adduxère, ut Maximilianum patrem, aut sibi traderent, aut protruderent in mortem. Hæc talia cùm modum omnem tolerantiamq́ excederent, Philippus mares animos paresq́ majoribus suis sumeret, ad retundendam callidissimæ gentis petacem astutiam: Ordines verò præsenti ope operáque tam justos & pios filij conatus adjuvarent. Non defuturas ambobus Imperij vires, ut audax & inauditum hactenus facinus, ad rebellium exemplum puniatur.

Provinciarum itaque Ordines Mechliniæ congregati, ne plus aliquid juribus suis, quàm incolumitati Principis tribuere viderentur, Legatos Gandavum destinarunt, qui postulata Gandensium acciperent. Cumque graviora essent quàm concedere suápte, atque in procinctu possent; rogarunt ut coram Philippo Bruxellæ, Legatísque Provinciarum sese, Flandríque sisterent. Fecerunt, ad sextum Kalendas Aprilis, conventúmque generalem Ordinum, mox à Paschate Gandavi habendum impetrarunt.

Ita constitutis tum rebus, Petrum Lanchalsium, quem fidum sibi & industrium, Maximilianus ad munia dignitatésque evexerat, Brugenses pertinacibus odiis, ad mortem quærebant. Iam sextâ hebdomade Lanchalsius latuerat, cùm

 tot

tot minis & terroribus prodi jubent, ut haud diutiùs extra periculum suum & suorum, celator & custos esse posset. Dum itaque personatâ facie, fugam tentat, capitur: atque exquisitè tortus (fuerat enim Maximiliani quæstor Lanchalsius) capite plectitur adstante Coppenollio, cùm ei scelera sua gravis exprobasset, & quos tormentis adactus Nobiles accusaverat, innocentiæ restituisset.

Pridie Paschatis erat, cùm Brugenses, qui septimâ jam hebdomade, forum armati, ad septemdecim millia insederant, deseruerunt.

Appellunt mox Innocentij VIII. Litteræ, quibus sub Anathemate jubentur, Maximilianum libertati restituere: si non facerent; alteris præcipiebantur Hannones, pertinacibus Flandris bellum inferre.

Congregatis intereà Provinciarum Ordinibus, post aliquot dierum acres disceptationes, dimissus certis legibus Maximilianus est: quæ donec reápse implerentur, dati sunt obsides Gandensibus, Philippus Clivius, Comes Hainovius, & Wolquenstainij Toparcha, permissumque iisdem, *Pro Gandensibus contra Maximilianum arma ferrè; si quod erat jurejurando firmatum, minùs opere præstitum fuisset.*

Heuter.

Maximilianus itaque, cùm Legatis Provincia-

ciarum Brabantiæ potissimùm Hannoniæ & Namurci, qui fidem hîc ei suam affectumque probaverant, gratias egisset, Brugis egressus est, deducentibus ad arcem Maleanam Germanis: obsidésque Gandavum profecti. Id medio circiter Maij contigit, quartóque mense à captivitate vertente.

Atqui intereà in Belgium, Fredericus Imperator appulerat, adducto quadraginta millium exercitu: quæ res tum Creveceurium Picardiæ Præfectum, tum Gandenses potissimùm consternavit. Iubet itaque ille dirui quamprimùm, infirmiora in Artesia castella: ab eoque Coppenollius impetrat Gandensibus tria virorum millia, ad finium suorum custodiam.

Porrò Maximilianus vix Brugis excesserat, cùm Germanorum qui eum deduxerant, sive incuriâ sive petulantiâ, aliquot in vicino prædia arserunt. Eo, cùm Brugenses Pacem violari clamassent, egressíque ad Maximilianum quererentur; *Negavit id scitu jussuq́ suo factum. Pacem quam ex animi sententia, apud res in Ecclesia sanctissimas juraverat, præcipuâ relligione servare se velle: idemq́ ut & ipsi præstent, ex animo optare. Hortari eapropter, ut filij ditionibus, per id tempus quo sit in Germania absuturus, fideliter prudenterq́ consulant: mox ei porrigant tabulas quinquaginta millium:*

lium, quos addixerint, Aureorum: deniq; è suis Germaniæq; Proceribus, futuros apud Fredericum Imperatorem intercessores deligant, ne per eum graviùs aliquid in Flandros statuatur.

Hoc ubi sollicitè fecissent; monuerunt designati Proceres, datos nuper Obsides promtè laxari: plurimùm id momenti allaturum, ad demulcendam Frederici clementiam, totiusque exercitus iras animosque sistendos.

Fit igitur: Germanisque obsidibus dimissis, Clivius haud ingratiis Gandavi remansit.

Publicari exinde totâ Flandriâ nova Pax cœpit: quod etsi aliæ quoque Provinciæ sequerentur; aliæ nihilominus contemsêre. Nam & Philippus Lessinæ, vicinisque præsidiis mandaverat in Flandros excursionem facere, qui & ipsi Francorum auxilia rursus in commune popoſcerant: unde & Maximilianus, novo apud Meninas commeatu, castra sua instruxit.

Fredericus intereà Imperator, Gandavum obsedit, etsi Francorum tantillo præsidio munitum. Castra apud Evergemium demùm, & præcipuè collocata: & quia non jam libertas, sed vindicta capti Maximiliani, petebatur à Flandris; id Fredericus prætexuit, *Vt Imperialis Flandriæ trans Schaldim Dominus agnosceretur.*

Est

Est in ea Castrum nunc in primis Gandense, Quatuor Officia, Wasiaque: quæ cum Valencenis, & Insulis aliquot Zelandicis, Balduino Barbato Flandriæ Comiti, Ottho Imperator olim attribuit, perpetuo Clientelæ Cæsareæ titulo tenenda, quam tantummodò Zelandiâ-tenus Fredericus, Philippo olim Bono, Vesontione remiserat.

Vredius.

Decad. 3. lib. 7.

Iussit præterea laxari Nobiles viros, qui Brugis anteà capti, Gandavum traducti fuerant. Quod ubi in vulgus elatum est, Sutor, qui nuper decem cives, priùs à se epulo cum uxoribus exceptos, capite minuerat; Sacerdote & spiculatore comitatus, ad carcerem perrexit, idem Nobilibus facturus, quod in cives anteà commiserat, cæsorumque capita scorteis inclusa marsupiis, ad Cæsarem missurus; nisi destinati facinoris certior Clivius effectus, obviàm ivisset.

Per id tempus Deinsam, Germani occuparunt, cæso ad internecionem Francorum Flandrorumque præsidio: ita videlicet ut Præfectum pugione in pectus adacto, supinum asseribus affigerent, secundóque Lisa Gandavum mitterent, elogio adscripto, *Quotquot Maximiliano manus injecissent, pari supplicio luituros.*

Sed operæ pretium fuisset, si Clivius Gandensium

ſium prora puppiſque, aut eos deſerere, aut ad partes Frederici adduci potuiſſet. Id enim Maximilianus etſi impensè, fruſtrà tamen conatus eſt: obtendente Clivio: *Ita præteritâ Pace convenisse, ut si eam Maximilianus rumperet, fas obſidibus eſſet, Flandrorum militiam ſequi.*

Atqui reſpondebat Maximilianus, *Nequaquàm à ſe Pacem violari, ſed partes Imperatoris teneri, cui ſit belli gerendi diſpar, & alius longè ſcopus & cauſſa.* Animum obſtinante Clivio, qui videlicet Gandavi imperare malebat, quàm alibi ſervire: Chriſtophoro verò Brandeburgenſi, qui Frederico longè cariſſimus erat, à Gandenſibus ſagittâ peremto; tertiò Idus Iulij Fredericus caſtra Evergemio movit: poſtquàm ſextâ hebdomade, Gandenſes cum Brugenſibus præcipuè, variis cladibus & detrimentis affeciſſet.

Maſſ.

Parte exercitus dimiſsâ, Antuerpiam Fredericus profectus, Clivium Imperij perduellem, pro tribunali dixit, & honoribus boniſque multatum proſcripſit: hortatus deniquè Belgarum Ordines, ut Pacem Gallicam à ſexennio initam, ſervarent.

Hiſce Clivius irritatus potiùs quàm territus, cùm Bruxellenſes aliquot ſibi conciliaſſet, in Oppidum cum quingentis equitibus admiſſus eſt. Ratus Maximilianus quod erat, id à Flandris

Cli-

Cliviόque tentari, ut puerum Philippum ad se traducerent; Vilvordiam capi, præsidióque muniri jubet. Hâc occasione Germani, Bruxellenses insidiis & excursionibus vexare cœperunt. Idem mercatoribus itinerantibus Clivius reddidit, occupatâ per Liekercquium Genapiâ Arce.

Mechliniæ itaque tentata rursus Pax cum Clivio est, Cæsare Ordinibusque Belgarum præsentibus: sed quia confici haud potuit; Fredericus initio Octobris Germaniam repetiit, milite ducibusque, apud Maximilianum relictis, atque hos inter Alberto Saxone, rei bellicæ peritissimo.

Ceterùm Bruxellæ Clivius existens, haud difficulter aliquantam Brabantiæ partem, à Maximiliano ad se Flandrosque abduxit. Visa quippe exigua defectio, à Patre ad Filium transire, jure regnandi in Belgio potiorem. Brabantis, quod mireris, accesêre Leodienses, tamquàm & eorum interesset, Patérne an Filius Belgis imperaret.

Et quia crescebat gliscebátque indies hostilitas, malorum adhæc damnorumque metus, quæ comitari bellum intestinum solent; ausi sunt Brabanti Flandríque, qui quidem à Maximiliano defecerant, centum ei Aureorum millia, apud Vbios numeranda offerre, si Belgio, non ultrà rediturus, valedicere voluisset, illudque & Filium

 Or-

Ordinibus ac Proceribus Burgundici ſanguinis (quos inter Clivius primas tenebat) committere. Apud Maximilianum pluris Majeſtas, quàm moneta fuit: noluit. Quid igitur? Belgarum feſſa felicitas, mutuò ſe levibus ex cauſſis colliſit, & rupta eſt, quaſi diutiùs populi opulenti eſſe nollent.

Quod ergo hujus anni ſuperfuit, mutuis utrimque cladibus, in expugnandis & amittendis Oppidis & Arcibus, per Brabantiam Arteſiam, Hannoniam, Hollandiam & Flandriam, Occiduam potiſſimùm, impenſum eſt.

An. 1489. Paullò poſt ſequentis initium, Belgis pariter quà aſtu quà arte, Audomarum ceſſit, ejuſque mox ſecuta Arx, Francis diſſenſione partim, partim formidine dilapſis. Idem factum de pluribus, eo tractu, Oppidis.

Maximiliano itaque Patrem in Germaniam ſecuto, in Belgas Clivius rediit, ſecum adducens novas rebellibus ſuppetias è Gallia, quò ſe, nuper digreſſus à Creveceurio, receperat. Fama erat laboranti inediâ Bruxellæ, commeatum inferre velle. Hâc occaſione Iſca & Aſca, duo infra ſupráque Bruxellam municipia, quæ Bruxellenſes ad commeatum tutiùs invehendum antè munierant, Saxone Chimaioque, quos ad Belgij Filiique

Heuter.

re-

regimen abiens Maximilianus posuerat, expugnantibus, in cineres redacta sunt.

Simili strage Wavria, aliique circum Bruxellam Pagi perierunt: sed quam in Vilvordia Bruxellenses sunt ulti, dum eductis à Saxone Germanis, malè à Mechliniensibus custoditam, expilant pariterque comburunt.

Commeatum ergò quem ad Bruxellenses Clivius inferre non potuerat; Flandri equitatu & peditatu collecto intulerunt.

Inde cum Clivio in colloquium adductus Saxo; persuadere conatus est, *Vt valefactâ Brugensi Pace, veluti turpi atq; extortâ, in Maximiliani gratiam rediret, Oppidáque restitueret, quæ eripuerat.* Cùm nihil Saxo obtinuisset, Trudonopolin Clivius obsedit, ubi tum Antistes Leodiensis Hornanus erat: unà cum Oppido, & ipse Maximiliano addictus. Hiatu per mœnia facto, dum Flandrorum Brabantorumque altercatione, impressio differtur; famâ supervenientis Saxonis, obsidio repentè sublata est.

Atqui intereà Præsidiarij Arcis Liekercanæ, vicinam Acrenam, præsidio tantisper diminutam, nocte concubiâ aggressi incenderunt: convectáque immensâ prædâ, impunè abiissent; nisi superveniens Præfectus Acrenensis, tumultuariis

numeris ſed idoneis, partim trucidatos & captos, partim in fugam actos prædones, prædâ omni exuiſſet.

Sequior Hannonum ſucceſſus fuit, quos ſubinde Atrebato inſidiantes, aquæ pluviæ abundantia, ſtratagemate ſuo excluſit.

LIBER SEPTIMVS.

BREVIARIVM.

SAXO, Arſchotum Francico præſidio inſeſſum; capit & incendit. Arcem etiam Lumæam expugnat. Hallas Hannoniæ, dum Clivius tentat: & Neoportum cum Gandenſibus, Galli, cæduntur. Hallas Clivius iterum aggreſſus; non abſque miraculo iterum pellitur. Itaque Hasbaniam populabundus petit, dum Genapiam Saxo invadit. Et quia Pacis ineundæ rumor crebeſcebat; Cliviani, Flandri, Gallique, omnium promiſcuè vaſtatione, bello valefaciunt. Thenenſe Oppidum, à Saxone ſpoliatum & exuſtum. Sigiſmundus Auſtriacus, Comitatum Tyrolenſem, Maximiliano cedit. Agitata quoque Belgica Pax Francofurti, & demum concluſa: cùm Gallica cupiditas Neapolin reſpiceret. Eâ Pace Philippi, Cominæus & Creveceurius, cum Clivio comprehenſi: qui acceptâ à Saxone fide; Brabantos deſeruit, Pacem mox amplexos: etſi Gandenſes priuſquam id facerent, ad Galliæ Regem profecti ſint: qui cùm Maximilianum proximè eſſet offenſurus; magis ei favorabilem reddidit præteritam Pacem. Peſtis, magnâ hominum ſtrage, Bruxellæ præſertim graſſata. Maximiliani Proceres, Brugis Magiſtratum renovânt. Accedit & eidem, Comitatus Goritiæ, nec non Regni Hungariæ, *&c.* plenum jus. Brederodius, Paci initæ contrarius, in Batavis cæditur: in Hannonibus, Bellemontius. Raſſeghemium, eandem amplexum, Clivius jubet interfici. Montfortium & Ziriczea, à Saxone ſubactæ. Novi tumultus inter Naſſovium Flandriæ Præfectum & Brugenſes, ob Edicta Nummaria exorti: quos iterum Clivius & Gandenſes fovent, Brugenſium denique damno. Novum etiam è Geldria bellum, Gallis incentoribus, Carolo Egmondano in Geldros reverſo. Carolus Galliæ Rex, re-

repudiatâ Margaritâ Maximiliani filiâ, Annam Britannicam Maximiliano subducit: quo facto, periit Carolo actio in Duacum, Insulam & Orchiacum. Gandenses, ad pristinas seditiones reversi, Clivio favente & fovente Coppenollio: hoc denique affecto supplicio, illo ad extremum benignitate potiùs obruto, quàm ad Pacem adducto; universim omnia pacantur. Atrebatum, à Maximiliani ducibus, astu interceptum: pulsique ingenti numero ex Hispania Iudæi. Mox detectus novus Orbis, à Christophoro Columbo, cœptæ quoque longinquæ Batavorum navigationes, ac demùm Pax Silvanecti facta, inter Maximilianum & Carolum, Reges Romanorum & Gallorum.

SVB id tempus Arschotum, Francico præsidio auctum, ad incursandos Antuerpiensium & Mechliniensium agros; dum id cives Clivio addicti, junctis sibi villicis qui eò confugerant, festivo Kalendarum Maiarum gaudio, neglectâ militaris pervigilij curâ, delinirent; irruente desubitò cum Germanis Saxone, captum est, flammisque pro majori parte, atque in primis elegante Templo absumtum. Ea res uti Antuerpianos & Mechlinienses, quos dixi, magnopere exhilaravit; ita Saxoni famam suam restituit, qui veluti clancularius Clivij fautor, malè cœperat audire.

Inde accedente Chimaio, quem Principis dignitate & titulo, Rex Maximilianus Francofurti donaverat, Arcem Lumæam arte & præsidio validam, cæsis propugnatoribus capit.

At verò Clivius frustrà Hallas tentat, uti & Neo-

Neoportum Gandenſes, quibus Creveceurius ſuppetias venerat exercitu viginti millium: validè ambo repulſi, & præſertim ad Neoportum, etiam ab armatis mulieribus, Galli.

Neque meliore fortunâ Houckij in Batavis, Maximiliani pariter hoſtes pugnabant; quos fortiter Cabelliavi Lugduno repulerunt, aliiſque locis, operâ Egmondij Hollandiæ Præfecti.

Et veluti intereſſet Hallas, cultu magis Deiparæ quàm mœnibus tutas, quoquo modo ſubigere; obſidionem mox Clivius repetiit: qui tametſi ingentem patôrem tormentario ariete feciſſet, hácque aliáque parte impetum moliretur, & ad occaſum uſque diem faceret; cedere nihilominus multis amiſſis & ſauciis, coactus eſt: civibus, qui unicum tormentum habebant, contrà dimicantibus è ſulphure & pice ignitâ ſtuppâ, quos malleolos appellant, eoſque intus animante Deiparâ, exigui Oppidi magnâ tutrice.

Sanè mulieres decem, quæ in extinguendis ignibus, quos in aliquot ædes jaculatus hoſtis fuerat, laborabant, inde lapſæ, tam parum læſæ ſunt, ut ſolæ redire domum potuerint.

Ipſe quoque hoſtis, confuſo tympanorum & campanarum ſtrepitu, tamquàm præſentibus auxiliis territus, licet venturorum tantummodò

id

id signum foret, & acceptæ spei fiducia; exauctoratis numeris, ita properè discessit, ut cum suorum cadaveribus, ipsa obsidionis instrumenta, in fossis reliquerit.

Clivius itaque ex Hannonia in Hasbaniam, vires studiumque nocendi transtulit. Eapropter Legatus ipsius Guerræus, cùm Thenas non posset, vicinum agrum depopulatus est: Trudonensium etiam, qui contrà exierant, victor.

Nivellâm intereà Saxo adoriri paratus, dum promissa ab Hannonibus auxilia morantur, plura quidem eo tractu castella occupavit; sed in primis Genapiam Arcem, unde rebus necessariis Nivella juvabatur. Ita Nivella, etsi intentata mansit; nihilum etiam parte præsidij nocuit, quod ad occupandum Reusium emissum fuerat.

Inde famâ Pacis, quæ Maximilianum inter & Francos conciliari Francofurti ferebatur, Cliviani, ubi poterant, evastare omnia cœperunt: suam videlicet bello catastrophen, etsi illaudato more, daturi. Idem Flandri Francique fecerunt, postquàm conatu occupandæ Lessinæ depulsi essent.

Atqui Thenas, vicinum Hasbanorum Oppidum, quod rebus omnibus instructum, haud pridem in Clivij partes concesserat, Saxo aggressus: etsi quia frustrà tentasset, sannis & ludibrio

peteretur; attamen collectis ad extremum animis viribusque, expugnat, & post dierum aliquot direptionem, incendio vastat, cæsis majori parte Francis Leodiisque, qui locū præsidio tuebantur.

Sigismundus intereà Austriacus, cùm è duabus uxoribus nullos liberos suscepisset, Comitatum Tyrolensem, aliasque ditiones, præsentibus earumdem Ordinibus, Maximiliano cessit: & Legatis Francorum in Germaniam adductis, cùm sopitæ Principum ibi controversiæ essent; tum denique agitata Pax est, inter Maximilianum ejusque filium Philippum, & Carolum Regem Belgásque rebelles.

Mense itaque Augusto pactis Legibus coaluit: cùm videlicet ad occupandam Neapolin, Francica rursus cupiditas, excubare cœpisset. Pace quam impedire non poterat, Clivius comprehensus est, cui etiam res soli, uti & Philippis Cominæo ac Creveceurio, restitutæ sunt, dataque à Saxone publica discedendi fides, cum uxore rebusque moventibus, præsidio quingentorum Equitum. Brabanti enim bella eorumque detrimenta pertæsi, Saxonis consilio, Pacem sine mora amplexi: hosque inter Lovanienses, Bruxellenses & Nivellenses, centum florenorum millia pacti, ad Maximilianum redierunt. Idem & Flan-

Flandri fecerunt; sed priùs ad Galliæ Regem, à cujus hactenus nutu pependerant, profecti.

Rex siquidem Gallus, Maximiliano gratificari cupiens, quem de proximo, Sponsâ ipsius in suum thalamum traductâ, offensurus erat; gratiores quàm anteà Franco-furti, Pacis articulos adjecit: dum addictâ ei omnimodâ filij tutelâ, Pace deinde Brugensi, veluti extortâ, jussâ discerpi; voluit eos qui initio belli, Gandavi, Brugis, Iprisque Magistratus gesserant, pullâ veste amictos, nudo capite pedibusque, ante Vrbium earum portas, flexo genu veniam precari, quas edere Maximiliano libuisset.

Brabantos intereà, miseranda pestilitas invasit, quæ octodecim mensium spatio, unicâ Bruxellâ, triginta hominum millia depasta est.

Redux è Galliis Nassovius Flandriæ Præfectus, anni sequentis initio, cum Saxone, Chimacensi aliisque, justo satellitio munitus, debitâque pompâ Brugas intravit: mutatisque Magistratibus, & novo sacramento adstrictis, ditionem veteribus Dominis asseruit. An. 1490.

Sub id tempus Comitatus Goritiæ, quem Albertus Rudolphi Primi filius, causâ uxoris suæ in Austriacos transfuderat, deferente Comite, qui liberis carebat, ad Maximilianum venit. Vrcd.

 Iam

Iam & elato Vladiſlao poſthumo, cùm regnorum Bohemiæ, Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ jus, ad Sigiſmundum, qui Tyrolim nuper Maximiliano tradiderat, & Fredericum Imperatorem devolutum eſſet; eidem ambo, actionem ſuam Maximiliano pariter ceſſerunt: niſi quod Bohemia tantiſper Georgio Podebradio, ejuſdem regni ſub Vladiſlao poſthumo gubernatori, Pacis ergo permiſſa ſit.

Cùm igitur Iſabella Vladiſlai ſoror, Caſimiro Polonorum Regi nupta, Matthiâ Corvino mortuo, & abſente Maximiliano, ab Hungariæ Proceribus, filium ſuum Vladiſlaum qui Matthiæ viduam duxerat, inaugurari feciſſet; Maximilianus ad arma converſus, Vrbes aliquot Hungariæ, atque in eis Albam Regalem, in qua Reges ex more coronantur, cepit: longiùs ſanè progreſſurus, niſi Ordinum interceſſione, ita utrimque conveniſſet, ut Vladiſlao quidem Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæque Regna permitterentur; ſed Maximiliano jus in ea ſuum cum titulo conſtaret: ideoque ſi contingeret aliquem dehinc Hungariæ Regem, ſine virili ſobole mori; Archidux Auſtriæ in perpetuum heres ejus & ſucceſſor eſſet. Defuncto interim, uti diximus Matthiâ, Maximilianus Viennam, cum reliqua Auſtria recepit.

Ce-

Ceterum publicatæ Paci, quibusdam locis, nonnulli adhuc reluctabantur. Hos inter Brederodius, ab ætate & experientia rerum improvidus, cui Hollandiæ, Zelandiæque Comitatum, non aliter quàm Clivio Flandriam deberi, Philippo verò Austriaco Brabantiam dumtaxat & Burgundiam, Houckiorum inquies persuaserat; semel iterumque congredi ausus & superatus: imò saucius & captus, Dordraci moritur, sepulchro apud Augustinianos illatus.

Heuter.

In Hannonibus quoque, turbas & prædas Nothus Bellemontius facere aggressus; cùm Arcem ejus nominis quam occupaverat, impar defendere haud posset; captus cum suis, capite reatum expiavit.

Prudentior Adrianus Rassegemius, Pacis beneficium, omnibus oblatum, acceptaverat. Cúmque id Clivium, in veteri congerrone vehementer ussisset; rus exeuntem haud procul Gandavo, ex insidiis obtruncari jussit: etsi non desint, qui volunt Clivium Rasseghemio, non tam desertarum partium suarum causâ succensuisse, quàm quòd Maximiliani nuptiis cum Maria faverat, quas Clivius tum ambiebat: ideoque plumbeas iras hâc tandem cæde satiasse.

An. 1491.

Colins.

In Batavis subinde, cùm Montfortij Regulus, vi-

vicinos latrociniis & incursionibus vexaret; obsessus à Saxone in Arce & Oppido suo, ita deditionem pactus est, ut civibus præter vitam, solâ remanente interulâ, milites salvi abirent. Horum pars, cùm ad Maximilianum filiumque Philippum accessisset; ita demum Montfortius gratiam adeptus est, ut si se iterum contra legitimos Principes erigeret, bonis omnibus fisco illatis, multaretur.

Et quoniam Ziricsea, Clivium nuper commeatu juverat, nemine sentiente eódem vela faciens Saxo; viginti florenorum millia imperavit: atque ut deinceps in fide permanerent, erectâ munitione & imposito præsidio, Insulanos coërcuit.

Porrò Nummarius valor, qui præteritis turbis in triplum, & quod superat excreverat, nuper ad pristinum reductus, cùm ei Edicto Brugenses obluctarentur; Præfecto Nassovio occasionem dederant, expetendæ à se super veteri insaniâ vindictæ. Cohortem itaque Prætoriam, quæ Maximiliano absente, & Philippo fidâ civitate clauso, prædas in Hannonia agebat, numerabátque mille quingentos equites, & tria millia peditum, veteranos omnes & longo jam bello exercitatos milites, in Flandriam accersiverat, Pace nuperâ vixdum publicatâ. Hi

Hi Ardenburgi metati, omnia circùm expilabant. Insolentiam pertæsi Brugenses, injussu Nassovij (quod cupiebat) arma contrà ceperant, novo etiam fœdere cum Gandensibus Clivióque inito: qui Picquavetum virum militarem, ausis se movere ducem imposuerat, ut alacriùs iterum bellarent.

Res gesta utrimque gnaviter, nisi Brugenses tandem fames invasisset. Eam dum explere submissis navibus, quas Picquaveto commiserat, Clivius tentat, qui Slusæ tum erat; vigilantiâ Nassovij captæ naves sunt, milites partim aquâ hausti, partim aut reste strangulati aut capti: Picquavetus ipse decollatus.

Ita novam Pacem Brugenses denuò fecerunt, postquàm mensibus pluribus, nequidquàm insanissent. Tantum enim auri pondus, ex dica quam Nassovius scripserat, pendere debuerunt; ut neque à tributo immunes fuerint sellularij opifices, servi & ancillæ: ipse verò Nassovius suum inde Prætorium Bruxellæ exstruxerit, quod ante nuperum quo diminutum est incendium, vix Principum Belgarum Palatio cedebat.

Heuter.

Compositi ergo videbantur Belgarum tumultus, nisi Gallorum æmulatio & inquies, novum ex machina bellum sustulisset. Carolus Adolphi Egmon-

Egmondani filius, pridem in Gallia captus, uti ſuprà memoravimus, Anni hujus æſtate præcipite, à Meurſij Comite redemtus, Gallorum conſiliis auxiliiſque, ad recuperandam Geldriam movit. Illicò Maximiliani Præfecti, quos antè poſuerat excuſſi: novóque auctoramento, fidem Carolo Geldri dederunt.

Anno 1492. Maximilianus, qui tum in Germania erat, & hucuſque viduus; matrimonium cum Anna, Franciſci Britonum Ducis filia & herede, contrahit: cui Arauſionenſis ex more Principum armatus concubuit. Sed uti Maximiliano Geldriam eripi, paullò antè Rex Gallus procuraverat; ita Annam ejúſque Ducatum ſibi præoptans, nimiâ Britonum cum Anglis ſocietatem cauſſatus, Vrbes ejus invaſit: & pòſt diuturnam obſidionem, milite Maximiliani Germano, ad deditionem coëmto, Reneſium Provinciæ caput, atque in eo Ducem Annam occupavit.

Hâc in uxorem ductâ; etſi & Maximilianum fœdè ſupplantaſſet, & Filiam ipſius Margaritam, pridem ſibi publicéque deſponſam, inurbanè rejeciſſet; periit ei tamen hoc facto, omnis actio quam habebat, in Duacum, Inſulas & Orchiacum, idque ex legibus federis Anno 1482. percuſsi: & alienæ Sponſæ præreptio, in poſteritatis

Ca-

Caroli detrimentum vertit, omni ſobole quam ex ea tulerat, mox extinctâ.

Gandenſes intereà ad priſtinas ſeditiones converſi, Clivij inſignia, qui per id tempus firmo præſidio Sluſam, ejuſque geminam Arcē munierat, reſumunt: & Coppenollius iterum ad Opificum Præfecturam evectus; ſuppliciis & ſanguine bonorum civium, qui Pacem, etſi iniquam, Civili bello haud immeritò præferendam exiſtimabant, tyranni perſonam agebat.

Majus fuiſſet periculum, ſi copiis quas tumultuariè ex varia gente collegerant, Teneræmondam aſtu tentatam, occupare Gandenſes potuiſſent. Et quamquàm ſuccedente feliciùs aſtu, Gerardimontem paullò pòſt expugnaverint incenderintque; repentinâ nihilominus victoriâ repente dejecti, ſtragem quam fecerant, novâ ſtrage & amiſsâ prædâ diſſolverunt.

Iam & Coppenollius, dum veterem & ſanguinariam audaciam, novâ avaritiâ & perfidiâ cumulat in ſuos; captus, tortus graviter, reuſque factus capite plectitur, adjuncto Franciſco fratre, atque etiam Paludano quodam, ejuſdem ſeditioſi ſatellitij, ſtrenuo congerrone. Heuter.

In eo ſupplicio obſervatum à Gandenſibus eſt, eâdem horâ, quâ nati aliquando fuerant; denatos

& evitatos, ambos Coppenollios fuisse.

Exinde Pax agitata cum Clivio, inter optimas leges condonato ei homicidio, quod in Rassegemio commiserat: redditáque gratiâ omnibus, qui partes ipsius secuti umquàm fuerant. In hanc Pacem cum optimis, uti dixi, legibus, etsi communes operas, Principes viri, quotquot in Belgio propè aderant, eósque inter Adolphus Clivij Pater, Slusam & ipse profectus adferrent; nihil attamen efficere potuerunt: cùm videlicet Clivius, uti erat animo obstinato, *Præfractè nollet, quidquid horum tumultuum fuerat, sibi vel minimum imputari: qui videlicet se, vitamq; suam, obses Gandensibus datus, periculo pro Maximiliano exposuisset; cunctáque quæ gesserat hactenus, ejus jussu atque imperio fecisset.*

Et quia nihilominus pro hisce benefactis, supra pessimos rumores, quibus existimationem suam lædi caussabatur, Belgicas contra se Ditiones armasset, magno equidem fortunarum & nominis damno; æquum esse contendebat, ut totius Belgij Ordinum consensu factâ Pace, eosq; inter Gandensium, quibus obligasset fidem olim suam; integritati & innocentiæ publicè restitueretur.

Quæ sanè, cùm præter duritiem, superba viderentur; speratam hactenus Pacem everterunt.

Gandenses interim, cùm sublato Coppenollio, aliisque turbinibus ac facibus, pristinorum malo-

malorum tædium hausissent: attritis opibus, quas priùs luculentas habuerant, meliora consilia capere cœperunt.

Ad Archiducem Philippum Mechliniam profecti, ubi tum pariter Saxo, subactis paullò antè Borealibus Hollandis, qui se contra legitimos Præfectos extulerant, versabatur; Pacem impetrarunt hisce primùm legibus: *Vt sicuti Maximilianum Philippi tutorem; ita Philippum Flandriæ Comitem agnoscerent: cui & impensæ bellicæ nomine, statis temporibus, magnam pecuniæ summam numerarent.*

Factâ Pace, cui *Casantia* nomen inditum; bello Clivium aggredi decretum est. Is se Slusæ, uti hactenus continuerat: quam porrò arte & ingenio munitam, tam valido præsidio & commeatu defendebat accedentibus præsertim Oceano suppetiis Gallicis; ut diu frustraturus videretur Belgarum duce Saxone obsidionem, nisi fortuitus ignis, nitratum omnem qui Slusæ erat pulverem, maximo cum fragore consumsisset. Eo enim infortunio magis, quàm Patris Adolphi precibus, (qui aditum in Vrbem flectendi filij causâ obtinuerat) commotus Clivius, Pacem denique fecit.

Conditiones fuere tales, quales Austriaci Heroës pro innata clementia, reconciliatis hostibus, atque etiam rebellibus indulgere solent, utiles aliis, sibi

 dam-

damnoſas. Tanti civium quietem & tranquillitatem faciunt, oderuntque detrimenta bellorum.

Paullò pòſt Atrebatum Galli amiſerunt, aſtu, à Maximiliani ducibus interceptum. Scribit Ferronus, auctorem conjurationis intùs fuiſſe, viliſſimum quemdam fabrum ferrarium, qui ſecundùm mœnia Vrbis habitabat, ac ſolus ibi relictus fuerat, dum Ludovicus XI. vertere ſolum Atrebates coëgit, in Galliamque, veluti Coloniam migrare. Non infitior: dummodò ſua laus & fides aliis, atque in primis Griſardo conſtet, ſponte Atrebatum vel reductis vel revocatis. Hiſtoriam itaque ex vero deſcriptam, Heuterus dabit.

Hiſtor. lib. 1.

L. 4. Rer. Auſtr.

Eodem Anno pulſi Hiſpaniâ, à Ferdinando & Iſabella Arragoniæ & Caſtellæ Regibus Iudæi, tanto numero, ut centum viginti quatuor millia familiarum, inde emigraſſe, Onuphrius ſcribat: alij centum ſeptuaginta.

In Chron.

Idem, olim à Siſebuto Wiſigothorum Rege factum: quo tempore, cùm in Galliam ſeſe recepiſſent, Dagobertus Primus (cui turpe videbatur Franco, à Wiſigothis, ejectos religionis noſtræ hoſtes, finibus ſuis receptos detinere, ſicque Wiſigothis religione cedere) diem Iudæis præſtituit, intra quam, quidquid mortalium, religionem Chriſtianam amplecti nollet; & pro hoſtibus habe-

Æmil.

beretur, & comprehenſum, capite lueret.

Porrò quod Ferdinandus fecerat, idem ſocerum ſecutus in Luſitania præſtitit Rex Emanuel: qui videlicet Iudæis & Mauris omnibus, fidem Chriſtianam profiteri recuſantibus, è Regni finibus excedendi diem pariter dixit: ſecùs agentibus, libertate multatis.

Et quoniam hoc accidit, poſtquàm Conſtantinopolis à Mahumete capta, Græcorumque Imperium funditùs everſum eſſet, adeóque ditio Orientalis tota ferè deſolata; ut rurſus aſſurgeret ac frequentaretur, Legem, Turcarum Imperator tulit, *Quâ libertatem unicuique Religionis ſuæ, ſub annuo tributo permiſit.* Camer.

Commoti hâc immunitate Iudæi, quâ frui apud Chriſtianos non licebat, eò catervatim, cum familiis, rebuſque quas exportare poterant, convolarunt: magnoque Chriſtianæ Reipublicæ damno, attulerunt ad Turcas tum varia artificia, tum perfectiorem uſum machinarum bellicarum rerumque aliarum, quibus hactenus gens iſta Barbara caruerat.

Ex quo ſanè, Imperatorem Turcicum, ſubiit haud levis admiratio Chriſtianæ imprudentiæ, quòd tantam multitudinem, cùm interficere nollent; mancipiorum attamen loco, ad utilia & ido-

idonea ſervitia non adegerint potiùs, ſecuti Horatianum iſtud,

Horat.

Vendere cùm poſſis captivum, occidere noli,
Serviet utiliter;

quàm in perniciem propriam, & hoſtium emolumentum expulerint. Sanè enim ad octies centena millia, migrantium Iudæorum, capita recenſa ſunt.

Detexit & hoc Anno (centeſimo nimirum & primo, poſtquam Inſulæ Fortunatæ adiri cœperant) novum Orbem, ſive Indiam Occidentalem, Ferdinandi Catholici auſpiciis, & cum veteris Orbis admiratione Chriſtophorus Columbus Genuenſis: quod aliquando futurum, Seneca præſagiſſe videtur, ante mille quadringentos annos, hiſce verſibus in Medea:

Seneca.

Venient annis ſæcula ſeris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Tiphyſq; novos detegat orbes,
Nec ſit terris ultima Thule.

Eâdem enim tempeſtate Hollandi Zelandíque, qui navibus plerumque Angliam Scotiámque dumtaxat attigerant; in Occidentem pariter & Septemtrionem latè evagati, poſt ſe ultimâ Thule relictâ, novas adière terras: unde

mox

mox adeo ditati sunt frequentiâ commerciorum, ut Oppida sua, lutea nuper & lateritia, sine vallo mœnibusque, aurea propè ferreáque reddiderint: neque aliter Anglorum invidiam hoc nomine subierint, atque Hispani Francorum, Indiarum opibus ditati.

Postremò Ferdinandus ipse, Granatam Vrbem totumque Granatæ Regnum, incredibili felicitate, à Maurorum nuper crudelitate liberavit, & cum Castella conjunxit: quo circiter tempore Sanctæ Crucis Titulus, à Petro Mendozio Cardinali repertus: & subindè Sacræ Inquisitionis Officium institutum. Ob eas res Ferdinando Regi, ab Innocentio Octavo *Catholici* nomen datum: quod jam pridem duobus Hispaniæ Regibus, Recaredo & Alfonso, Ecclesia attribuerat, & posteris sollemne permanet. Onuph.

Rediturae interim Belgarum felicitati, sola obstabat formido longi funestíque belli: quod ideo atrocius videbatur futurum, quòd ejus caussa nihilo minus opprobrij conjunctum haberet: Annæ videlicet Britonum Ducis & Maximiliani conjugis raptus. Implacabilis esse poterat, omnémque Pacis mentionem aspernari Maximilianus, nisi filiæ Margaritæ, adhuc in potestate Gallorum constitutæ, animum subeunte curâ,

paternus affectus admissum jam vindictæ impetum, ad mitiora consilia detorsisset.

An. 1493. Igitur de Pace actum, quæ Silvanecti decimatertiâ Maij in certas leges convênit: Valencenis primùm, & Silvanecti deinde publicatas. Exstant apud Pontum Heuterum, uti & aliæ præteritorum Federum. Heuter.

Factâ promulgatione, deducta est Margarita, jam tredecim annos nata, per Regis Franciæ Legatos ad fanum S. Quintini, inde Cameracum & Valencenas, ac deniqúe Mechliniam ad fratrem suum Philippum, & Margaritam Eboracensem Caroli Audacis viduam, Philippi educatricem.

Exauctoratus itaque miles, in Geldriam repentè traductus est, ubi Dux Carolus, bellum Gallorum nuper auspiciis adortus; nondum præteritâ Pace conquiescebat.

LIBER OCTAVVS.

BREVIARIVM.

MAXIMILIANVS Patri Frederico Tertio, succedit in Imperio. Fredericus, Longævus dictus. Ejus Symbolum A. E. I. O. V. Maximilianus uxorem ducit, Blancam Mariam, Galeatij Mediolanensis filiam, ob venustatem potiùs, quàm opulentam dotem: quæ tandem Mariæ Burgundicæ instar equo lapsa, obiit. Sententia perduellionis in Clivium, Antuerpiæ revocata. Creveceurij mors, dum

dum Caroli Regis expeditionem Neapolitanam ſequitur. Hujus Expeditionis cauſſa: & ante eam, tranſactio cum Ferdinando Arragonio; ſuper Ruſcinone. Caroli in Italiam adventu (qui Florentinorum & Piſanorum Rempublicam immutat) Alphonſus territus, Regnum Neapolitanum, in Ferdinandum filium transfert: qui & ipſe metu Francorum fugiens, apertum ſolium Gallis relinquit. Maximilianus, Philippum filium emancipat, & Maternis Ditionibus, inaugurari jubet: quo tempore Clivius, utrique licet reconciliatus, Belgio valedicit. Breviſſimo tempore, uti Regnum Neapolitanum Galli invadunt; ita brevi tempore eodem potiti, ob inertiam & inſolentiam, cùm in eos, Italiæ Principes, inito fœdere conſpiraſſent, excedunt. Philippus intereà Archidux, Belgium ordinat: & Maximilianus Ludovicum Sfortiam, Ducem Mediolanenſem creat. Philippi & Margaritæ Auſtriacorum, cum Ioanna & Ioanne Arragoniis, connubia. Caroli Regis, è Neapoli per Italiam reditus, validus tum quidem & felix, ſed amiſsâ mox Neapoli, infelix. Hieronymus Savanarola.

EODEM Anno, defuncti apud Lintzium tertio Calendas Septembris Frederici III. Imperatoris, ex aſſe heres evaſit Maximilianus, eidémque in Imperio ſucceſſor. Id enim jam tum receptum erat, ut electus in Regem Romanorum, qui nudus dumtaxat eſt titulus, etiam futurus Imperator aut Cæſar diceretur, ſtatimque ab Imperatoris morte, ei in Imperio ſuccederet. Videnda Aurea Bulla Caroli IV. Artic. 2.

Ceterum nemo mitiùs Romanum Imperium Frederico tenuit, nemo diutiùs; ut ab annis quinquaginta tribus, menſibus quatuor & diebus totidem, quibus præfuit: & annis ſeptuaginta ſeptem, menſibus undecim diebus tribus, quibus vixit; non immeritò Longævus ſit dictus: quemadmo-

dum & à bonitate, Pacificus.

Inter Heroica Symbola, hoc veluti fatidico delectabatur A. E. I. O. V. AVSTRIA ERIT IN ORBE VLTIMA: quæ videlicet octavum ab eo hodie, non interruptâ stirpe & serie, Orbi Christiano Imperatorem dedit.

Iam & è filio Philippo, Maximilianus Nepotes duos, Imperatores habuit: Reginas, Neptes quatuor; harum unam Daniæ videlicet, priusquàm moreretur, prole fecundam: ut & alterum interpretamentum Vocalium fatidicarum Frederici locum habuerit: AVSTRIA EXTENDETVR IN ORBEM VNIVERSVM: cùm hi omnes, populos omnes Christianos, in suam ditionem redegerint.

Ad coërcendam militarem licentiam, Fredericus, de sententia Ordinum Imperij, legem aliquando tulit Francofurti: *Ne Villicos, impedirent milites, ex agris atq; vineis, fructus natos carpere sine metu: & in villas, atq; domos suas convehere. Ne milites igni vastarent villas & regiones: neve Clericos, mulieres gravidas, & homines morbis gravibus affectos: Peregrinos, Mercatores & Aurigas, si qui merces deportarent, læderent. Neve Templa & Ecclesias violarent, atq; diriperent; & res earum sacras ad se transferrent.* Quæ Lex, utinam eâ constantiâ servaretur, quâ pietate lata est.

Proxi-

Proximo Anno Imperator Maximilianus, Turcis, qui in Croatiam irruperant, fugatis, Oeniponte uxorem duxit, Mariam cognomento Blancham, Galeatij Mediolanensis filiam, Ioannis sororem, quem Ludovicus patruus, Mediolano dejecit.

Anno 1494.

Hanc, sibi copulasse ob formæ venustatem, & mirificam totius corporis animique elegantiam, magis credidero, quàm quod alij dixêre ob luculentam dotem Quadringentorum millium Aureorum; cùm propter continua bella, & immensam liberalitatem, vix pecuniâ Maximilianus abundaret.

Heuter.

Exstat Iasonis Maynij Oratio habita ad Cæsarem, in hisce nuptiis: quibus non ultra biennium gavisus, eodem inter venandum infortunio, quo primam, secundam, sed absque editâ prole, conjugem amisit, ut testatur Epitaphium:

Tom. 2. Freh.

Inclytus à propria cùm sede Maritus abesset,
Imperij rebus non sine laude vacans;
Finitimis & bella movens; Ego plena pericli,
Prægrandi infelix corpore labor equo.

And. Rosett.

Cæsaris exinde jussu, revocata Antuerpiæ est, perduellionis in Clivium lata antè à Frederico sententia: ipseque, pristinis juribus & honoribus restitutus.

Obiit & Philippus Creveceurius, Esquardij Toparcha, Carolum Regem comitatus, longinqua bella sectantem, ad recuperandum Neapolitanum Regnum, quod ab Renato Andegavensium Duce, Ludovici Tertij fratre, in nepotem Carolum, ab eo in Ludovicum XI. translatum, Ferdinandus habebat, Alphonsi Magni filius nothus, Alphonsi pater alterius, cujus gener erat Ioannes Galeatius, quem sub tutelæ obtentu, Ludovicus patruus, principatu exuerat. Ægrè id scilicet Alphonsus ferebat, ac pro genero parabat bellum.

Hoc, ut Ludovicus averteret Carolum Regem, spe Apuliæ potiundæ, in Italiam excivit. Favebat nimirum Iuris species, quòd extinctâ Andegavensium familiâ, ultimi ex ea stirpe Regis, per Ludovicum uti dixi, heres esset. Incitabant & Neapolitani exules, odiúmque Alphonsi, nihilo gratioris Italis, quàm Ferdinandus fuerat, cujus facinora sequebatur.

Carolus itaque, ut hostile nihil, Belgicâ Pace compositâ à tergo relinqueret, (jam enim Maximilianus exuerat offensam, quam ex intercepta Britannica Sponsa, conceperat) de Ruscinone & Perpiniano, quæ Ioannes Arragonius Ludovico XI. oppigneraverat, cum Ferdinando Castellæ

& Ar-

& Arragoniæ Rege, transegit: ac superatis hoc Anno Alpibus, in Italiam descendit.

Hanc, cùm repentino terrore complesset, dedentibus se Florentinis, qui Petrum Mediceum fugarant, eorúmque, uti & Pisanorum, mutatâ Republicâ, expeditum per Tusciam Romam usque, & Neapolin deinceps, iter habuit.

Caroli adventu, perterrefactus Alphonsus, paullò anteà mortuo Ferdinando Patre Rex, in Siciliam trajecit: ac Regno se abdicans, id Ferdinando filio reliquit. Iovianus Pontanus abdicationis formulam conscripserat. Guicciar.

Ferdinandus metu Francorum, in Ischiam Insulam sese recepit, & vacuam eis aulam, apertúmque Solium præbuit. Diceres Dei nutu, adultos Reges & senes, per adolescentem castigari.

Intereà Maximilianus in Belgas, unde sexennio propè abfuerat, cùm conjuge Maria venit: commissáque arbitris de Geldriæ Ducatu controversiâ; Philippum filium decimum-septimum ætatis annum agentem emancipat, festisque cærimoniis per Vrbes & Provincias inauguratum, Maternis Ditionibus imponit.

Hâc occasione Clivius, cujus pater Adolphus, per Slusanam nuper obsidionem obierat, Philippo clientelare sacramentum, de bonis eam servi-

tutem debentibus Lovanij dixit, postquàm ad alloquium Maximiliani admissus; præteritorum quæ protervè gesserat, veniam petens; magis eam sincerè quàm rogaverat, à magnanimo Imperatore tulisset. Ipse enim minùs de Maximiliano securus, paullò pòst ad Ludovicum Francorum Regem se contulit; & ab eo Genuæ præfectus: ac pulsis inde Francis reversus in Franciam; nihil laude dignum gessit, hoc unum si excipias, quod Commentarium post se reliquit. *De bello terrâ mariq; gerendo*, typis editum non uno loco, cùm aliquin ingloriùs ipse, absque munere & liberis posteà obierit.

Atrebati. Parisiis.

An. 1495. Ceterùm dies haud totos quindecim, Neapolitanum regnum Francos occupatos habuit. Postquàm enim Capua & Nola, captis Præfectis Vrsino & Petiliano cessissent; omnia repentè ad Francos inclinarunt. Ipsa Vrbs Regni caput, nemine obsistere auso, imò incredibili levissimi populi, & in omnem dominatorem facilis & proni, plausu & affectu, Carolum intra portas admisit, ad octavum Kalendas Martij. Validas Arces, Germani duces ad custodiam deputati, pretio prodiderunt. Pauca in Brutiis Oppida, quæ in fide remanserant, cùm nulla ab Ferdinando Rege, qui ab Insula Ænaria spectator erat & testis ignomi-

miniæ, auxilia sperarentur; fortunam victoris secuta sunt.

Nulla umquàm major rerum conversio, in tam exiguo tempore visa: Turcis ipsis in Epiro & Macedonia consternatis, ubi in maritimis Calabrorum & Salentinorum urbibus, Gallica arma & vexilla conspexerunt.

Vt enim majoribus viribus, & communi Christiani orbis voto Galli niterentur; transmarinæ expeditionis famam, ac religionis caussam, consiliis suis adjunxerant: adeò ut montani Epirotæ, qui Chimæram in Acroceraunijs incolunt, quòd anteà dum rupibus confisi suis, libertatem obstinatè tuerentur, à Mahumete & Baiazethe, non unam cladem accepissent; ejusdem recuperandæ spe erecti, equos, arma, commeatus expedirent: deque recipiendis Gallis & trucidandis Turcis, uno edicto consulerent.

Idem totâ Ætoliâ & Peloponeso factum, ubi libertatis desiderio Græci, à Baiazethe descivérunt: Caroloque per amicos gratulantes, nuntiarunt, *Nihil sibi reliquum ad defectionem exequendam, præter occasionem deesse.*

Ipse Alexander Pontifex, Caroli fidem & promissum tenens, de educendis in Turcam copiis, mox ubi recepta Neapolis foret; Imperij cum Con-

Belcar.

Til.

Constantinopolitani titulo ornavit.

Iam quippe præterito anno, die Septembris sextâ, Andreas Palæologus Despotes, nepos & heres Ioannis & Constantini Palæologorum, Orientis ultimorum Imperatorum, jus omne quod habebat, in Carolum, vivus videnſque transtulerat: ipseque Carolus Vrbe discedens, Turcarum Imperatoris fratrem Zizimum, secum eduxerat, ut Regno potitus, ejus operâ contra Turcas uteretur, nisi mox Capuæ, magno Christianorum damno, ex dysenteria periisset.

Spond.

Onuph.

Et licet in Peloponesum Carolus Archiepiscopum Dyrrachij miserit: isque multos ibi repererit novarum rerum cupidos, hósque inter propinquos Constantini Marchionis Montisferratensis, & alios illustri loco natos, per quos, cùm Gallica arma certatim inclamarent, facile erat contra communem hostem aliquid moliri; attamen quid in expeditione Italica, destinatum habuisset, reápse monstravit.

Conviviis enim, spectaculis, aliisque Vrbis Neapolitanæ deliciis fruebatur: cùm non deessent Proceres, qui Andegavensium olim secuti partes, nullo profusæ hospitalitatis vel adulationis officio prætermisso, juveni Regi, tamquam alteri Carolo Magno mox futuro, victoriâ gratularentur.

Bzov.

Mi-

Milites Gallos & Germanos, vini præstantia, & feminarum comitas enervavit. Mox secuta ex corporum contactu, feda scabies, & in vulgo crebræ mortes: morbum Gallicum dixêre Itali, Galli Neapolitanum, Afri Hispanicum, incertâ origine mali. Sunt qui ab India, ubi Gaiaco, aliisque desiccantibus, haud difficilè curetur, à militibus Columbi allatum scribant: qui id Neapolitanis mulieribus infuderint, hæ, Gallis affricuerint.

Renod.

Eâ itaque vitæ licentiâ, tum Rex tum duces ac milites, omnes penitùs transmarini belli cogitationes abjecerunt.

Iam & deliciarum studio evênit, ut nonnulla Regni loca ad se traducere Galli neglexerint, quæ Arragoniorum nomine eátenus tenebantur. Inde existimatio eorum, elanguit. Etsi enim populis ac civitatibus, benignum sese, atque in concedendis privilegiis & immunitatibus prolixum Carolus exhiberet; non tamen omnia Regni negotia moderabatur, eâ quâ par erat prudentiâ & ordine.

A querimoniis & postulatis hominum audiendis alienus, momenta negotiorum transfuderat in suos: qui partim imperitiâ, partim avaritiâ, omnia corruperunt.

Nobiles, neque humanitate, neque præmiis deliniti: præsertim qui suápte indole ab Arragoniis aversi, & ob id seniori Ferdinando invisi, bonis olim suis depulsi fuerant. Omnia perinde totius ferè Regni munia, Magistratus, fortunæque multorum, Gallis attributæ. Atque hinc Civium dolor & gemitus, qui cùm nemini anteà quàm Regi paruissent; Gallos plerumque dominos habebant. Neque id solum; sed arrogantiâ & fastu magis, quàm victoriæ felicitate inflatos.

Bzou.

Adde in capiendis hospitiis, impetum atque insolentiam, tam Neapoli quàm aliis Regni partibus, in quas milites erant distributi: qui ubique suos hospites, malè multabant.

Gallorum itaque desiderium, quo cuncti paullò antè flagraverant, in maximum odium repentè mutatum est: & Arragonum res gestæ, quæ displicuerant, pro virtutibus laudatæ. Ea mortalium inconstantia est, sed in primis populi Neapolitani, uti nuper vidimus, rebus innovandis, præ reliqua Italia, addicti.

Sed erant graviora præteritis, quæque aliud quàm vel repetendi Regni veteris, vel in Turcas eundi studium arguebant. Asta præsidio firmata: Ludovicus Aurelianensis interceptâ Novariâ, ad omnem ditionem Mediolanensem occupandam

ex-

excubans: Caroli classis ad Genuam subigendam parata: consilium invadendi Siciliam auctore Principe Salernitano, nomini Arragonio maximè infenso: nihil denique quod vel Pontifici, vel Sfortiæ, aliisque promissum erat, præstitum; monstrum aliquot cupiditatis Francicæ, in interiore Gallia ali, non obscurè prodebant.

Quid igitur? *Aliorum detrimenta, propria esse pericula Principes duxerunt*: & fœdere inter se Pontifex, Imperator, Ferdinandus Hispanus, Ludovicus Sfortia, Venetique confecto; expendere cœperunt quanti momenti res foret, si diu in Italia Galli veterascerent.

Id ubi Carolus accepit; ne copiarum numero quæ cogebantur, reditus ei in Galliam precluderetur (neque enim anteà potentior ulla societas coaluerat) expeditionis vestigia relegere, sed in primis ad abstrahendum à fœdere, aut deterrendum Pontificem, tentatis frustrà omnibus, statuit.

Placuit tamen legitimis anteà cærimoniis & pompâ, more etiam pristinorum Regum, quod eatenùs factum haud fuerat, Regno Neapolitano, publicè in Ecclesia inaugurari.

Quod, dum fit; altiùs adhuc sese Carolus extulit, sive jure, fretus, quod ab Andrea Despote

 obti-

obtinuerat, uti anteà dixi: sive animis Gallicis, fastúque sublatus. Etenim duodecimâ Maij, utriúsque Regni, Gallici & Neapolitani Primoribus & Nobilitate stipatus, Vrbem ingreditur, dexterâ Imperij globum, sinistrâ Sceptrum, humerísque Paludamentum gestans, Cæsaris deníque Augusti titulo, quem mox Romæ, veluti loco maximè legitimo, erectis tribunalibus, fontibúsque diversimodè plexis exercuit: nec non Francici Regis, Siculi & Hierosolymitani, appellatus.

Supplem. Monstrelet.

In ea panegyri, nomine totius populi verba fecit Ioannes Iovianus Pontanus, non absque existimationis suæ labe. Pridem enim Regum ex Arragoniis Scriba princeps, atque à secretis: imò etiam Alphonsi in litteris Præceptor fuerat. Quapropter decorum parùm, decénsque videbatur, hominem doctum, & Arragoniæ domui tot nominibus obstrictum, in gratiam recentium Gallorum, ad explendum Oratoris munus, in eorum Regum vituperationem inferri, à quibus tantis erat honoribus affectus. Animum, quem scribendo excoluerat, fortunâ mutavit.

Atqui Carolus vigesimâ die Maij discessit, tribus mensibus postquàm Neapolin appulerat.

Dum hæc in Italia aguntur, Philippus Archidux

dux Ordines Belgarum Mechliniam contraxit, è quorum consilio Rempublicam, civilibus hactenus seditionibus & bellis laxatam luxatámque restaurat, uti maximè tum Principi, tum populo convenire videbatur.

Heuter.

Sed & Maximilianus Comitiis Wormatiæ habitis, Ludovicum Sfortiam, federis Italici socium, post Ioannis Galeatij mortem, quem lento toxico sustulisse Ludovicus ferebatur, Ducem Mediolanensem, edito diplomate renuntiavit.

At Belgio priusquàm Maximilianus excederet, Filio Philippo & Margaritæ filiæ, quod per Legatos anteà connubium procurarat, asseruit: illi cum Ioanna, huic cum Ioanne, Regum Castellæ & Arragoniæ filia, & filio unico. Contractum utrumque est, Maximiliano præsente, Liberísque nomine & personâ propriâ intervenientibus: pro Ioanna verò & Ioanne, agente Francisco de Rojas, Ferdinandi & Elisabethæ, nec non Ioannis & Ioannæ legitimo procuratore: coram Henrico Bergio Episcopo Cameracense.

Vred.

Româ Vrbem-veterem, atque inde Perusiam Alexander Pontifex concesserat, cùm istuc Carolus Neapoli advenit: ad quem etsi misisset, qui ad colloquium eum allicerent, id obtinere nihilominus haud potuit. Altè reposuerat Pontifex,

Ferron.

vim ſibi nuper Romæ tantúmnon factam: imò decretam adeo Simoniæ quæſtionem, quâ Pontificatum eſſet adeptus; ut de eo abdicando conſilia haberentur, & alia pleráque: ob quæ iniquis legibus, Pacem cum Carolo ſtatuere coactus ſit.

Româ Senas, Carolus adductus, expugnatis aliquot Oppidis, quæ in gratiam Pontificis Gallos aditu prohibere nitebantur; Cominæi litteris, qui apud Venetos Legatum agebat, redditus certior eſt, de federatorum numeris.

Habito conſilio, Piſas inde applicuit: quibus, cùm quam nuper Florentinis indignantibus, libertatem indulſerat, confirmaſſet; ultrà profectus pervênit ad vicum Foronovanum. Ibi commiſſo haud procul Parmâ prælio, pridie Nonas Iulij, ab exigua Francorum manu (ſeptem vel octo millia fuiſſe produntur) ſed optimâ fortunâ, perrupta ſunt hoſtium, maximè Venetorum, millia quadraginta.

Hanc Italiæ cladem adventúmque Caroli, imò & reditum ad ſuos, tametſi difficilem, non ſemel prædixiſſe dicitur Hieronymus Savanarola Dominicanus, celebris, ac Florentinis mirificè gratus Orator.

Comin.

Idem, ſed fruſtrâ, conatus fuit inducere Carolum, ut quæ Oppida anteà Florentinis abſtulerat,

restitueret, quæque tantâ religione, manibus videlicet Euangelij Codice contacto promiserat, servaret: brevi alioquin Deo vindici, gravissimas pœnas daturum. Guicciar.

At variè pro inconstantia sua, Carolus Hieronymo respondit: nunc se satisfacturum Florentinis, ubi Pisas venisset, pollicitus: nunc datam fidem retorquens, priusquàm Florentiæ jurasset, promisisse Pisanis suam ipsis libertatem se servaturum caussatus: aliáque perplexa: donec illusis Florentinis, per Venetorum exercitum, uti dixi, evadens, sed Astâ, Novariáque amissis, (unde nihilominus Ludovicum Aurelianensem, qui à Sfortia circumsessus, in summas angustias venerat, recepit) victo quàm victori similior, prædâ omni atque impedimentis exutus, aditóque non semel vitæ periculo, sub finem Octobris in Galliam rediit, evanescentibus mox omnibus, quæ animo agitaverat, & perditis, quæ vicerat.

Carolo etenim vix digresso, Neapolitani, ac reliqui omnes, ad Ferdinandum rediêre, cùm videlicet decreta subsidia non mitterentur: Alexander autem Pontifex & Ferdinandus Hispanus, eò destinatis, tum idoneis viribus, tum præclaris Imperatoribus eósque inter Magno Consalvo, depellendis Gallis strenuè insisterent. Fame enim do-

Ritius. domitâ Atellâ (hodie Aversâ) & mortuo denique Gilberto Borbonio Mompenſerij Duce Regni Præfecto, paullò pòſt omnes excesſêre: *Nullâ re* InChron. *è Neapoli, præter ſcabiem retentâ*, ut Maſſæus ait.

LIBER NONVS.

BREVIARIVM.

PHILIPPVS Archidux, miſſis Legatis ad Carolum Regem, per quos Pacem Silvanectenſem, ſervari poſtulabat; iter in Germaniam, ad Patrem Imperatorem ingreditur. Eum, poſtquam Viennæ convênit, in Belgium reductus, Ioannam Arragoniam, feſtis ſibi nuptiis copulat, Liræ Brabantiæ Oppido: è quo connubio, duo Imperatores prodierunt; & Reginæ quatuor. Mortuo Ferdinando Rege Neapolitano, abſque prole; ſuccedit patruus Fredericus: habuitque Neapolis, intra triennium, quinque Reges. Fredericum regnaturum, viginti anteà annis, prædixit Angelus Catthus. Margarita Auſtriaca, Zelandiâ in Hiſpaniam ſolvens, fedâ tempeſtate, dum mortis periculum adit; lepidum ſibi Epitaphium ſcribit. In Hiſpaniam demum appulſa; nubit Ioanni Arragonio: qui eodem anno defunctus, tam lætos hymenæos, luctu & mœrore confudit. Principatus itaque Hiſpaniæ, per Ioannam ad Philippum pervenit. Philippo Archiduci, Burgundiæ Ducatum, juxta pacta conventa repetenti; frigidè Carolus reſpondet: qui iteratam expeditionem Neapolitanam moliens, ſubitò paralyſi tactus, obiit apud Amboſiam: & poſtridie Hieronymus Savanarola. Carolo ſuccedit, Ludovicus Aurelianenſis, Pater populi dictus. Ejus animi magnitudo, probata. Maximiliani in Burgundiam expeditio, ab Helvetiis ſufflaminata, atque à Carolo Egmondano, per Geldricum bellum, à Gallis reaccenſum. Ioanna Arragonia, Lovanij Eleonoram parit. Ludovicus Rex, Ioannam Francicam repudiat, & Annam Britannicam ducit: quâ ſuper re corripitur à Ioanne Standoncp Mechlinienſe. Ioanna repudiata, Ordinem Virginum fundat, in honorem Annuntiationis Deiparæ: & Academiam Bituricenſem reſtaurat. Maximilianus & Philippus, Alberto Saxoni, in militiæ laborumque ſtipendium & præmium, utramque Friſiam, certis legibus donant.

AD

AD Carolum in Galliam reversum, postquàm Philippus Archidux Legatos misisset, qui Pacem Silvanectensem servari postularent: idque, non solùm se facturum Carolus respondisset; sed & ipse mox vicissim per Legatos, restitui sibi petiisset Mortaniam Hannoniæ Oppidum, si juxta dictæ Pacis formulam, Archidux ante tempus recipere Aëriam, Hesdinium ac Bethuniam vellet; iter in Germaniam, quò à Maximiliano Patre evocatus erat, ingressus est.

Heut.

An. 1496.

Mosæ-Trajecti Avem ligneam (quando id inter festa lætáque Principum exercitia haberi solet) Civium collegio immistus, è summa pertica jaculando dejecit. Inde per Coloniam Agrippinam, in Ferrettanos profectus, eâ Ditione inauguratus, postquàm magnis ubique honoribus esset excultus, Viennam ad Cæsarem secundo Kalendas Iulij venit.

Pluribus ibi diebus, & secretis sermonibus, cum Maximiliano egit, *De asserenda Geldria, quam nuper pactis aliquot mensium induciis, Carolo Duci permiserat, Patre haud probante: De recuperandis Ditionibus, quas Burgundicæ familiæ, per summam injuriam, Franci eripuerant: De recipienda deniq; Sponsa, quæ nunc instructis per Oceanum navibus, vela in Belgium faciebat.*

 His

His itaque peractis, vix in Belgium redierat, cùm Sponſam intereà appulſam, Liræ Brabantiæ Oppido excipit, feſtóque ſibi connubio jungit, duodecimo Kalendas Novembris: quod pompâ deinde majore Bruxellæ inſtauratum eſt.

Vti verò Philippus, omnibus animi corporíſque dotibus ornatiſſimus erat, ut ei propterea *Pulchri* cognomentum, ætas illa meritò dederit; ita & Ioanna, adeo formosâ facie, venuſtóque corpore fuit, ut qui eam conſpicarentur, verè dignam Imperio judicarent.

Fanius.

Neque defuit animi cultura. Abſque laudibus enim & admiratione haud refertur, Ioannam ex tempore Latinis Orationibus, quæ de more apud novos Principes habentur Oppidatim, Latinè reſpondiſſe: quod & aliæ tres ejus ſorores, quarum duæ Elizabetha & Maria, Emmanueli Regi Portugalliæ nupſerunt, Catharina Henrico Angliæ, adeo facere poterant; ut quatuor hiſce ſororibus, nullâ hominum memoriâ, mulieres eruditione majore & ſinceriore pudicitiâ, nullæ populis ſuis gratiores, neque amabiliores Reginæ extiterint.

Vives.

Materna videlicet Elizabethæ veſtigia premebant, quam delectatam ſemper conſtat (neſcio quâ inclinatione animi) ipſo Latinæ linguæ pronuntiatu & ſono, nihil ut libentiùs audiret. Et

mox

mox respirans paullisper à gravissimis curis & bellis (revera enim particeps & thori & sceptri erat) respirans, inquam, statim se ad Grammaticum demisit, eique annum ita assiduam operam dedit, ut Latina non solum capere, sed vertere ipsa in suum sermonem posset. Sacris etiam & Divinis officiis cùm interesset, lapsantes, aut vel in syllaba peccantes Sacrificos advertebat, sed & sæpe admonebat. Lipf.

Ex his perinde Conjugibus, Philippo & Ioanna, nati sunt Imperatores duo, Carolus & Ferdinandus: Reginæ quatuor, Isabella, Leonora, Maria & Catharina: etsi ad duodetrigesimum annum, Philippus obierit, Hispaniæ, per uxorem, Rex.

Ad diem septimum Octobris Anni ejusdem, obiit Ferdinandus Rex Neapolis: gloriæ suæ & felicitati ab ejectis Gallis, assertóque Regno, exiguo tempore superstes. Cùm ex conjuge, quam tum primùm duxerat, nullam prolem suscepisset; Fredericum patruum successorem habuit: adeóque Neapolitani Regni solium, raro & inaudito fortassis exemplo, biennij spatio, à quinque Regibus insessum fuit, Ferdinando videlicet seniore: Alphonso: hujus filio Ferdinando: Carolo Gallo, & Frederico, cui Valentinus Cardinalis à Ponti-

fice Alexandro Neapolin missus, Diadema imposuit.

Memorabile in primis est, quod Cominæus refert, Frederico, dum propè adolescens in Gallia educaretur; Angelum Catthum Ludovici XI. Regis Astrologum, prædixisse, *Regno Neapolitano aliquando potiturum*: viginti nimirùm annis, priusquàm eveniret. Deinde cùm Ferdinandus Amitam nuper suam, sibi Matrimonio copulasset, è cujus intemperantia morbum contraxerat; dicat idem Cominæus: *Horrere sibi animum ejuscemodi Matrimonia referenti, notantique haud pauca, Ferdinandi majoribus contracta.*

Comin.

An. 1497.

Classis navium quinque supra triginta, quæ expositâ in Belgio Ioannâ, Margaritam in Zelandia præstolabatur, ad Sponsum Ioannem transmittendam; eadem, post anni sequentis initium, Margaritam accepit: deducente Philippo Archiduce, & Middelburgi obhærente, donec flante vento, è portu solvisset.

Provectas in altum naves, imò Angliam in conspectu habentes, tam feda tempestas excepit; ut in summum capitis discrimen, vectores omnes adducerentur. Dum itaque, præter certissimum naufragium, nihil expectatur; fertur generosa Heroina, insigni virilis constantiæ indicio, hoc

sibi

ſibi interim, lepidiſſimo acutiſſimóque diſticho, Epitaphium Gallicè luſiſſe:

Cy giſt Margole noble Damoiſelle,
Deux fois mariée, & morte Pucelle.

id eſt:

Hîc Margarita conditur,
Domicella nobilis:
Quæ bis Marito tradita,
Et Virgo mortua eſt.

Superatis difficultatibus, cùm in Hiſpaniam appuliſſet, à Rege & Regina Burgos deducta, Hiſpaniarum Principi Ioanni, dubium, majori ſplendore, an omnium popularium congratulatione, nupſit.

Verùm, quæ eſt rerum etiam Regiarum miſera conditio! Ioanne, eodem nuptiarum anno, vivis erepto, tam lætos hymenæos, funus longè mœſtiſſimum ſecutum eſt. Neque hic ſtetit infortunium.

Sed adhæc Margarita, jam tum imprægnatâ, ex animi dolore fetum maſculinum, immaturo partu enixa; alterum toti Hiſpaniæ gemitum, ex novo luctu expreſſit: gemini Principis jacturam, ad unius caſus invidiam exaggeranti.

Defuncto itáque Ioanne, ejúſque ſemine in herba, quod aiunt, intercepto: defunctâ pariter

 Eli-

Elisabethâ, Emmanuelis Lusitani conjuge, filióque ipsius Michaële; Hispaniæ Principatus, ad Ioannam, Ferdinandi & Elizabethæ, majorem natu filiam superstitem, Philippi uxorem devênit.

Osor. Eodem navigandi studio, quo Christophorus Columbus nuper incensus, hoc Anno Vascus Gama Lusitanus, Emmanuelis jussu, septimo Idus Iulias, profectus in Orientem; Anno sequente 13. Kalend. Iunias Calechutum appulit: Indicísque commerciis, ac Lusitanorum ad ea navigationibus, iter ostendit.

Per Legatum Lanoyum Molembaisij Toparcham, rogatus Rex Carolus, de restituenda, juxta nuperæ Pacis articulos, Philippo Burgundia, aliísque Ditionibus atque Vrbibus, quas Ludovicus XI. Mariæ Burgundicæ post Patris obitum, eripuerat; ita demum respondit, ut citra vim & arma, nihil se præstiturum ostenderet.

Ferron. Cùm autem repetendæ Neapolis, nova consilia federáque iniret, Florentinis adjunctis, & Alexandro Pontifice ad partes vocato, imò & Venetorum accessurorum spe: jámque Carolus, qui quâ parte erraverat, secundâ, ut aiebat, profectione, correcturus errorem erat: alia deinde plura, ad Regni utilitatem facturus: & præsertim

quia

quia sæpè circumventus ab Aulicis, qui pecuniam inde extorquebant, *Ad Senatorium gradum neminem admissurus, qui non ab ipso Senatu, nominatus lectusq; esset*, apud Ambosiam in Arce, quam conquisitis undique Architectis sollertibus, ædificabat, morte sublatus est.

Septimo quippe Idus Aprilis, ex cubiculo uxoris prodiens, unáque cum ea pilâ ludentes de ambulacro prospectans, mox aversus corruit: atque in vicinum cubiculum, quo nullum toto Castro sordidius erat, delatus: ubi neque thorus, neque culcitra erat, at palearium dumtaxat, sordidis linteis stratum: ab hora diei post meridiem secunda, ad noctis undecimam jacens, exspiravit: annum agens vigesimum-octavum, Regni decimum-quartum: nulláque ex conjuge prole relictâ.

An. 1498.

Postridie mortis Caroli, Hieronymus Savanarola, extremum quoque supplicium apud suos luit, ob contumaciam & seditiosas Conciones.

Defuncto Regi, Ludovicus successit, Dux Aurelianensis, Caroli filius, quem Anglicâ captivitate Philippus Burgundus redemit, & Ludovici nepos, quem Ioannes Intrepidus, vitæ suæ insidiantem occidi jussit, uti anteà meminimus.

Is quinto Kalendas Iunij, Remis inunctus est: tan-

tantóque deinceps in honore & æstimio, ob prudentiam animíque moderationem habitus à Gallis; ut & *Populi Pater* sit dictus, & nulli cujuscúmque stirpis præcedentium Regum postponendus, uti Commentario de Vita ipsius & gestis, executus est Claudius Seysellius.

Seyss.

Tantâ sanè aditi Regni initio, animi magnitudine fuit, ût quamquàm à Carolo, cui nulla proles diu vitalis extitit, veluti propinquus heres, & ob id mortis suæ avidus, magis quàm par erat, pressus; publicè edixerit: *Habitúrum se eosdem Consiliarios cum defuncto Rege, ministros, stipatores, eodemq; honore & salario.*

Lipsius.

Iam & eorum unus, qui constantes anteà, cùm adhuc Aurelianorum Dux esset, in ipsius cultu & obsequio remanserant; magnâ Regem fiduciâ accedens, cùm bona civis cujusdam Aurelianensis, qui tristi illo tempore, inter acerrimos Ludovici hostes fuerat, petiisset, animo planè Regio effatus est: *Tu verò aliud à me pete, & meritis tuis gratia erit. De isto, omitte. Nam Rex Galliæ* (verba ejus erant) *non exsequitur injurias Ducis Aurelianensis.*

Memor intereà Maximilianus, frigidi responsi, quod Lanoyo Philippi Archiducis Legato, Burgundiam juxta parta con[illegible]nta repetenti, Carolus dederat; justũ ex Helvetiis exercitum contraxit.

Præ-

Præerat Burgundis Tremulius: qui cùm famâ metúque adventantis Maximiliani, intra Divionem cum copiis quas habebat, sese recepisset; facilè fuisset ad deditionem compulsus: nisi Helvetiorum Gallicâ pecuniâ corruptorum, & ob id ex improviso stipendia exigentium tergiversatio, Maximilianum ab incepto desistere fecisset. Heut.

Quapropter ut tantò pacatiùs, novi Regis auspicia firmarentur; Carolum Egmondanum, ad reparandum, spretâ Septem-virûm Germaniæ sententiâ, in Geldria bellum, magnis pollicitationibus Galli incitarunt.

Eâ de causâ, minimè omnium invito Ludovico, imò summopere expetente, mensium aliquot inducias, Maximilianus facit: Geldricúmque ob bellum dum Lovanij moratur; Ioanna ibidem, Archiduci filiam parit, cui ab avia paterna, Leonoræ nomen inditum est.

Erant & aliæ curæ, quæ ab armis & expeditionibus, Ludovicum avocabant. Anna siquidem Carolo priùs nupta, Britannorum Principatum ablatura secum erat, rei & quietis Gallicæ, maximo detrimento.

Adhibito itaque intimorum consilio, de repudianda Ioanna Valesia, Caroli nuper Regis sorore, agere cœpit: id efficere si possit, & Annam in

thalamum suum, & Britanniam, in Galliæ gremium traduceret.

Seyſſel. Nam etsi deformi adeo, & distorto corpore Ioanna à teneris erat; ut eam pallio suo custos puellaris tegere debuerit, ne Ludovici patris, fortè pertranseuntis oculos offenderet; animum nihilominus erectum habebat, & non unâ virtute oppidò illustrem. Iam & viginti anni ierant, quòd Ludovico tradita fuisset: imò quòd per triennium integrum capto, quia Francisci Britanni contra Carolum, partes tenuerat; lacrymis & precibus, gratiam libertatémque impetrasset.

Et hæc quidem pro Ioanna faciebant, uti & quorumdam auctoritas, eósque inter Ioannis Standonci, Viri tum pietate atque eruditione Parisiis conspicui, sed Mechliniæ apud Belgas nati. Hic enim dum Regem divortium molientem, constanter arguere non veretur; Galliâ pulsus, in patriam venit: ubi erecto apud populares suos, atque etiam Lovanij pauperum Studentium contubernio, quod optimis legibus communivit: aliisque præclaris pietatis operibus, celebris admodùm evasit.

Maſſ.

Ludovicus, invito sibi, Ioannam inductam aiebat, ita scilicet jubente Patre puellæ Rege: adeò ut præter contestationes quas adhibebat; ne-

negaret à se Ioannæ corpus attactum, ne quidem cùm in carcere ei ministraret, aut libertatis adeptæ beneficio, sepultos vel sopitos conjugis amores, si aliàs umquàm, suscitare ipsa potuisset.

Scribit Seyssellius, Regem Patrem, cùm sciret Ioannam sterilem fore: & Regiam stirpem posterorum numero augeri nollet: ob quam caussam neque Mariam Burgundicam, jungi voluerat Carolo Comiti Engolismensi (qui pòst Francisci Primi Pater fuit) filiam Ludovico Aurelianensi obtrusisse. Seyss.

Ad Pontificem itaque Alexandrum VI. caussa delata est: qui cùm extollendi filij cupidissimus esset, hácque in re Ludovici amicitiam plurimùm valituram putaret; decretis, positísque qui rogabantur judicibus, separati sunt Ludovicus & Ioanna: atque in illius manum, cum Aremoricis, Anna concessit. Ferron.

Ne ingratus attamen in Ioannam Ludovicus videretur; ultrò ei Biturigum Principatum, jure fraternæ successionis debitum, detulit. Et ipsa humanas cogitationes & pompas aversata, cùm repudium ægrè haud ferret; cæleste vitæ genus sectata in terris, sacrarum Virginum Ordinem instituit; in honorem Annuntiationis Deiparæ: cúmque bonarum Artium studio vehemēter esset

affecta; Academiam Bituricensem instauravit, in qua deinde viri toto orbe famigerati, Duarenus, Contius, Balduinus, atque in primis Alciatus & Cuiacius, Iurisprudentiam professi sunt.

Frisij intereà in partes populares secti, quarum una Groeninganos sequebatur, altera oppugnabat, Vetcoperij & Sciringani dicti; cùm diu tumultuati, neque sine cæde & sanguine fuissent; Principem aliquem validum & potentem respicere cœperunt, cui regiminis sui jura permitterent. Is Albertus Saxo fuit, in Turcas olim & Hungaros strenuus; sed nuper apud Belgas, palmis innumeris & victoriis illustris, ob eaque *Hector Teutonicus* dictus.

Heuter.

Frisiorum desiderium ad Maximilianum & Philippum, detulit Albertus: qui cùm ei stipendiorum nomine, suprà trecenta florenorum millia deberent, finitísque jam bellis opimum redhostimentum; tradito Diplomate Albertum, legitimósque ipsius heredes, perpetuos & proprios Orientalis & Occidentalis Frisiæ Gubernatores dixerunt: eâ lege ut hanc dignitatem, pro stipendiis eatenus debitis, gratuitóque munere acciperet: seque Cæsaris & Hollandiæ Comitis, cum postetis omnibus Clientem profiteretur: donec ab Hollandiæ Comite, tum præterita pe-

pecuniæ ſumma, tum quæ in perdomandos Friſios, ultrà impenderetur; repræſentata foret.

Ita laborum & curarum ſuarum, præmium Albertus accepit: ac biennio pòſt, domitis Friſiis, compulſiſque ad Pacem Groeninganis; medio exceſſit, gloriæ & annorum plenus.

LIBER DECIMVS.

BREVIARIVM.

LVDOVICVS, peractis cum Anna Britannica nuptiis, ſicque Aremoricis ſibi vindicatis; ad Inſubriæ Ducatum (quem inter titulos nuper adſciverat) cupiditatem ſuam extendit, Aviæ Valentinæ nomine, quæ Ioannis Galeatij filia, Ludovico Aurelianenſi nupſerat, Ludovici Regis Avo: eâ lege, ut ad Valentinæ poſteros Inſubria veniret, cùm è Galeatio mares defeciſſent: quam Bonifacius Nonus probavit. Id cum Galeatius facere haud poſſet, neque Bonifacius approbare: Philippus autem Valentinæ frater, Alphonſum Neapolitanum, Inſubriæ heredem feciſſet; Inſubres ſpreto Philippi teſtamento, ad libertatem, redierunt: donec occaſione Belli Veneti, Franciſcum Sfortiam Ducem ſibi rurſus eſſe paſſi ſunt. Huic ſucceſſit Ludovicus, Ioanne nepote ſublato: quem quia Maximilianus Ducem crearat; ejus ita partes tenuit, ut ab eiſdem averterit, Philippum Archiducem, ob Gallicam Pacem. Ludovicus itaque Rex, ad expeditionem Mediolanenſem ſe parans, ut Archiducem firmiùs devinciret, admiſit eum ad hominium de Arteſia: idemque ipſe Archiduci præſtat de Bolonia: ita tamen ut hoſtem ei rurſus Carolum Egmondanum ſuſcitaret: & Maximiliano Suevos atque Helvetios: ob quod evenit, ut Ludovico Sfortiæ, Maximilianus auxilio adeſſe, non potuerit: quem porrò Ludovicus Rex, Inſubriâ dejecit, ad Maximilianum fugientem. Occupavit & Genuam, cui præficit Clivium. Cùm interim Galli, Mediolani inſoleſcerent; revocatus Sfortia, aſt iterum à Ludovico pulſus, abducitur in Galliam, cum fratre Aſcanio Cardinali, qui brevi licet dimiſſus, non deſiit Gallorum hoſtis eſſe, uti poſt erga Georgium Cardinalem Rotomagenſem oſtendit, quem ſummo

Pontificatu exclusit: virum aliàs præclarum, & Præfectum Mediolanensem. Caroli Austriaci Natalis: quem Philippus in Baptismo, Ducem Luxemburgensem nuncupat. Eum inter & Claudiam filiam, Ludovicus Rex Sponsalia procurat, ut tantò faciliùs Diploma Ducatus Insubriæ, à Maximiliano obtineat: quod tamen non aliter Maximilianus dedit; quàm si hæc Sponsalia, in nuptias transirent. Ludovicus, Insubriæ compos, Regnum Neapolitanum, cum Ferdinando Tarraconensi partitur; inscio Frederico Rege: qui impar resistere, in Galliam venit. Galli, partitionem, quam fecerant, iniquam causati, cùm ad arma venissent; toto demùm Neapolitano Regno, depulsi sunt, à Consalvo Cordubensi Ferdinandi duce: cui demum Pontifex id Regnum asseruit; & utriusque Siciliæ, ac Hierosolymorum Regem dixit; quique factâ cum Ludovico Pace; id cum ceteris Monarchiis, ad Philippum Austriacum generum transmisit. Ludovicus Rex, Imperio frustrà insidiatur, ruptis inter Carolum Austriacum & Claudiam Sponsalibus.

An. 1499. NOVIS Nuptiis, cum spe prolis habendæ, quam trinam Carolo defuncto, etsi staturâ & corpore pusillo atque imbecillo, Anna pepererat, Regiâ magnificentiâ peractis: atque ita Aremoricis, licet non satis æquâ Nobilitate, ad Galliæ Sceptrum iterum reductis; ad alia Regni incrementa, cupiditatem suam Ludovicus extendit.

Nuper, dum Regalibus infulis ornaretur, Ducis Mediolanensis inter alios titulos adsciverat, Valentinæ Aviæ nomine: quæ Ioannis Galeatij Primi Insubriæ Ducis filia, Carolum genuerat, Ludovici Regis Patrem.

Verumtamen in eo nomine, non satis Ludovico juris, ad Insubriæ Principatum fuisse, vel ex eo constare poterat; quod Philippus Maria Valen-

lentinæ frater, & Insubriæ post Ioannem germanum Dux, præteritis Valentinæ sororis posteris, absque liberis moriens, Alphonsum Siciliæ Regem testamento, Mediolani Ducem fecisset: haud sanè commissurus, si in Valentinæ stirpem, cadere Mediolanum potuisset.

Licet enim Galeatius, Valentinæ Pater jussisset, ut deficientibus è sua stirpe maribus, Valentinæ posteris, Mediolanensis Ditio hereditaria redderetur, idque Bonifacius IX. Pontifex approbasset; eam tamen substitutionem, numquàm Imperatores, qui Ducatus Mediolanensis patroni erant, ratam habuerunt. Nam quamvis dum substitutio fieret, Imperium Cæsare careret; eam nihilominus secutus Imperator, approbare debuisset: quia ad Pontificem Romanum non pertinet, ut vacante Imperio, Feuda ipsius concedere, aut factas de eorum jure donationes, quacumque ratione Imperatoribus insciis, aut Vicariis ipsorum in Germania, Imperiique Ordinibus, firmare possit.

An.1498.

Quid igitur à Alphonso mortuo; Mediolanenses cùm in libertatem vindicare se vellent, Philippi testamentum rejecerunt: moxque in bellum cum Venetis adducti; Franciscum Sfortiam, qui Blancham Philippi Ducis filiam notham duxerat,

rat, eidem præfecerunt.

Fateor nullis Majorum ceris, Franciscum illustrem fuisse, (Avo videlicet cerdone natum) sed cùm propriâ se virtute extulisset, re optimè pro Mediolanensibus gestâ: adnitente Cosmo Mediceo, ab eisdem Dux renuntiatus, Principatum in posteros transmisit: nisi quòd eum nepoti Ioanni, tutelæ nomine Ludovicus patruus præripuerit, Mediolanensibus haud invitis, ipsóque pòst Cæsare auctorante.

Belcar.

Ab hoc itaque Ludovico, Ludovicus Rex Insubriam repetere statuit, jure sibi hereditario, uti volebat, debitam.

Vtrimque federa & arma expedita. E federibus, Ludovici Regis unicum fuit, quod *Execrabile, atq; Italiæ funestum*, Onuphrius appellat, cum Pontifice (quem variis artibus sibi devinxerat) Florentinis, Venetis & Ferdinando Hispaniæ Rege, hisce legibus initum. *Vt Principatu Mediolani acquisito, Cremona Venetis dederetur: & Cæsar Borgia Papæ filius, qui Sacram Purpuram, ductâ uxore Carolotta de Alebreto Regis Navarræ filiâ, & Ludovici propinquâ, deposuerat; sociorum auxilio Æmiliam, Flaminiam, Picenum, & Vmbriam, veteribus Dominis ejectis obtineret: Reges verò Hispaniæ & Francorum, Regnum Neapolitanum inter se dividerent.*

In Alexand. VI.

Et

Et quemadmodùm Maximilianus Imperator, in Ludovici Ducis à se instituti, partes venit; ita ab eis Philippum Archiducem, exclusum esse, voluit, vel postremæ Pacis caussâ, quæ Silvanecti coaluerat.

Iam & Archiducem, Ludovicus sibi conciliandum ratus; misso ad Atrebates Guidone Rupifortio Franciæ Cancellario, unáque cum eo Amitino suo Philippo Clivio (qui ad nuntium Regni Ludovici in Galliam profectus, in ejus consecratione, Comitis Flandriæ, unius è Paribus, ut appellant, vices suppleverat) sacramentum ab eo clientelare, de Artesia Flandriáque, cærimoniis sollemnibus accepit: & vicissim Philippo Archiduci reddidit de Bolonia, quod pietatis, uti diximus, strophâ, oblitterare Ludovicus XI. anteà voluerat. Heuter.

Iussit & Ludovicus Archiduci, juxta Silvanectensem formulam, restitui Aëriam, Bethuniam, & Hesdinium, datis ad Præfectos eorum Oppidorum Litteris: restabátque sola Burgundia, cujus tum controversia, ad Parisiensem Senatum rejecta est. Belcar.

Sed ne interim totâ Pace Belgas, Ludovicus bearet, quam Ludovicus nuper Vndecimus funditùs abstulerat, adeóque Duodecimus ipse, Gal-

 lici

lici penitùs instituti oblivisceretur; dum per se haud potuit, per Carolum Egmondanum vexavit: cui ut latrocinia meliùs procederent; nothum Borbonium, & Robertum Marcanum, redintegrandi belli caupones adjunxit.

Atqui in eos illicò profectus Maximilianus, & expugnatâ Arkelâ, facilè domuisset; ni propter Suevos & Helvetios, iterum contra se Gallicis artibus suscitatos; redire tantisper in Germaniam debuisset: quæ caussa fuit, ut neque Sfortiæ, promissas suppetias ferre potuerit.

Heuter.

Gallis itaque ad expeditionem accinctis, Idibus Augusti ad Aratium Arcem, secundum Tanarum amnem sitam, castra posuerunt.

Arce captâ, idemque mox fatum subeuntibus aliis Oppidis, ipsáque intra triduum Alexandriâ: quæ nihilominus valido infessa præsidio, hostem diutiùs remorari potuisset, donec videlicet Maximilianus & Helvetij, qui jam propè convenerant, promissa Sfortiæ auxilia misissent; reliquam Mediolanensium Ditionem, trepidatione compleverunt.

Trajecto igitur Galli Pado, Mortariam circumsedentes; per Legatos in deditionem Ticinum acceperunt. Cúmque ab alia parte Veneti, Caravagio in potestatem redacto, & Abduâ transmis-

misso, ad Laudem usque Pompei penetrassent; omnibus passim Oppidis à Sfortia deficientibus, Mediolano se proripuit: præmissósque in Germaniam Liberos & thesauros, cum Ascanio fratre Cardinali secutus, Oenipontem ad Maximilianum evasit.

Ita Gallis Mediolanum ingressis, cùm sola restaret Arx; ejus pariter deditionem Curtius Præfectus, auro pactus, duodecimo, post discessum Sfortiæ die, tradidit: omnísque Mediolanensis Principatus, malè partus, intra quindecim dies, malè periit.

Belcar.

Ludovicus qui belli fortunam, Lugduni opperiebatur; celeri victoriâ admonitus, Mediolanum venit. Cúmque mox Genua, in Gallorum etiam potestatem concessisset; huic Philippum Clivium, & Mediolano Trivultium præfecit, quòd indigena esset, acceptiorem foro ratus.

Sed contrà accidit. Nam cum Guelficæ factionis Trivultius esset, quam Mediolanenses oderant: Gallorum adhæc insolentiam, ferre diutiùs haud possent; Sfortiam revocarunt.

Heuter.

Verùm is ocyùs iterum, operâ Helvetiorum, ex consilio Maximiliani neglecto, Insubriâ deturbatus; ad Arcem Lochiensem (id Oppidum in Turonibus situm est) in custodiam mittitur: in

qua decem annos vixit, tam ſtricto plerúmque carcere; ut ne legere quidem aut ſcribere poſſet.

Haud multò pòſt, Aſcanius in fugam conjectus, incidit in præſidium Venetorum: ductúſque Venetias, intra paucos dies à Venetis belli ſociis, ad Regem mittitur. Captivitatem tantilli temporis, explevit in Turri Bituricenſi (cujus anteà inquilinus quoque fuerat Ludovicus ipſe, ad fanum Albini captus) ſed unde mox eum Purpuræ dignitas exêmit, totâ Galliâ ambulare permiſſum: donec Alexandro VI. mortuo, Romam cum Georgio Cardinali Rothomagenſe, qui Præfectus Inſubriæ erat, allatus, ſpem Pontificiæ dignitatis quam fecerat, (cùm verſutiſſimi ingenij eſſet) incîdit ei potius, quàm dedit.

Ferron.

Etenim Mediolano occupato, Georgium Ludovicus impoſuerat: qui Anni ſæcularis menſe Aprili, perorantibus, pro Mediolanenſibus quidem Michaële Tonſo, contráque eos Michaële Ricio: hoc accuſante perfidiam, illo deprecante culpam & multam, moderatè ſe geſſerat: & Ludovici potiùs, ad Inſubriam ei firmandam, & aperiendam Neapolin, quàm ſui cauſsâ, ſummum Pontificatum ambiebat.

An. 1500.

Belcar.

Exin Americus Veſputius Florentinus, Emanuelis Luſitani Regis miſſu, Braſiliam novi Orbis

bis

bis partem lustravit: quæ deinde à Lusitanis paullatim occupata est. Ab hoc, Americæ nomen factum.

Carolum, posteà Quintum Imperatorem, Sæcularis etiam hic Annus, mensisque Februarij lux supra vigesimam quinta, hora post noctis meridiem tertia, Gandavi Vrbe Flandriæ primariâ, mundo dedit: quem deinde Martij septimâ, in æde D. Ioannis ibidem Principe, per salutarem fontis lustrici expiationem, sacris Christianis priùs initiatum, Aureo Phryxæi Velleris torque, unà cum Luxemburgici Ducis titulo; Philippus Archidux exornavit.

Fanius.

Vred.

Hoc quippe insignitur, in diplomate Ludovici Regis & Annæ Reginæ, quod ratione Sponsalium, inter ipsum Carolum & Claudiam Ludovici filiam, quarto antè mense natam, conclusorum, expeditum est, dum Carolus & Claudia, ambo adhuc in cunis vagirent.

Connubium illud Ludovicus affectaverat, ut per id devincto sibi Maximiliano (quem metuebat) ad recuperandum Neapolitanum Regnum, securiùs niteretur: & habito diplomate, faciliùs admitteretur, ad præstandum Imperatori, de Principatu Mediolanensi, clientelare sacramentum.

 Ve-

Verúmtamen rescisso priùs Diplomate, quod Ludovicus Sfortia obtinuerat; ad postremum hoc Maximilianus, non aliter Ludovicum Regem, ejúsque mares liberos admittere voluit; quàm si Claudia Ludovici filia, Carolo Austriaco nuberet: ita videlicet ut si nuptiæ, Regis Ludovici culpâ (quod evênit) successu caruissent; mox evanesceret facta Principatus Mediolanensis concessio: imò omnis actio, quam Imperij jure in Mediolanum Cæsar haberet, reditura ad Carolum Austriacum, fratrésque & posteros ipsius esset.

Haræus.

An. 1501.

Eo, qui secutus est, Anno primo ejus Sæculi, Cruces variæ, interque eas cruentæ admodum, in vestibus, indusiis, etiam quæ scriniis claudebantur, mulierum peplis, ipsaque adeò cute multorum: imò & alia Passionis Dominicæ instrumenta & symbola, per Germaniam & Belgium apparuêre, magno cum spectantium horrore: quia latiùs terrent portenta, quàm emendant. Exstat de his, Ioannis Franc. Pici Mirandulæ & Concordiæ Comitis, Carmen Staurostichon ad Maximilianum Augustum, & Trithemij Liber.

Carr.

Ceterum Cremonâ ex fœdere Venetis attributâ, Insubriæ Ludovicus compos, vastâ spe Neapolin cum Ferdinando devorabat: qui Patris

sui

ſui Ioannis jure fretus, quem in Regno Neapolitano Alphonſus Avus præterierat, idque in Ferdinandum nothum ſuum tranſtulerat, cujus filius Fredericus Rex erat, & Ferdinandi nuper defuncti ſcriptus heres. Frederico itaque inſcio, ſed aſſentiente Pontifice Alexandro, Ludovicus Gallus & Ferdinandus Tarraconenſis, partiuntur Regnum Neapolitanum: eâ lege, ut quàm partem Ludovicus obtinuiſſet; Regnorum Neapolis & Hieroſolymæ titulus ſequeretur.

Conſalvus Ferdinandi dux, qui tum in Sicilia erat, mox ad occupandam Calabriam & Apuliam contendit, quæ Ferdinando deciſa fuerant: Ludovicus inſtructo exercitu, cui Aubignius, aliique præerant, rectâ Neapolin eduxit.

Quid ageret Fredericus? Impar utrique reſiſtere, cùm præſertim partitionem quam inter ſe fecerant, Alexander probaſſet; ad Ænariam confugit: unde cum ducibus Gallorum dum paciſci mavult, quàm cum Ferdinando propinquo ſuo, in Galliam navigans; & calamitoſam Regni memoriam ibidem decoxit, & cupiditati Gallicæ Diadema transfudit.

Verùm:

Nec Regna ſocium ferre, nec tædæ ſinunt, Seneca.

non diu initæ pactionis inter ambos Reges, concor-

cordia duravit. Illius enim iniquitatem cauſſati Galli, etſi novam Ferdinandus obtuliſſet, imò feciſſent ultrò citróque delecti; cùm tamen recentem è Gallia militem, & ad explenda ſtipendia pecuniam accepiſſent, animis elati, diviſionem omnem ſpreverunt, moxque Apuliam armis adorti ſunt.

An. 1503. Eo perinde claſſico, recruduit utrimque bellum: ſed in quo continuis propè victoriis, admirabili diligentiâ, conſilio & fortitudine Conſalvus (ob id Magnus dictus) Regnum Neapolitanum omne, Ferdinando intra biennium acquiſivit, aut potiùs quod habebat jus ei priſtinum aſſeruit.

Per id tempus, dum Arcem, quæ Ovi dicitur, quam L. Lucullus à continenti, ut Euripũ immitteret, magno labore ſumtúque deduxerat, Hiſpani apud Neapolin oppugnant; primùm de agendis cuniculis, & nitrato pulvere replendis: eóque accenſo in aëra ejiciendis, cum ſuperincumbente terra, muris turribuſque, ſumtum experimentum eſt, auctore Petro Navarro Ordinum ductore.

Hujus quippe machinamenti ſpecimen viderat, ab annis circiter ſedecim, dum Serazanellam Florentinis defendentibus, Genuenſes oppugnarent

Belcar.

rent

rent, quibus tum Navarrus gregarius miles stipendia faciebat: ita tamen ut quòd Genuenses, non satis muri fundamenta penetrassent, rimas quidem ab impetu egerit, sed funditùs eversus haud fuerit: ob quod evenerit, ut res nullo in pretio habita, & tantúmnon neglecta sit: donec Navarrus ingenio acer, quid obfuisset perspiciens, & quid defuisset addens; insigne hoc Cuniculorum Poliorcetis exemplum & documentum dedit.

Nam cùm tectis, vinearum instar, navibus, ad murum obsessæ Arcis, Gallis insciis, & rem novam inauditámque minimè advertentibus, Navarrus cuniculos egisset; immisso in pulverem tormentarium igne, muri non exiguam partem ejectam in cælum diruit, milítésque qui superstabant, eâdem pariter ruinâ oppressit. Quamobrem ceteris attonitis, Arx, tantâ omnium admiratione capta est, ut nulli muri, nullæ munitiones, Navarri Cuniculis resistere posse viderentur.

Ferdinandum itaque, Iulius Secundus Pontifex deinde Maximus, Siculum, Neapolitanum & Hierosolymorum Regem, agnovit & dixit: ísque ad Austriacos Hispaniarum Reges, in quos mirâ Numinis benignitate, familiarum Burgundicæ, Tarraconensis & Castellanæ jura confluxe-

rant, approbantibus in hodiernum uſque diem
An.1565. Pontificibus, tranſmiſit. Pauculos quippe poſt annos, Ludovicus cum Ferdinando Pace factâ, totum-integrum ei Neapolitanum Regnum, titulúmque ceſſit, neptémque ex ſorore Germanam Foxeam, matrimonio copulavit.

Brugarum intereà deficiente ſplendore, ob rebellionem, & captum præteritis annis Maximilianum Auſtriacum, Luſitani, Scaldis, Antuerpiani fluminis, altitudine & amplitudine allecti, Aromata aliáſque merces, ex India Orientali, Antuerpiam, tranſactione cum Senatu Vrbis initâ, advehere cœperunt. Secuti mox Fuggeri & Velſeri, Germani: Galteroti, Florentini: Spinulæ, Genuenſes: Bonviſi Lucenſes, aliæque
Marchan. Mercatorum diverſæ nationes, dotium Antuerpiæ uxoriarum prærogativis invitati, quibus feminæ, ubi maritis res mercatoria malè ceſſerit, aut etiam decoxerint, menſáſve verterint, dotem recuperant, & creditoribus anteferuntur.

Secundùm hæc, cùm Ludovicus Rex, ruptis inter Carolum Auſtriacum & Claudiam Sponſalibus, paratum militem apud Inſubres haberet; cœpit ex nonnullorum emunctæ naris hominum ſententia, Romæ rumor increbeſcere, Ludovicum, eoquòd Maximilianus Imperator, necdum

dum esset coronatus ; à Cardinale Rothomagense, sive vi, sive per fraudem in Pontificatum intrudendo , Auream Coronam adepturum : eámque dignitatem, à Germanis ad Francos translaturum. Eam ob rem Iulius Pontifex , Maximilianum admonuit , *Vt dignitati Imperiali mox consuleret.*

Heuter.

Maximilianus igitur, ad decimum-septimum Aprilis , Imperij Comitia Constantiæ indicit: unde acceptis ingentibus auxiliis, rectâ in Italiam est progressus.

An.1507.

Iam tum Genuam rebellantem , Ludovicus domuerat : Veneti autem Ludovico fœderati ; Maximiliano per ditiones suas, aditum in Italiam denegabant.

Hunc, vi armatâ patefacturus, maximis copiis Tridentum venit, evastatóque fede agro Vicentino, imò Veronâ captâ, cùm vereretur Iulius Pontifex , ne si altiùs in Italiam penetraret ; vetus in eam Imperij jus , arrogare sibi conaretur : aut saltem aliquid ab eo detrimenti caperet , avita Italiæ libertas ; Diploma Pontificium , quod quia Aureo charactere fuit exaratum , *Bullam Auream* placuit appellare, ad Maximilianum Tridenti subsistentem misit , quo eum Cæsaris titulo condecoravit , sanxitque , *Vt exinde æquè Imperator*

haberetur, ac si Auream ab ipso Coronam reportasset.

Hoc itaque Diplomate Cæsar accepto, in Germaniam reversus, Coloniæ consedit, res tum Imperij tum Belgij tractaturus: quas mortuo nuper Philippo Castellæ Rege, per Carolum Egmondanum, Galli rursus, à Geldria, turbaverant.

Atq; ita res Francicas Gallicásque, exhibuimus hactenus, cum perpetua inquiete domi forisq; conjunctas: quæ quia sequente mox sæculo, incrementum potiùs quàm finem modumq; accepit: nullamq; Fæderum quantumcúmque juratorum sanctitatem reverita est; proximo eam proprioq; volumine, prosequemur. Interim, Maneat quæso durétque gentibus, (*Gallis*) si non amor nostri, at certè odium sui: quando urgentibus Imperij (*Hispaniæ & Belgij*) fatis, **NIHIL IAM PRÆSTARE FORTVNA MAIVS POTEST, QVAM HOSTIVM DISCORDIAM.**

Tacit.

INDEX:

Idemq́ totius operis Breviarium, in quo ejusdem nominis Pontifices, Imperatores, Reges & Principes, ab invicem distinximus, per ordinem, quoti-quique in dignitate sua fuerint, aut aliud indicium, si quod erat anteà omissum.

A.

B.

Buxude-

 dit.

Ter-

E.

Ius

Ma-

G.

H.

I.

L.

rint

Ar-

Lu-

O.

bus,

Mo-

Bru-

Q.

R.

Radbo-

S.

Si-

T.

V.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 19. consensâ. *lege* conscensâ. 80. Caroli. *l.* Carolo. 101. Rodulphi. *l.* Rudolphi. 139. contemmandâ. *l.* contemnendâ. 148. reperterentur. *l.* reperterentur. 151. incolumani. *l.* incolumi. 158. 1234. *l.* 1273. 171. capiti. *l.* capti. 182. obruentur. *l.* obruerentur. 251. lugubrum. *l.* lugubrem. 260. quingentarum. *l.* quingentorum. 292. avunculis. *l.* patruis. 294. Angustalibus. *l.* Augustalibus. 315. partier. *l.* pariter. 355. patris. *l.* fratris. 378. fulcerunt. *l.* fulserunt. 387. certim. *l.* certum. 416. discessit. *l.* decessit. 419. libertatati *l.* libertati. 438. Su. *l.* Sue. 504. parta. *l.* pacta.